CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT OPUS HOC SANCTITATI SUAE DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT
AC PRIORA EIUS VOLUMINA VIGINTI TRIA SIBI OBLATA
HONORIFICENTISSIMO CHIROGRAPHO COMMENDARE DIGNATUS EST.

COMMENTARIORUM IN VET. TEST. PARS I

IN

LIBROS HISTORICOS

III. 1.

NUMERI

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

NUMEROS

AUCTORE

FRANCISCO DE HUMMELAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1899

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGULARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Cum opus, cui titulus est : Commentarius in Numeros, a P. Franc. von Hummelauer, nostrae Societatis Sacerdote, compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Exaeten, 6 Oct. 1898.

HENRICUS HAAN, S. I.
Praepositus Provinciae Germaniae.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 10 Octobris 1898.

† FRANCISCUS, CARD. RICHARD
Arch. Parisiensis.

NOTA

Homines quosdam ex iis, qui in deserto cum Moyse fuerunt, passim dicimus fuisse 2ae, 3ae etc. generationis viros. Quomodo id sit intelligendum doceris nota, quae ad calcem p. 229 adscripta est.

CORRIGENDUM

Pag. 250, pro aut Sar aut Chirbet, lege : aut Chirbet Sar aut Chirbet Sir, prope Wadi el Sir.

LEO PP. XIII.

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Quam Nobis cordi sit, ut Divinorum Librorum studia vigeant, abunde testantur Litterae, quas de Scripturis Sacris ad universos orbis catholici episcopos abhinc tribus annis dedimus. In quibus, Bibliorum Sacrorum dignitate ac multiplici utilitate illustrata, fuse de ordinandis eorum studiis perscripsimus; et ut gliscentibus errorum opinionibus plenior et accuratior in sacro clero institutio opponatur, aptam innuimus rationem et viam praeclarae huius disciplinae tradendae. Qua in re id peculiariter commendatum voluimus, ut quae a doctrinarum externarum peritis eisdemque in fide catholica firmis ex linguarum biblicarum notitia, ex re historica vel ex physicorum disciplinis similibusque studiis opportune suggeruntur, ea Librorum Divinorum seu sententiae plenius arripiendae seu veritati vindicandae minime praetereantur.

Haec Nostra cum sint optata, eos perutilem navare operam existimamus, quicumque Scripturis Sacris rite enarrandis tuendisque animos ac diligentiam intendunt. Vos autem, Dilecti Filii, hos inter cum laude connumeramus, qui iamdiu labore haud exiguo acrique ingenio Libros omnes Sacros perpetuis notationibus illustrandos suscepistis.

Egregii operis volumina, quae adhuc edidistis quaeque Nomini Nostro dicanda libenter concessimus, pergrato animo accepimus.

Vobis autem dum de emensa feliciter laboris parte gratulamur, virium vitaeque usuram divinorumque munerum ubertatem apprecamur, quo coeptum ad auspicatum demum exitum deducatis.

Interea ex Nostra benevolentia solatium et alacritatem sumite, cuius testis esto apostolica benedictio, quam vobis ceterisque sodalibus vestris, qui operi praeclaro vobiscum allaborant, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XIV Octobris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

Dilectis Filiis

Rodulfo Cornely, Iosepho Knabenbauer, Francisco de Hummelauer

Sodalibus e Soc. Iesu.

INTRODUCTIO

Narratio libri Num., uti illa Geneseos, Ex. et Lev., ordine temporum et locorum per *stationes* progreditur. Quarum aliquae plurimos, reliquae paucos habent eventus; in illis populus diutius commoratur, has festino veluti gressu pertransit. Longiores commorationes factae sunt ad montem Sinai, in Cades Barnea, prope Iordanem. Narrationem nos igitur his capitibus complectimur : acta sinaitica posteriora, acta a Sinai Cadesam usque, commoratio in Cades, acta Cadesa ad Iordanem.

Dicebamus CEL p. 1 continuam esse narrationem Ex. et Lev., cum sacrorum aaronicorum institutio ab Ex. 24 ad Lev. 10 pertingat; Leviticum vero eatenus esse completum, quatenus ad eius usque finem continuae habeantur leges, quas Num. 1-4 excipiant populi census. Tamen neque inter Lev. et Num. habetur narrationis divisio maior, cum acta sinaitica in Exodo coepta in libro Num. tandem absolvantur, sacrorum ordinationem necessario excipiat castrorum ordinatio. Hic etiam librorum divisio potius e ratione fortuita et scriptoris commodo, quam e rerum narrandarum affinitatibus petebatur. Libri vero Num. extrema sunt incompleta : tota quippe inde a Num. 20 narratio ad Moysis mortem dirigitur, illam exigit tamquam divini 20,12 decreti impletionem. Quae mors extremo tandem Deut. narratur.

Est enim *mire una* neque sine arte disposita historica narratio librorum Ex., Lev., Num.

Per exodi portenta deduxerat Iahve populum ad montem Sinai, populum durae cervicis et incircumcisi cordis. Cuius murmura, quae in Aegypto exaudiebantur, post traiectum Mare Rubrum increbruere. Movebantur homines cum memoria eorum, quibus in Aegypto fruiti

erant, bonorum, tum horrore incommodorum in deserto perferendorum. Populo murmuranti manna conceditur in deserto Sin, aqua de rupe elicita in Raphidim. Ubi etiam Amalecitae funduntur, a Iethrone socero Moyses uxori reconciliatur, qui Moysi auctor est, ut constitutis chiliarchis, centurionibus, decanis et nimium laborem sublevet et suam in populum auctoritatem confirmet. Tandem ad montem Sinai declarat Iahve suam voluntatem statuendi cum eis pacti, quo ipsi, si mandatis eius obsequantur, sint populus eius sanctus, regno et sacerdotio a Iahve instituendis honorandi. Sed Moysi dudum infensi fuerant, qui inter Hebraeos aderant, antiqui ordinis sacerdotes. Quare factum est, ut in magna illa Ex. 19 theophania tam sacerdotes illi quam populus, quominus propius ad Iahven accederent, se excusaverint. Iahve autem decalogum profatur, suorum mandatorum omnium compendium; aliqua eius mandata explicat et complet, quae postmodum Moyses retulit in Librum Foederis. In his legem tradit Ex. 20,22-26 de cultu divino secundum ritum a patribus acceptum reverenter peragendo, quae lex instituto brevi post cultu mosaico abrogabatur (cf. tamen ea, quae CEL p. 212 dicebamus); Ex. 21,1-23,33 antiquas potissimum de servis, de corporis laesionibus, de damnificatione etc. leges renovat. Quem Librum Foederis solemni claudit epilogo Moyses. Foedus tandem consummat, adductis secum in conspectum Iahve septuaginta senioribus, et novi foederis futuris sacerdotibus, non vero sacerdotibus veteris ordinis. Conscendit postea montem Moyses solus, atque ib. quadraginta dies commoratus edocetur a Iahve novi sanctuarii constructionem sacerdotumque consecrationem, quae postmodum ipse fideliter exsecutus est. Interim vero in castris, sacerdotibus praemosaicis instigatoribus, oritur seditio, conficitur vitulus aureus, in cujus honorem laetam populus solemnitatem celebrat. Redux vero inopinato de monte Moyses Levitas armatos per medium castrorum mittit, ubi circa vetus tabernaculum sacerdotes illi convivia et vigilias protrahebant, eosque temulentos et inermes conficit. Dein iterata supplicatione Moyses Iahven placat, novas ab eo mandatorum tabulas impetrat, foedus instaurat.

Novorum sacerdotum consecrationi praemittitur Thora Sacrificiorum Lev. 1-7, quia in ipsa eorum consecratione varia sacrificia offerenda erant. Solemnitas dedicationis sanctuarii duorum neosacerdotum, qui ignem profanum thuribulis imposuerant, portentosa morte abrumpitur. Inseruntur mox Thora Munditiei Lev. 11-15 et Thora Sanctitatis Lev. 18-22, quae sanctitatem externam, interioris indicem, inculcant, a cultoribus Iahve observandam. Inter utramque thoram inseritur primum lex de solemnitate annua expiationis, quae occa-

sione interitus Nadab et Abiu lata est, dein lex de mactationibus, res vix non constanter inculcanda. Sequitur Lev. 23 catalogus festorum, quem utique, licet non necessario totum, brevi post novum dedicatum sanctuarium promulgari oportuit. Lev. 24, praeter duas breves leges narrationi minus perspicue intextas, enarrat blasphemi supplicium et legem ea occasione latam. Absolvitur haec etiam tota pars solemniori epilogo Lev. 25 sq.

His expeditis sequuntur alia : Lev. 27 lex de redemptione votorum etc. Ceterum post ordinatum sanctuarium ordinanda sunt castra. Hinc viri bellatores numerantur ab annis viginti, assignantur duces et in castris locus. Levitae vice primogenitorum totius populi cultui Iahve addicendi numerantur ab uno mense, qui sacra portaturi sint ab annis triginta; singulis sua officia assignantur. Commendantur quaedam in castris potissimum observanda : inculcatur sc., ut immundi e castris excludantur, restitutio voluntarie fiat; promulgantur nomine Iahve antiquae leges de zelotypia et nazaraeatu; traditur formula benedictionis a sacerdotibus impertiendae. Resumitur tandem dedicationis sanctuarii solemnitas, quae interitu Nadab et Abiu fuerat abrupta; in qua supremi tribuum duces offerunt aequalia munera in agnitionem supremae auctoritatis Iahve et, interposita brevi et obscuriore de candelabro lege 8,1-4, consecrantur levitae. Lege sancitur ut, qui Phase statuto die celebrare nequiverint, illud mense post suppleant. Traduntur tandem extrema resumendi per desertum itineris praeambula : generalis itineris ratio describitur, tubarum usus explicatur.

Narrator omnino in eo est, ut unam et continuam nobis proponat historiam; leges plures demonstrari possunt esse promulgatae inter illos eventus, quorum narrationi interseruntur; neque ulla lex demonstrari potest non eo tempore esse nata, cui illam obvius narrationis nexus tribuere videtur. Habes iam ad resumendum iter accinctos Hebraeos. Suae inconstantiae illam eousque potissimum videntur tulisse poenam, ut pro regali sacerdotio sibi Ex. 19,6 praemonstrato sacerdotium a Deo nacti sint, regno ad futura tempora dilato. Nihil eos, quominus brevi itinere in terram promissam deveherentur, inhibere poterat, dummodo ipsi et Moyses fideles adhaererent fœderi et sacris Iahve. Quod ipsi non praestitere : atque hinc evolvitur divina illa tragoedia, quam nobis explicat liber Num.

Defuit populus sibi. Caede Ex. 32 narrata difficultates ad tempus fuerant suppressae, non exstinctae. Quare resumpto itinere mox revixere querelae : primum populi ob itineris laborem et cibi rationem; mox cognatorum ob Moysis uxorem non hebraeam et supremam pro-

pheticam auctoritatem. Unde iam ipse Moyses animo deprimi coeptus est, qui ad ipsum terrae promissae meridionalem limitem delatus illud Iahve permittente populi importunitati concessit, ut praemitterentur qui terram explorarent. Sed 40 dierum otium exspectantibus exploratorum reditum exitiale fuit. Quibus reversis orta est totius populi seditio itinera et pugnas fastidientium. Quos portento quidem ad obsequium revocavit Iahve, sanxit autem ut ingressus terrae sanctae ad 38 annos differretur, donec, qui in ea seditione adulta fuerant aetate, omnes supremum diem obiissent. Quidam eius sententiae terrore impulsi, ut dehortante Moyse illico Chananaeos aggrederentur, ab illis in fugam acti sunt. Tum promulgatae leges aliquae Num. 15, ea imprimis, qua pro tempore commorationis in deserto suspendebatur obligatio offerendi frumenti et vini una cum holocaustis et pacificis, ea item, quae ad compescendos animos turbulentos poenam sanciebat peccatorum malitiose commissorum mortem civilem. Sed animi exasperati iam legibus et poenis cohiberi haud poterant. Exorta est turbulenta levitarum et Rubenitarum seditio, illorum sacerdotium, horum principatum ambientium. Et seditionis quidem capita horrenda morte absumpti sunt. Verum sequens dies novam habuit seditionem, cum iam populus Moysen et Aaronem tamquam suorum malorum unam causam detestarentur. Composita fuere portento virgae florentis sapientibusque latis legibus levitarum contra Moysen et Aaronem dissidia. Reliquorum fastidium prope Cadesam rursus prorupit in murmura.

Plurimum defuerat populus sibi : nondum defuerat populo Moyses. Impatientius Num. 11 populi querelas tulerat ipse; deprimebatur plurimum Mariae et Aaronis obloquiis; infelicius concesserat, ut exploratores in Chanaanitiden praemitterentur; impatientius in dies ferebat populi post tot favores pervicaciam. Tandem defuit Moyses etiam Deo. In illo apud Cadesam murmure iam impetraverat a Iahve Moyses, ut aquis de rupe elicitis potaretur populus, cum taedio fractus coepit ipse de Iahve in populum longanimitate et misericordia dubitare, atque illico rupes virga percussa aquas profundere recusavit.

Hic totius narrationis apex. Neque tamen in tanta calamitate defuit suis Iahve. Moyses ad saniorem mentem revocatus percussit petram *secundo* et prorupit aqua. Sancivit tamen Iahve, ut in admissae infidelitatis poenam et Moyses et Aaron ab ingressu terrae promissae excluderentur, in eundem locum eos relegat atque populum, qui 14,29 sq. a fide defecerat. Tandem post 37 annorum institium resumitur et brevi absolvitur in Chanaanitiden iter. Citato quippe itinere devenitur ad Iordanem, fusis Amorrhaeis. In facto Balaam et Moysis pro-

phetica auctoritas confirmatur, et populo antiquae promissiones renovantur. Alter habetur adscripto familiarum elencho census, secundum quem terra tribubus aliquando dividenda praecipitur. Lex statuitur de haereditate in filias transmittenda, deficientibus filiis. Iussus montem Abarim conscendere ib. moriturus, Moyses mandati non revocationem quidem, sed dilationem impetrat. Cui aliqua sancienda permittuntur, quae ab ipso commodius quam ab alio definirentur. Iosuen igitur ducem populi instituit; licentiam Num. 15 ad tempus concessam revocat, ubi etiam legem antea traditam de votis complet; Madianitarum captionem ulciscitur; transiordanicam quibusdam tribubus concedit; pro futura cisiordanicae distributione sapientes leges fert, quarum ultima providet, ne tribuum fines confundantur. Acta Cadesa ad Iordanem tribus funeribus consecrantur : in ipso Cadesae adventu et ante Moysis deliquium moritur Maria; in profectione Cadesiana moritur Aaron; in ipso cisiordanicae limine moritur Moyses.

Mire una profecto est tota haec narratio, cuius aequalem in textibus aegyptiis et babylonicis frustra requisieris, affinem vix in Graecorum tragoediis deprehenderis. Sed quem fugit, narrationem, qualem nos prae manibus habemus, esse *mancam?* Ille primus narrator, qui tam insigni arte narrationem contexuit, *debuit* copiosius describere Moysis peccatum, peccati effectum et poenam. Peccati Moysis 20,11 narrationem haberi truncatam, alii ante nos interpretes catholici agnovere. Debuit autem idem peccatum effectus quosdam habere graves, exitiales. Putasne populum, qui nullam murmurum et contumaciae antea praetermisisset occasionem, pacate laturum fuisse tantam Moysis calamitatem? et, qui prophetae portenta parvi pendisset, permansurum fuisse in obsequio prophetae, qui a numine suo videretur repudiari? Peccatum Moysis illico excipere debuit *universalis quaedam populi apostasia,* abdicantium cultum Iahve Moysisque auctoritatem. De hac autem silet textus.

Quam apostasiam nos modo e narrationis consilio veluti divinantes coniiciebamus. At eiusdem in sacris paginis minime desunt certa argumenta. Textibus Deut. 33,8 sqq., Am. 5,25 sq. etc. docemur, ad Aquas Contradictionis prope Cadesam locum habuisse eiusmodi apostasiam, qua pluribus annis populus a Iahve ad cultum idolorum defecerit, fere soli Levitae Moysi fideles adhaeserint. Quo loco tum Hebraeorum res fuerint, docemur quibusdam factis perantiquis, genealogiis 1 Par. intersparsis. Affirmant praeterea s. literae Hebraeorum in deserto commorationem ad 40 annos productam, sed 1ⁱ tantum et 2ⁱ et 40ⁱ anni acta referunt : quare rationalistae illos 40 annos tamquam commentum explodunt, alii alias explica-

tiones suggerunt. Nobis plana praesto est responsio. Magna illa ad Aquas Contradictionis apostasia et locum habuisse et Hebraeis posterioribus nota fuisse efficitur textibus laudatis. Sed ea item in libro Num. primitus describebatur : quod efficit cum tota quam modo exponebamus narrationis ratio, tum illa in actis Hebraeorum in deserto 37 annorum lacuna. Eadem ratione, atque in Exodo sacerdotum praemosaicorum acta, suppressa est in Numeris accuratior peccati Moysis descriptio cum apostasia populi, quae illam consecuta est. Visa sunt aliquando virorum Deo consecratorum deliquia reverenti silentio esse tegenda, ne relata populi erga sacerdotes pietatem imminuerent.

Id certe non factum est Moyse aut Iosue superstitibus, quando in omnium ore haec facta erant; sed serius, quando exstructo templo (primo vel etiam secundo) ordo sacerdotum suis frueretur iuribus atque honore, essetque simul ne horum iacturam pateretur sollicitus. Neque id affirmare cogeris impia mente esse factum. Libri sacri in Iudaeorum coetibus praelegebantur; exarabantur sane apographa ei practico usui destinata; in his aliquando visae sunt illae historiae prudentius esse omittendae. Simile quid in nostris historiis biblicis usuvenit, quae ut plurimum historiam sacram verbis fere scripturae enarrant, sed plura aut brevitatis aut aedificationis ergo praetermittunt. Non error sacro textui admiscebatur, sed aliqua eius veritas silentio obtegebatur; neque alius inde efficiebatur liber. Secundum vulgi quippe iudicium, quod criticorum quidem iudicio est minus rigidum, etiam Ovidius « ad usum Delphini » expurgatus, Ovidius est. Non erat igitur, cur Deus eam sacri textus diminutionem praepedire teneretur. Plura de his v. infra.

Habemus 4 Esdr. 14 traditionem quamdam Iudaeorum, legem tempore exsilii totam esse deperditam, sed Esdram spiritu Dei repletum eam totam scribis suis, qualis ante fuerat, dictasse. In qua traditione si quid lateat veritatis (cf. *R. Cornely* : Introd. I. 52, 2ª editio 1894), illud profecto erit tempore exsilii misere confusos esse libros sacros, Esdramque illis restituendis haud levem operam impendisse. Igitur in textu Ex., Lev., Num. restituendo inciderit Esdras, vel quicunque alius ei operi insudavit, in textum quemdam non integrum aut completum, sed piorum lectorum aedificationi adaptatum, abbreviatum, expurgatum.

E quibus sequitur aliquid, quod ad diiudicandam narrationis antiquitatem summi est momenti. Secundum criticorum recentiorum placita liber ea forma, quam nunc habet, post exsilium natus est. Sed hac forma liber exhibet textum adaptatum, abbreviatum.

Hic textus supponit alium textum primigenium, completum; textum, qui non mere rationem habeat fontis, e quo praeter alios fontes liber sit concinnatus, sed qui sit idem liber quibusdam auctus, eandem habens narrationem eodem ordine dispositam, integram; textum, quem merito supponas prophetam Amos novisse atque aestimasse textum sacrum venerandae antiquitatis. Solvenda manet quaestio, quando hic textus primigenius natus sit.

Est hic locus aliqua adscribendi de ratione huius nostri commentarii et praecedentium in Genesin, Exodum et Leviticum commentariorum. Fuere inter eos, qui de hisce commentariis iudicium tulere, quibus exoptatius erat, ut commentarios magis *ad normam criticae* texeremus, inquirentes primum in librorum fontes, suas cuique fonti sacri textus particulas adiudicantes atque, his praemissis atque suppositis, textum exponentes. Quam si regulam sequebamur, nascebantur commentarii a reliquis Cursus S. Scripturae commentariis plurimum diversi et operis quadamtenus unitas pessum ibat. Neque tamen hac una ratione, quae externa potius est et adventitia, inducendi eramus ad eorum doctorum virorum desideria negligenda.

Ultimus primae notae in totum Pentateuchum commentarius a catholico interprete concinnatus ille est, quem 1707 primum gallico sermone edidit Calmetus; mitto enim s. textus in varias linguas versiones notulis adiectis. Erat sane omnino in votis, ut post duorum fere saeculorum intervallum prodiret veri nominis commentarius, qui Pentateuchum non critice decomponeret, sed hermeneutice exponeret.

Multo diligentiores illis duobus saeculis elucidando Pentateucho incubuere protestantes, quorum plures prodiere commentarii. Neque desunt inter catholicos etiam, qui sentire videantur, exponendi hermeneutice sacri textus a protestantibus factum esse satis, post Dillmannum vix superesse quod exponatur, totamque iam operam collocandam esse in textu critice investigando. Cui opinioni non assentimur. Quaestiones sacer textus suggerit plures et graves, quae ab illis viris aut nullatenus aut non sufficienter discussae sunt; quae elucidandae sunt *prius*, quam ad felicem exitum perduci queat criticus labor.

Sunt enim duo quoad s. libros praestanda : expositio textus et critica textus. Quicunque exstiterint fontes, e quibus supremus redactor, ille sc. scriptor cuius opera liber *hic* liber effectus est, narrationem hauserit aut composuerit, at *haec* certe narratio exponi

potest ac debet. Verbis aut suis aut aliunde mutuatis expressit ille scriptor *cogitata sua*, haec ex illis verbis secundum hermeneuticae regulas eruenda sunt, neque ad id necesse est, ut *antea* fontes dignoscantur. Nonne solide exponimus Homerum, etiamsi antea non dirimamus quaestionem, a quo forte variorum, qui adstruuntur, auctorum haec aut illa pars provenerit? Verum utique est, lucem affundi ipsius auctoris dictis, ubi, quem sensum ea in fontibus etiam habeant, certis argumentis definiatur. Neque minus certum est, plurimum obscurari auctoris effata, ubi neglecto hermeneutico labore, secundum praeiudicatum systema textus in sua elementa critice resolvatur. Plurima iam fiunt incerta, quae sat clare in textu exprimebantur, coniecturae pro argumentis recipiuntur, levia et ambigua indicia pro certis. *Praecedat* ergo criticam solida interpretatio necesse est.

Num igitur sanae criticae sua iura denegamus? Absit. Aegre ferimus, uti alii faciunt, nondum repertum esse virum catholicum, qui totum Pentateuchum critice discutiens plenam et solidam, neque solum negativam totius textus rationem reddiderit. Simul tamen, qui Pentateuchum pro Cursu S. Scripturae exponendum suscepimus, existimavimus nos optime facturos, si ante alia omnia textum ad leges hermeneuticae religiose exponeremus.

Patrum expositiones in Hexaemeron sunt legio, in reliquam Genesin plures, in Exodum et Leviticum paucae, in Numeros vix ullae. *Or.* iis, qui sensum literalem investigant, parum est utilis. *Chrys.* (*M.* 56,330-334) brevissimam tradit Synopsin Numerorum, *Theodoret.* uti alias Quaestiones tantum, non continuam interpretationem. Plus habent *Proc.*, *Nicephorus* (Catena in Octateuchum et libros Regum, Lipsiae 1772), *Photius* (*M.* 101). *Ephraem* (Operum I 251-268, Romae 1737) paginis 17 Numeros absolvit. 65 Quaestiones in Numeros discutit *Aug.* (*M.* 34,717-748). *Hier.* (Epist. 78 ad Fabiolam; *M.* 22, 698 sqq.) de stationibus Num. 33 agit. *Eucher.* (*M.* 50,781) decem lineas habet, *Paterius* (*M.* 79,762-774) 12 columnas, *Isidor.* (*M.* 83, 339-360) columnas 21. *Bedae* Commentarius 20 columnas habet (*M.* 91,358-378), quibus *Ps. Beda* (*M.* 93,395-410) addit columnas 15. Minus ieiuni sunt *Rhabani* Enarrationes (*M.* 108,587-858), *Walafridi* Glossa (*M.* 113,379-446). Accedunt *Petri Damiani* Collectanea (*M.* 145,1033-1064), *Brunonis Astensis* Expositio (*M.* 164,463-508), *Ruperti* Lib. 42[us] de Trinitate et operibus eius (*M.* 167,837-918). Claudit agmen *Hugo a S. Victore* columnas habens non plane duas (*M.* 175,84-86). Quae auctorum nomina, operum tituli, pagi-

narum seu columnarum numeri certo sunt indicio, in omnibus hisce vix quidquam haberi quod commentarii nomen mereatur. Vix ullum primae notae nomen aut ullus iustae molis labor. Quaestiones, collectanea, glossae non continuam tradunt expositionem, sed forte et ex aliis haud raro auctoribus collecta congerunt. Circa quaestiones cum libro Num. connexas altum silentium servat sacra traditio.

Auctorum, quos frequentius adhibitisque abbreviationibus quibusdam citamus, h. l. nomina et opera describimus; reliquos in opere ipso suis locis sine abbreviationibus citabimus. Auctoribus antiquioribus adscribimus tomum collectionis *Migne*.

Or. : Origenis Selecta in Numeros *M.* 12,575 sqq.

Eus.-Lagarde : P. de Lagarde Onomastica sacra, ed. 2[a], Gottingae 1887, in qua *Eusebii Caesar.* et *Hier.* libri Interpretationis hebraicorum nominum editi et cum aliis fontibus comparati reperiuntur.

Theodoret. : Quaestiones in Numeros *M.* 80,349 sqq.

Proc. : Procopii Gazaei Commentarius in Numeros *M.* 87,793 sqq.

Aug. : S. Augustini Quaestiones in Heptateuchum *M.* 34,717 sqq.

Rup. : Ruperti Tuitiensis libri De Trinitate et operibus ejus *M.* 167,837 sqq.

Accedunt :

Bonfr. : I. Bonfrerii S. I. Pentateuchus Moysis commentario illustratus; Antwerpiae 1625.

Cai. : Card. Th. de Vio Caietani O. P. in S. Scripturam Commentarii I, Lugduni 1639.

Calm. : A. Calmet O. S. B. Commentarius literalis II, Wirceburgi 1789.

Dillm. : A. Dillmann, Die Bücher Numeri, Deuterononium und Iosua, 2 Aufl., Leipzig 1886.

Erman : A. Erman, Aegypten u. aegyptisches Leben im Alterthum, Tübingen 1885.

Geiger : A. Geiger, Urschrift u. Uebersetzungen der Bibel, Breslau 1857.

Gord. : I. Gordonus S. I. in : Biblia Sacra cum selectissimis litteralibus commentariis III, Venetiis 1747.

Hommel : F. Hommel, Die altisraelitische Ueberlieferung in inschriftlicher Beleuchtung, München 1897.

Ians. : Cornelii Iansenii episcopi Iprensis Pentateuchus, Lovanii 1685.

Keil : C. F. Keil, Biblischer Commentar über die Bücher Mose's II, Leipzig 1862.

Kn. : A. Knobel, Die Bücher Numeri, Deuteronomium und Iosua, Leipzig 1861.

Lagarde : v. Eus.-Lagarde.

Lyr. : N. Lyrani Postilla.

Malv. : Th. Malvenda O. P., in Biblia Sacra, v. s.

Mar. : I. Mariana S. I., ib.

Men. : I. St. Menochius S. I., ib.

Ros. : E. F. C. Rosenmülleri Scholia in V. T. II, Lipsiae 1824.

Schrader : E. Schrader, Die Keilinschriften u. das Alte Testament. Citamus translationem anglicam O. C. Whitehouse : The cuneiform inscriptions and the Old Testament, London 1885-8.

Smith : W. Smith, The book of Moses, London 1868.
Sylv. : F. Sylvii Operum tom. VI, Venetiis 1726.
Tir. : I. Tirinus S. I., in Biblia Sacra, v. s.
Tost. : A. Tostatus, dictus Abulensis, Operum tom. III, Coloniae Agrippinae 1613.
Vat. : I. Vatablus, in Critici Sacri I, Amstelodami 1698.
Vig. : F. Vigouroux, Manuel biblique, 9e édition, Paris 1895.

Quoad ipsum textum sacrum :

Field : F. Field, Origenis Hexaplorum quae supersunt I, Oxonii 1875.
Levy : I. Levy, Chaldäisches Wörterbuch über die Targumim, Leipzig 1881.
Verc. : C. Vercellone, Variae lectiones Vulgatae latinae bibliorum I, Romae 1860.

Nostros, quos edidimus, commentarios ita citamus :

C G : Commentarius in Genesim 1895.
C E L : Commentarius in Exodum et Leviticum 1897.
C I : Commentarius in libros Iudicum et Ruth 1888.
C R : Commentarius in libros Samuelis seu I et II Regum 1886.

ACTA SINAITICA POSTERIORA

NUM. 1,1-10,10.

Haec acta complectuntur sequentia.

Post nova instituta sacra Ex. 24-Lev. 10, primum Num. 1-4 *ordinantur castra*. Instituitur igitur Num. 1 virorum bellatorum numeratio (a 20° anno et supra) per omnes tribus, excepta tribu Levi a militia eximenda; iisdem Num. 2 suus in castris et in itinere locus ducesque assignantur. Proceditur inde ad res Levitarum ordinandas. Sacerdotibus aaronicis ministri attribuuntur ceteri Levitae 3,1-10 ita, ut Deus illos sibi assumat loco primogenitorum reliquarum tribuum, qui inde ab exodo speciali iure ad Deum pertineant v. 11-13. Numerantur igitur Levitae mares (ab uno mense et supra), quorum simul *in castris* ministeria recitantur v. 14-39, numeratisque item reliquarum tribuum primogenitis v. 40-43 sufficiuntur Levitae illi v. 44-51. Sequitur altera Levitarum numeratio (a 30° anno et supra), eorum sc. qui ad portanda *in itineribus* onera sint idonei Num. 4.

Aliquae sequuntur *leges vitam in castris spectantes*. Eiiciendi, qui foeda corporis infirmitate laborent 5,1-4. Inculcatur delicti confessio et damni illati reparatio atque in sacerdotem sacrificatorem aequitas v. 5-10. Antiqua renovatur et completur zelotypiae lex v. 11-31, nazaraeatus legibus latis 6,1-21 stabilitur, formula traditur v. 22-27 benedictionis a sacerdotibus impertiendae.

Interim celebrata est novi *sanctuarii dedicatio*, quae ob interitum Nadab et Abiu Lev. 10,2 fuerat postponenda, in qua singularum tribuum, praeter tribum Levi, principes obtulere dona in agnitionem divinae auctoritatis Num. 7. Supplentur *aliqua sacerdotes et levitas spectantia* : illorum quoad lampades candelabri officia 8,1-4, horum solemnis v. 5-22 consecratio, et ministerii limites v. 23-26. Qui, quominus secundum *Phase* statuto die celebrarent, impediti fuerant, illud celebrant uno post reliquos mense, lege de ea re lata 9,1-14. Tandem 9,15-10,10 adscribuntur quaedam *itineris resumendi praeambula*.

A. Castrorum ordinatio Num. 1-4.

In hac pericope notandum, articulis quibusque illud adscribi, rem actam esse secundum Dei mandatum : 1,19. 54; 2,33 sq.; 3,16. 39.

42. 51. In extremo autem articulo 4,34-49 adscribitur illud primum *ter* summis minoribus tribus v. 37. 41. 45, dein *semel* summae maiori v. 49.

I. NUMERANTUR DUODECIM TRIBUS NUM. 1.

Arg. — Designat Deus e singulis tribubus viros principes singulos, qui in sua quisque tribu virorum bellatorum, a 20° anno et supra, censum instituant. Ubi, quando, a quibus, quo ritu, qua auctoritate hic census habitus sit, accurate describitur; summae census traduntur. Cur Levitae ab eo censu eximantur, explicatur; eorum officia et in castris locus breviter indicantur.

1. *Designantur numeratores populi Num.* 1,1-15.

Cap. I v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai* », quo pervenerant Hebraei Ex. 19,1 sq. et castra fixerant, in quibus etiam novum sanctuarium erexerant, « *in tabernaculo foederis* », — unde alias item Lev. 1,1 leges post consecratum sanctuarium prolocutus erat Iahve, secundum id quod promiserat Ex. 29,42 sq. : Ibi me sistam, ut loquar ad te, ibique praecipiam filiis Israel. Ergo indidem prodiit nostrum hoc divinum mandatum, unde prodierat Thora Sacrificiorum (Lev. 1,1; 7,38), leges Lev. 11-26 (cf. 25,1; 26, 45), lex de votis (Lev. 27,34) — « *prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Aegypto* » — ergo evoluto uno mense Ex. 40,15 (17) a consecrato novo sanctuario. Eo mense acta et promulgata fuere quae Lev. habet — « *dicens* » : v. 2. « *Tollite summam universae congregationis filiorum Israel per cognationes et domos suas, et nomina singulorum, quidquid sexus est masculini* », methodo Ex. 30, 11 sqq. descripta.

Chald. Syr. tolle. Discrimen ortum duxit e punctatione, numerusque singularis est praeferendus : cf. 4, 2. Rursum v. 3 *Sam. Syr. numerabis*, uti crediderim, correctius. — *Summam* designat ראש etiam Lev. 6,5 (5,24). — *Universae* omisit *Sam.* sive forte, sive quod v. 48 sqq. Levitae a censu eximantur, ideoque reapse non *universi* Israelitae sint numerati. Sed ea non erat ratio sufficiens omittendae vocis. — *Tribus* dividebantur in *cognationes*, cognationes in *familias* seu *patroecias*. De vocum sensu quandoque vago cf. quae dicebamus ad Ex. 6,14. — Illa igitur *summa* constat *numero nominum*. Unumquodque *caput* seu individuum, dum ad censum prodibat, *nomen* pronuntiabat, quo constaret reapse observari ordinem *familiarum*. Verbis *in numero nominum* addendum supererat illud, solos *mares* recenseri; hinc adscriptae voces *omne masculinum*, quibus additur vox *secundum capita eorum*, synonyma expressionis *in numero nominum*.

Sed non sunt omnes mares in hunc pugnatorum censum referendi,

sed v. 3 « *a vigesimo anno et supra, omnium virorum fortium ex Israel* », *Hebr. omnes egredientes in turmis* militaribus, quibus vocibus excludi censet *Cai.* eos, qui ob senium vel permanentem infirmitatem armis ferendis essent impares; robustus senex non lege compellitur exuere arma. Et additur *ex Israel,* quo praecludebantur omnes incircumcisi. Qui monito Ex. 12,48 non erat obsecutus peregrinus, is arma ferre in exercitu Iahve non permittebatur, non aequis cum Israelitis iuribus fruebatur. Quae sane pluribus ratio exstitit subeundae circumcisionis. « *Et numerabitis eos per turmas suas, tu et Aaron* ». Turmis videntur praefuisse decani, quinquagenarii, centuriones etc., qui Ex. 18,25 suadente Iethro fuerant instituti : iidem pacis tempore iudicum, belli tempore ducum militarium officio fungebantur. Ita exercitus item sapienter instructi fundamenta iecerat Moyses Ex. 18. Moysi iam socius attribuitur Aaron, utrique adiutores singuli e singulis tribubus, viri principes assignantur. v. 4 « *Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis* ». Sed *Hebr. : eruntque vobiscum singuli e singulis tribubus, vir princeps patroeciae suae.* Desumebantur hi viri e numero eorum, qui capita erant alicuius suae tribus familiae. v. 5 « *Quorum ista sunt nomina : De Ruben Elisur, filius Sedeur* ». v. 6 « *De Simeon Salamiel, filius Surisaddai* ». v. 7 « *De Iuda Nahasson, filius Aminadab* ». v. 8 « *De Issachar Nathanael, filius Suar* ». v. 9 « *De Zabulon Eliab, filius Helon* ». v. 10 « *Filiorum autem Ioseph, de Ephraim Elisama, filius Ammiud; de Manasse Gamaliel, filius Phadassur* ». v. 11 « *De Benjamin Abidan, filius Gedeonis* ». v. 12 « *De Dan Ahiezer, filius Ammisaddai* ». v. 13 « *De Aser Phegiel, filius Ochran* ». v. 14 « *De Gad Eliasaph, filius Duel* ». v. 15 « *De Nephthali Ahira, filius Enan* ». Nomina item habentur 2,3 sqq.; 7,12 sqq.; 10,14 sqq. Ordo tribuum idem est, atque Gen. 35,23 sqq. et Ex. 1,2 sqq.; tamen, dum ibi filios Balae (Dan, Nephthali) sequuntur filii Zelphae (Gad, Aser), h. l. filii Zelphae mediis filiis Balae inseruntur (Dan, Aser, Gad, Nephthali). Levi ad calcem v. 48 sqq. remittitur, quod eius filii armis ferendis pares non recenseantur.

Elisur, אליצור. — *Sedeur,* שדיאור, quod neglecta Masor. punctatione utique ad nomen divinum שדי revocare oportet (*Th. Nöldeke* in : Zeitschrift der deutsch-morgenl. Gesellschaft, XV. 809, Leipzig 1861). — *Salamiel,* שלמיאל, « amicus Dei » (?). — *Surisaddai,* צורישדי, quod *Chald. Syr.* in duas diffindunt voces (צורי שדי). — De *Nahasson,* נחשון (« susurrator » ?) et *Aminadab,* עמינדב, *Sam. Chald. Syr.* עמי נדב diximus ad Ex. 6,23. — *Nathanael,* נתנאל, « Deus dedit », nomen frequens : filii Isai 1 Par. 2,14 et plurium aliorum 1 Par. 15,24; 24,6; 26,4; 2 Par. 17,7; 35,9; 1 Esdr. 10,22; 2 Esdr. 12,21. 35; Io. 1,45. — *Suar,* צוער, fortasse « exilitas », ab exigua statura. — *Eliab,* אליאב, nomen item frequens, imprimis inter levitas : Num.

16,1; 1 Reg. 16,6; 1 Par. 6,27(12); 12,9; 15,18.20; 16,5. — *Helon,* חלן, *Sam. Chald.* חילן, « robustus ». — *Elisama,* אלישמע : cf. 2 Reg. 5,16; 4 Reg. 25,25; Ier. 41,1 etc. — *Ammiud,* עמיהוד. Nomen patris regis Gessur 2 Reg. 13,37, viri Simeonitae Num. 34,20, etc. — *Gamaliel,* גמליאל, « retributio Dei » seu, uti vertit *Ges.-Mühlau,* « Gottwalt », Godwaldus. Cf. Act. 5,34; 22,3. — *Phadassur,* פדהצור, *Chald.* פדה צור. — *Abidan,* אבידן. — *Gedeon,* גדעני, sane idem nomen atque גדעון Iud. 6,11, « successor » arborum vel inimicorum. — *Ahiezer,* אחיעזר; 1 Par. 12,3 nomen herois David. — *Amisaddai,* עמישדי, *Chald.* עמי שדי. — *Phegiel,* פגעיאל. — *Ochran,* עכרן, fortasse « deformis ». — *Eliasaph,* אליסף, « Deus multiplicat ». — *Duel,* דעואל; item *Sam. Chald.* Sed lectio *LXX Syr.* רעואל, *Raguel,* « amicus Dei »; cf. ad Ex. 2,18 — *Ahira,* אחירע. — *Enan,* עינן, nomen ab oculis petitum : ergo vel ille, qui magnos oculos habet, vel qui supponitur malum oculum habere, quo aliis noceat. Cf. *I. B. Bélot* S. I. : Vocabulaire arabe-français, Beyrouth 1893. — Antiquiores nominum explicationes collectas habes apud *Lagarde*, recentiorum placita v. apud *Dillm.* Nos ipsi postmodum de his aliisque nominibus propriis universim disseremus.

2. *Populi census habetur Num.* 1,16-47.

v. 16 « *Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus et cognationes suas, et capita exercitus Israel* ». Qui v. 4 dicebantur « capita patroeciarum », iidem nunc vocantur *convocatores* (?) *ecclesiae, principes tribuum patrum suorum, duces millium Israel* (*Hebr.*). Hic et v. 4 inculcatur, selectos esse viros non plebeios, sed praenobiles. Et reapse capita patroeciarum, vocatos a Moyse mediate vel immediate, suas ad conventum populi *convocasse* familias, quis miretur? Iidem dicuntur *principes*, quae vox per se non edicit viros singulos iam antea totius suae tribus fuisse capita, cum Num. 16,2 ducenti quinquaginta praeter illos compareant « principes ecclesiae ». Fortasse caput patroeciae quodlibet aut certe dux millium quisque nomine *principis* honorabatur. *Duces super mille* iam habebamus Ex. 18,21, neque ulla est ratio expressionis h. l. aliter exponendae (bene *LXX* χιλίαρχοι); uti patet, plures praeter illos duodecim viros erant duces super mille. Cum porro illi duces Ex. 18,21 scribantur fuisse אנשי חיל, bellatores robusti, bene h. l. *Vulg.* expressioni tribuit sensum etiam militarem : *capita exercitus.* Ergo iudices Ex. 18,25 instituti, erant simul duces militares.

Kethib h. l. et *Keri* 26,9 קריאי; item *Sam.* utrobique, et etiam 16,2. Quod erit accipiendum tamquam syriasmus pro קרואי (*Keri* h. l. et *Kethib* 26,9) : *vocati;* ergo viri, qui specialiori ratione a Moyse vocabantur, convocabatur quippe tota etiam ecclesia. Quos *LXX* exposuere ἐπίκλητοι τῆς συναγωγῆς seu (16,2) σύγκλητοι βουλῆς, consiliarii. Haud dubium, quin per hos aliosque viros, quid in populo ageretur, certior fieret Moyses; ut autem iisdem usus sit consiliariis, id, nullis aliis in eum sensum conspirantibus textibus, non ausim affirmare, cum Moyses talis semper describatur

fuisse vir, qui divinis, non humanis regeretur consiliis. Porro *Masor.* 16,2 habent קראי, e qua forma minus plena censendae sunt prodiisse explicationes plene scriptae קריאי et קרואי; illa forma optime accipitur pro participio activo *convocantes. Chald.* videtur derivasse a קרה, *occurrere; Syr.*, fortasse ob assonantiam scripsit קריחי, *nobiles.* — Dicuntur *principes tribuum patrum suorum;* ubi *patrum* nomine veniunt vel duodecim tribuum patriarchae, ut ergo Nahasson fuerit princeps tribus *Iuda*, et Salamiel princeps tribus *Simeon;* vel cujusque principis progenitores omnes ad patriarcham usque, ut ergo Nahasson dicatur princeps tribus *Aminadab, Ram, Hesron, Phares, Iuda,* et similiter reliqui. Et nota, quo tempore Nahasson princeps erat tribus Iuda, superstitem fuisse Hesron, et fortasse item Ram et Aminadab.

v. 17 « *Quos tulerunt Moyses et Aaron cum omni vulgi multitudine* ». Illud *quos* resumit, quod habet *Hebr.* : *viros illos, qui recensebantur nominatim* v. 5-15. Tulerunt hos, et non alios. Verba haec, uti etiam v. 4. 16, insinuant, viros illos certe non omnes iam antea fuisse suarum tribuum rectores. Inculcatur v. 4. 16 institutos esse eos solos, qui ante iam patroeciarum capita, chiliarchae etc. fuissent; quod superflue inculcaretur, si illi viri duodecim suarum quique tribuum nativi rectores exstitissent. Innuitur h. l., quod 16,2 diserte affirmatur, praeter illos viros fuisse alios chiliarchas, patrocciarum capita etc. An singulae ante haec tribus suos habuerint rectores, definire haud valemus. Potuit fieri, ut una alterave ab alia tribu validiore fere absorberetur, utve alia in plures veluti diffinderetur. Erat autem res summi momenti, ut tribus intactae et distinctae permanerent, quod promissiones aliquae Gen. 48 sq. tribubus essent factae. In turbis contra Moysen suscitatis (cf. CEL p. 3 sqq. 193 sqq. 309 sqq.) aliqui fortasse e nativis tribuum rectoribus Moysi haud faverant : in quorum locum alios ille suis rebus addictos Num. 1 suffecerit. Adhibebantur quidem ii viri Num. 1 tamquam populi numeratores : sed, qui potestatem accipit totius tribus numerandae, eo ipso toti tribui praeficitur; et ex 2,3 sqq.; 7,12 sqq.; 10, 14 sqq. patet, eosdem viros veros tribuum rectores esse constitutos. Ex 1 Par. 2-7 certe non efficitur, illos duodecim viros Num. 1,5-15 suae quemque tribus exstitisse nativum et haereditarium principem : Nahasson, Aaronis gener, 1 Par. 2,9 sq. ortum duxit e Ram, filio Hesronis minore; Elisama 7,26 non erat e familia principe Ephraimitarum. Moyses inspirante Iahve rem egit perquam prudenter : post turbas suppressas, post novos constitutos sacerdotes, fidos singulis tribubus praefecit moderatores, tribus Levi v. 48 sqq. res universas sibi cum Aarone administrandas reservavit.

Post descriptos numeratores, narratur v. 18 sq. peracta numeratio. v. 18 « *Et* » *omnem ecclesiam* « *congregaverunt primo die men-*

sis secundi », eodem die, quo v. 1 Deus ad Moysen locutus est, ut nullum superesset tempus edendarum querelarum de novis creatis principibus iisque, qui fortasse praefuerant antea, submotis; numeratio, uti patet, non unico die absoluta est; « *recensentes eos per cognationes et domos* [*ac familias*] *et capita et nomina singulorum, a vigesimo anno et supra* ». *Hebr.* : *Et declaraverunt suam generationem secundum cognationem suam* et, intra cognationem, *quoad patroeciam suam* et, intra hanc, *in numero nominum*, et quidem *per* singula *capita*. Nomen quisque indicabat, nomina seu capita numerabantur, non tamen omnium omnino, sed *a nato viginti annorum et supra*. *LXX* ἐπηξονοῦσαν, *in tabulas retulerunt*, rem cogitavere scripto esse factam, neque improbabiliter, cum tot alia Moyses scriptis mandaverit, cum inter Hebraeos plures essent scribae (Ex. 5,14), et cum census descriptus certe deinceps longe utilior esset futurus. v. 19 « *Sicut praeceperat Dominus Moysi* ». Cf. v. 54; 2,34; 4,37. 41. 45. 49 etc. « *Numeratique sunt in deserto Sinai* » (cf. v. 1). Cum hoc facto principum v. 5-15 auctoritas nitatur, et quo census deinceps singulas familias describens haberetur documentum authenticum, adscribitur Iahve et Moysis auctoritas, tempus et locus accurate determinantur.

Non totus census traditur, sed singularum tribuum summa. Tribus eo, quo v. 5-15, ordine recensentur; tamen in locum Levi, qui non est numeratus, succedit Gad. Deficienti sc. uni Liae filio Levi substituitur Gad, maximus natu filiorum Zelphae, quae fuerat ancilla Liae. Liae posteris Zelphae proles videbatur esse magis necessaria quam tribus e Rachele vel Bala ortae. Adverte, in aliis elenchis (Gen. 35,23 sqq.; 46,8 sqq.; Ex. 1,2 sqq.) primos recenseri sex Liae filios, dein Rachelis duos[1], tandem incerto ordine filios Balae et Zelphae. Habes igitur oppositas invicem hic sex tribus e Lia prognatas, ibi septem tribus non e Lia oriundas, initia invidiarum inter Iuda et Israel. Ubi porro Levi, una tribuum e Lía oriundarum, ex acie pugnantium iussa est pedem retro ferre, opponebantur iam septem illis tribubus solae quinque tribus e Lia prognatae. Moyses, ut aequilibrium restitueret et invidiis praecluderet aditum, Gad, tribum e Zelpha oriundam, partibus concessit filiorum Liae. Hinc effectum est, ut a parte Iudae essent bellatores 337,850, a parte Israel 265,700. Si Gad Israelis parti accessisset, habuisset haec bellatores 311,350 contra bellatores 292,200 partis alterius. —

1. Solum Gen. 46 filii Zelphae ancillae Liae praemittuntur filiis Rachel, et Ex. 1,5 ob specialem rationem e filiis Rachel Ioseph, non vero Beniamin, ad calcem relegatur.

LXX Gad relegant ad calcem Beniamin, ergo post Rachelis filios.

Inde a v. 20 eaedem constanter recurrunt formulae, ubi perraro una alterave vox omittitur, aut habetur varietas lectionum. Formula haec est : *Quoad filios N., generationes eorum* (תולדת, cf. Gen. 5,1 etc.) *secundum cognationes eorum, quoad patroecias eorum, pro numero nominum per singula capita, omnis mas a vigesimo anno et supra,* — et exprimitur finis eius census princeps — *procedentium ad bellum : census eorum quoad tribum N. viri x.* Quoad Rubenitas formula orditur *fuerunt filii Ruben,* adscribitur appositio *generationes eorum,* dein abrupta constructione ad formulam modo descriptam delabitur constructio.

v. 20 « *De Ruben, primogenito Israelis, per generationes et familias ac domos suas, et nomina capitum singulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno et supra, procedentium ad bellum* », v. 21 « *quadraginta sex millia quingenti* ». v. 22 « *De filiis Simeon per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina et capita singulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno et supra, procedentium ad bellum* », v. 23 « *quinquaginta novem millia trecenti* ». v. 24 « *De filiis Gad per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra, omnes qui ad bella procederent* », v. 25 « *quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta* ». v. 26 « *De filiis Iuda per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere* », v. 27 « *recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti* ». v. 28 « *De filiis Issachar per generationes et familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui ad bella procederent* », v. 29 « *recensiti sunt quinquaginta quatuor millia quadringenti* ». v. 30 « *De filiis Zabulon per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere* », v. 31 « *quinquaginta septem millia quadringenti* ». v. 32 « *De filiis Ioseph, filiorum Ephraim per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere* », v. 33 « *quadraginta millia quingenti* ». v. 34 « *Porro filiorum Manasse per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra, omnes qui poterant ad bella procedere* », v. 35 « *triginta duo millia ducenti* ». v. 36 « *De filiis Beniamin per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vi-*

gesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere », v. 37 « *triginta quinque millia quadringenti* ». v. 38 « *De filiis Dan per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere* », v. 39 « *sexaginta duo millia septingenti* ». v. 40 « *De filiis Aser per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere* », v. 41 « *quadraginta millia et mille quingenti* ». v. 42 « *De filiis Nephthali per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno et supra, omnes qui poterant ad bella procedere* », v. 43 » *quinquaginta tria millia quadringenti* ». v. 44 « *Hi sunt, quos numeraverunt Moyses et Aaron et duodecim principes Israel singulos per domos cognationum suarum* ». v. 45 « *Fueruntque omnis numerus filiorum Israel per domos* [*et familias*] *suas a vigesimo anno et supra, qui poterant ad bella procedere* », v. 46 « *sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta* ».

Hebr. v. 44 איש איש אחד לבית אבתיו היו, *singuli quoad patroecias suas erant*, i. e. numerabantur. *Sam. LXX* איש איש אחד למטה אחד למטה בית אבתם היו, *singuli quoad tribum unam, quoad tribum patrum suorum erant* seu numerabantur. Et *patres* intellige sive generatione naturali sive adoptione (Cf. C E L p. 37 sq.). Non solum numerabantur viri, sed studiose distinguebantur tribus, quod imprimis necessarium erat quoad non Hebraeos illos, qui circumcisione suscepta alicui tribui et patroeciae accesserant. Potuit vero, universo inde ab exodo tempore, Moyses eiusmodi proselytas, ut uni prae aliis tribui accederent, monere; quo fortasse explicantur tribus Iuda Moysi fidelius adhaerentis (cf. ib. p. 13 sq.), comparatione cum reliquis ingentia incrementa (74.600). Tribus Levi pauciores ceteris tribubus numerabat viros, sc. solos 22.000 mares (3,39), qui unius mensis aetatem superarent : studebat quippe Moyses, ut in tribu divino cultui destinata sanguis patriarcharum flueret purior (cf. Lev. 21), paucioribus alienigenis viris adoptione ei tribui accensitis.

v. 47 « *Levitae autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis* ». Hic versus sequentia praeparat. Quae eo item praeparabantur, quod tribus Levi in censu praetermitteretur, et tribus Gad in eius locum sufficeretur. Cuius rei omnino rationem reddi oportebat. Ex. et Lev. de *Levitarum* honore siluerat : erecto novo sanctuario imprimis necesse erat de novis providere *sacerdotibus*. At ubi designatis principibus atque tribubus recensitis, populus Iahve plene est constitutus, oportuit etiam de *ministris* Iahve providere; non enim decebat eum pauculis sacerdotibus stipatum in medio exercitu Israelis *habitare*. Illi ministri designati sunt Levitae. Quos oportebat esse sanctos, ab usu profano remotos, ergo imprimis a militia

exemptos (cum 1 Esdr. 7,24 cf. *Ios.* Ant. III. 12,4; IV. 4,3), nisi forte ubi pro ipsis sacris esset dimicandum (cf. 1 Reg. 4, 11). Oportebat eosdem servire *habitaculo* et sacerdotibus, dum hi ipsi Iahve immediate serviebant. Haec ratio omnino princeps, cur Levitae armis gerendis idonei non sint numerati. Accedebat minoris momenti ratio, omisso Levitarum censu minus evidens intuentium oculis fuisse, quam pauci numero comparatione reliquarum tribuum essent Levitae. Ipsis, quo census habebatur, diebus Levitae adstantes armati (Ex. 32,27) nulloque ipsi censu distracti, efficax Moysi erant praesidium, ne turbas malevoli homines excitarent.

3. *Levitae a bellatorum censu eximuntur Num.* 1,48-54.

Eloquium hoc crediderim eodem die editum esse, quo et priore eloquio v. 1 sqq. census indicebatur idemque v. 18 incipiebatur. Qui dies debuit esse occupatissimus, eoque ad finem vergente crediderim Deum generali alloquio v. 48 sqq. indicasse, cur levitae a censu essent exempti, et quaenam in posterum eorum futura essent officia. Singulae vero tribus in suis, quae eo usque obtinuerant, castris sunt numeratae, et utique ipso census die in nova castra non commigraverunt.

v. 48 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 49 « *Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel* »; v. 50 « *sed constitue* » — *Hebr. computabis* — « *eos super tabernaculum* » — *Hebr. habitaculum* — « *testimonii et cuncta vasa eius, et quidquid ad* [*ceremonias*] *pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum* » — *habitaculum* — « *et omnia utensilia eius; et erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur* ». שרת edici imprimis de ministerio sacro monebamus ad Ex. 24,13. v. 51 « *Cum proficiscendum fuerit, deponent levitae tabernaculum; cum castrametandum, erigent. Quisquis externorum* », i. e. similiter atque Lev. 22,10 non levitarum (*Aug.*), « *accesserit, occidetur* ». Ordo futurus castrorum generali ratione adumbratur, singula suis temporibus explicanda relinquuntur. v. 52 « *Metabuntur autem castra filii Israel unusquisque per turmas et cuneos atque exercitum suum* ». *Hebr.* : *unusquisque in castris suis*, i. e. suae tribus, *unusquisque sub vexillo suo, secundum agmina eorum.* Aliqua Aegyptiorum vexilla depicta habes apud *Erman* p. 719. v. 53 « *Porro levitae per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel* », aliquibus nimis prope figentibus tabernacula sua etc. (*Sylv.*), pro qua irreverentia *multitudo* esset punienda, nisi ipsa deputatis pro

custodia habitaculi levitis habitaculi sanctitati consuluisset. « *Et excubabunt in custodiis tabernaculi testimonii* ». *Hebr. : observanda observabunt,* quaecunque lege praescripta sunt; quoad generalem expressionis sensum cf. Gen. 26,5; Lev. 18,30; 22, 9 etc. v. 54 « *Fecerunt ergo filii Israel iuxta omnia, quae praeceperat Dominus Moysi* ».

II. CASTRA DISPONUNTUR NUM. 2.

Arg. — Quatuor trinarum tribuum castra circa tabernaculum disponuntur, quibus praesunt Iuda, Ruben, Ephraim, Dan. Qui antea numeratores fuerant instituti, iam suis quique tribubus praeficiuntur ut duces. Ordo etiam in itinere observandus determinatur.


Vetus tabernaculum in mediis castris prostabat (CEL p. 5). Novum tabernaculum certe non est erectum eodem loco, quem vetus illud tabernaculum iam reprobatum obtinuerat, sed in loco omnino sancto et puro. Nunc removentur ipsa castra de loco, ubi prius ad radicem montis Sinai veteri tabernaculo circumfundebantur, tribubusque circa novum tabernaculum suae cuique sedes assignantur. v. 2-31 est unum continuum divinum eloquium. *Vulg.* rem obscuravit insertis perfectis *fuit, fuerunt;* item *castrametati sunt* pro *castrametentur* v. 5. 12. 25, recte tamen v. 18 *erunt castra.* Nomina et numeri eadem sunt, quae cap. 1 fuerunt. Uti cap. 1, sermo eadem usque repetita formula constat, in qua perpauca eaque levia mutantur, estque fere haec : *Castrametantes orientem* (vel *occidentem etc.*) *versus, vexillum tribus A secundum turmas suas; cuius princeps est M filius N, et exercitus eius et numerati eius x; et castrametantes iuxta illam tribus B, cuius princeps O filius P, et exercitus eius et numerati eius y; et tribus C, cuius princeps Q filius R, et exercitus eius et numerati eius z.* Et adscribitur summa trium horum exercituum.

Tota igitur vis armata in quatuor trinarum tribuum exercitus dividitur, quibus in castris certae circa tabernaculum sedes, in itinere certus ordo attribuitur. Ordo itineris est hic (a sinistra ad dexteram) :

	186,400.	151,450.	Levitae.	108,100.	157,600
seu :	337,850.		Levitae.	265,700.	

Validior manus obviis obiiciebatur hostibus, valida manus terga tegebat. Validissimus e quatuor exercitibus agmen ducebat; claudebat is, qui post illum numerosissimus esset. Primogenitus Ruben honoris locum immediate ante arcam obtinebat; filiorum Rachel exercitus numeris infirmior arcam sequebatur, Iuda praesignatus a Deo princeps totum agmen ducebat. Inter filios Rachel non imperat Manasse sed Ephraim, qui illo est numerosior.

Subiicimus castrorum descriptionem, ubi T tabernaculum designat; tribubus adscribimus summas prioris et, parenthesibus inclusas, posterioris (Num. 26) numerationis; ad dexteram lineae AB habetur *Iuda*, ad sinistram *Israel*.



Duorum documentorum indubia vestigia deprehendit *Dillm.* in hoc, quod in alloquio divino tota rursum summa census cap. 1 repetatur, et quod semper sermo habeatur de *exercitu et numeratis.* Unum igitur documentum habebat breve alloquium, quod aliquis illa census summa farcivit; unum documentum loquebatur de *exercitu*, alterum de *numeratis.* — Adverte, quo loco res tum fuerint. Instituto novo sacerdotio aggressus erat Moyses novos principes instituendos et exercitum instruendum. In quo negotio timendae et praepediendae erant turbae cum eorum, qui nova quaeque instituta stomachabantur, tum eorum potissimum virorum, qui principatum forte abdicare cogebantur. Igitur nominati cap. 1 numeratores : census in cuiusque tribus castris habitus per aliquot dies et animos rei novitate percellebat, et occupatos ab ordiendis coniurationibus cohibebat. Absoluto censu alius dies, ut in novas sedes singulae tribus commigrent, indicitur. Qui antea creati erant numeratores, ii iam duces militares et principes salutantur; recensiti in turmas et exercitus coguntur; vexilla attribuuntur; fortasse arma quibusdam distribuuntur. Novae sedes antiquas relaxaturae erant amicitias : qui antea coniuncti una conspiraverant, nunc aliis interiectis tribubus seiungebantur; Manassaei e mediis castris (CEL p. 6) removebantur, Levitae in eorum locum succedebant. Quibus omnibus confirmandae erant Moysis res. Sed ut hunc ea effectum plene nanciscerentur, opus erat ut ea accurate fierent, non erant quidam permittendi suis desertis

vexillis aliarum tribuum hominibus commisceri. Quare stricto mandato opus erat, quod omne praecluderet effugium. Eorum igitur, qui antea numeratores fuerant renuntiati, nomina repetuntur, dum iidem duces militares creantur. Singulis exercitibus, imo tribubus et patroeciis, certus assignatur cum vexillis locus. Numerus eorum, qui ad singula vexilla et signa pertinerent, rursum describitur : imo, ut *numerati* procedant, iniungitur. Crediderim, antequam ex antiquis in nova castra commigrarent, principes, chiliarchas etc. singulorum vocasse nomina « in numero nominum », suos numerasse « per capita ». Minime igitur otiosa expressio illa *exercitus et numerati*. Nonne haec explanatio facilior illa, quae duo adstruit documenta et compilatorem aliquem, qui ex uno documento constanter mutuetur vocem *exercitus*, ex altero vocem *numerati ?*

Dicebamus modo de chiliarchis etc. Recole, quae CEL p. 13 dicebamus de chiliarchis, centurionibus, quinquagenariis, decanis Ex. 18 a Moyse per omnes tribus ad causas iudicandas institutis; recole Num. 1,16 numeratores ex ordine chiliarcharum esse desumptos. Erant sane illi chiliarchae etc. viri Moysi per omnia fidi. Quid veri similius quam totam illam Ex. 18 « organizationem » Moysen Num. 1 sq. ad rem militarem transtulisse ita ut, qui antea iudices solummodo causarum fuissent, iidem iam essent chiliarchae etc. exercitus? Obiicies, infimam quam novimus exercitus sectionem fuisse patroecias, eas vero plerumque plures vel pauciores *decem* viris supra viginti annos numerasse, earum ergo ducem non fuisse *decanum*. Sed nota, etiam agnum paschalem Ex. 12,3 sq. comedi consuevisse ordine patroeciarum, sed illas patroecias fuisse latioris acceptionis, ita ut cuique agno iustus convivarum numerus obtingeret, si Ps. Ionathae fides habeatur, « decem virorum ». Eodem sensu poteris accipere patroecias Num. 1 sq., ut patroeciarum capita vere fuerint *decani*.

Cap. II v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron dicens* » : — ad utrumque hoc alloquium dirigitur — v. 2 « *Singuli per turmas, signa atque vexilla et domos cognationum suarum castrametabuntur filii Israel* », — reliqui habent h. l. vocem מנגד, *ex adverso* — « *per gyrum tabernaculi foederis* » : ergo facie seu tentorii ostio verso ad habitaculum (*Cai.*), et simul gyro illud circumdantes. *Per turmas* potest correspondere voci alicui כגדו, et *LXX* ἐχόμενος αὐτοῦ voci כנגדו. Reapse auctoritas LXX Vulg. suggerit vocem כנגדו in textu fuisse, et apud Vulg. esse deformatam in כגדו, apud reliquos excidisse ob similitudinem prope sequentis מנגד. Ergo : *Singuli in loco suo*, et distinctius describitur locus : *penes vexillum suum*, *cum signis*, *apud patroeciam suam*. *Vexilla* intelliguntur quatuor trinarum tribuum vexilla v. 3. 10. 18. 25, *signa* singularum tribuum signa quaedam (*Cai.*), patroecia non alio quam necessariorum vultibus agnoscebatur signo. Quatuor illa vexilla phantastice describit *Ps. Ion.*

Vexillum Iuda v. 3-9.

v. 3 « *Ad orientem Iudas figet tentoria per turmas* [*exercitus*] *sui, eritque princeps filiorum eius Nahasson, filius Aminadab* ». Voces

קדמה מזרחה coniunctae item leguntur Ex. 27,13; 38,13. v. 4 « *Et omnis de stirpe eius summa pugnantium septuaginta quatuor millia sexcenti* ». v. 5 « *Iuxta eum castrametati sunt* » — *castrametentur :* hanc correctionem semel pro semper notasse sufficiat — « *de tribu Issachar, quorum princeps* [*fuit*] *Nathanael, filius Suar* »; v. 6 « *et omnis numerus pugnatorum eius quinquaginta quatuor millia quadringenti* ». v. 7 « *In tribu Zabulon princeps* [*fuit*] *Eliab filius Helon* »; v. 8 « *omnis de stirpe eius exercitus pugnatorum quinquaginta septem millia quadringenti* ». v. 9 « *Universi, qui in castris Iudae annumerati sunt,* [*fuerunt*] *centum octoginta sex millia quadringenti; et per turmas suas primi egredientur* », quando fuerit proficiscendum.

Vexillum Ruben v. 10-16.

v. 10 « *In castris filiorum Ruben ad meridianam plagam erit princeps Elisur, filius Sedeur* »; v. 11 « *et cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti* ». v. 12 « *Iuxta eum castrametati sunt de tribu Simeon, quorum princeps* [*fuit*] *Salamiel, filius Surisaddai* »; v. 13 « *et cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quinquaginta novem millia trecenti* ». v. 14 « *In tribu Gad princeps* [*fuit*] *Eliasaph, filius Duel* »; v. 15 « *et cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quadraginta millia sexcenti quinquaginta* ». v. 16 « *Omnes, qui recensiti sunt in castris Ruben, centum quinquaginta millia et mille quadringenti quinquaginta; per turmas suas in secundo loco proficiscentur* ».

Levitae et arca v. 17.

v. 17 « *Levabitur autem tabernaculum testimonii per officia levitarum et turmas eorum* ». *Hebr. : et proficiscetur* post exercitum Ruben, quando erit proficiscendum, *tabernaculum testimonii, castra levitarum, in medio* quatuor *castrorum*. « *Quomodo erigetur, ita et deponetur. Singuli per loca et ordines suos proficiscentur* ». *Hebr. : Sicuti in castris erant dispositi, ita proficiscentur, unusquisque super manum suam,* — i. e. *in latere suo* et hinc *in loco suo* (*Chald.*) — *secundum vexilla sua.* Levitae eo adamussim ordine proficiscentur, quo in castris subsistebant, arcam habentes mediam eamque undique circumdantes. Ergo etiam levitae habebant vexillum, licet illud Ps. Ion. non duxerit describendum. Levitarum princeps est ipse Iahve.

Vexillum Ephraim v. 18-24.

v. 18 « *Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim, quorum princeps [fuit] Elisama, filius Ammiud* »; v. 19 « *cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quadraginta millia quingenti* ». v. 20 « *Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps [fuit] Gamaliel, filius Phadassur* »; v. 21 « *cunctusque exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, triginta duo millia ducenti* ». v. 22 « *In tribu filiorum Beniamin princeps [fuit] Abidan, filius Gedeonis* »; v. 23 « *et cunctus exercitus pugnatorum eius, qui recensiti sunt, triginta quinque millia quadringenti* ». v. 24 « *Omnes, qui numerati sunt in castris Ephraim, centum octo millia centum per turmas suas; tertii proficiscentur* ».

Vexillum Dan v. 25-31.

v. 25 « *Ad aquilonis partem castrametati sunt filii Dan, quorum princeps [fuit] Ahiezer, filius Ammisaddai* »; v. 26 « *cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, sexaginta duo millia septingenti* ». v. 27 « *Iuxta eum fixere tentoria de tribu Aser, quorum princeps [fuit] Phegiel, filius Ochran* »; v. 28 « *cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quadraginta millia et mille quingenti* ». v. 29 « *De tribu filiorum Nephthali princeps [fuit] Ahira, filius Enan* »; v. 30 « *cunctus exercitus pugnatorum eius quinquaginta tria millia quadringenti* ». v. 31 « *Omnes, qui numerati sunt in castris Dan, [fuerunt] centum quinquaginta septem millia sexcenti; et novissimi proficiscentur* ».

Divino alloquio adscribit clausulam v. 32 sq. narrator. v. 32 « *Hic numerus filiorum Israel per domos cognationum suarum* », i. e. patroeciarum, « *et turmas divisi exercitus* », — *Hebr. : et numerus castrorum exercituum eorum :* clausula trahi potest etiam ad Num. 1, probabilius trahenda est ad solum Num. 2, quod censum patroeciarum Num. 1 traditum repetit — « *sexcenta tria millia quingenti quinquaginta* ». Cf. 1,46. v. 33 « *Levitae autem non sunt numerati inter filios Israel; sic enim praeceperat Dominus Moysi* » 1,48 sqq. Simul verba efficiunt transitionem ad levitarum censum Num. 3, non utique militarem. Sequitur clausula v. 34 correspondens clausulae 1,54 : « *Feceruntque filii Israel iuxta omnia, quae mandaverat Dominus. Castrametati sunt per turmas suas* », — *Hebr. secundum vexilla sua* — « *et profecti per familias ac domos*

patrum suorum ». Non sunt tum immediate profecti, sed usus describitur, qui inde ab illo Dei mandato observabatur.

III. LEVITAE SACERDOTIBUS MINISTRI ASSIGNANTUR NUM. 3 SQ.

Levitae bis et diversa ratione numerantur, et ad duplicem quidem finem : alter est praecipuus et perpetuus, ut ministrent sacerdotibus in cultu tabernaculi (Num. 3), alter secundarius et praeteriens, ut portent sacra, potissimum in deserto (Num. 4). Qui finis exstructo postmodum templo desiit. Ministeriis tabernaculi addicuntur levitae inde ab unius mensis aetate, quando purificatis matribus ad sanctuarium praesentantur; portandis oneribus sacris addicuntur ab anno aetatis trigesimo. Prior numeratio repetitur Num. 26,57 sqq., altera ibi non repetitur, imo illa aetatis regula postmodum mutata est non semel (cf. ad 4,3).

1. *Levitae ministeriis sanctuarii addicuntur Num.* 3.

Arg. — Sacerdotum v. 1-4 elenchus illud etiam demonstrat, quam necessario fuerint sacerdotibus tam paucis adiutores. *Eloquio primo* v. 5-10 declarat Deus levitas, eosque solos, futuros esse sacerdotum in ministeriis sacris adiutores. *Eloquio secundo* v. 11-13 declarat eos ad eum honorem assumi ita, ut ministrent vice primogenitorum aliarum tribuum omnium, qui inde ab exodo Dei speciali titulo sint proprii; in cuius asserti testimonium suum versui 13 veluti sigillum affigit voces « Ego Iahve ». Duo hic erant praestanda : primum, ut levitae publice in locum primogenitorum sufficerentur; alterum, ut ad ministeria sacra consecrarentur. Hoc alterum postponebatur, quoad castra essent plene constituta, et peractum est 8,5-22. Prius illud statim praestabatur. Igitur *tertio eloquio* v. 14-40 praecepit Deus, ut numerarentur levitae ab uno mense et supra, simulque singularum cognationum in cultu tabernaculi officia descripsit. *Quarto eloquio* v. 40-43 mandavit Deus, ut numerarentur aliarum tribuum primogeniti, item ab uno mense et supra. *Quinto eloquio* tandem v. 44-51 indixit, ut levitae in locum illorum primogenitorum submitterentur, pro excessu vero numeri primogenitorum supra numerum levitarum Aaroni certa argenti summa penderetur. Ita legitime ministeriis sacris addicti sunt levitae; Deus autem hisce actis veluti sigillum suum affigit v. 41. 45 « Ego Iahve », ita ut ea formulae in toto cap. 3 iam habeatur numero sacro, ter.

Vox תולדת v. 1 eandem omnino significationem habet atque Gen. 5,1 : *posteritas*; pro qua h. l. v. 2 synonymum scribitur *filii*. Potuit utique auctor eam vocem scribens titulos Geneseos in mente habere. Sed aliquid plus subodoratur *Dillm.* : sc., quod v. 12 sq. levitas Deus loco primogenitorum Israelis sibi reservet, censet ille secundum systema Geneseos continuari iam seminis electi generationes in domo Aaron. Exodum esse librum a Genesi distinctum ostendebamus CEL p. 1; inter « generationes Iacob » Gen. 37,2 et « generationes Aaron » h. l. desiderantur generationes filiorum Israel aut certe generationes Levi; ergo illud Geneseos systema ad Numeros non pertingit. Secundum illud deberent item inde a Num. 3,1 omnium reliquorum filiorum Israel et Levi fata negligi (cf. CGp. 3). Levitae v. 12 sq. fiunt quidem compensatio seu redemptio pro primogenitis Israelis, at *iura* primogenitorum non nanciscuntur. Quae Iacob moriens Gen. 48,5 sq. transtulerat in Ioseph (CGp. 581); quod patriarchae factum semper ratum habuit Moyses, Ephraim et Manassen duas agnoscens tribus. Dicamus igitur nostrum auctorem ideo Num. 3,1 expressionem אלה תולדת selegisse, non quo Geneseos narrationem individue veluti continuaret, sed quod ea expressio illud adamussim ediceret, quod ipse enuntiare cupiebat.

Cap. III v. 1 « *Hae sunt generationes Aaron et Moysis in die, qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai* ». Eloquiis divinis praemittit auctor generationes Aaron et Moysis. Sapienter *qui* sint sacerdotes in mentem revocatur, ne horum aliquando levitae se aequales reputent. Potissimum vero his generationibus evidens redditur, solis tribus tum ordinariis sacerdotibus inter vivos degentibus, necessarium omnino fuisse, ut de ministris sacris provideretur. Sunt igitur eae generationes etiam defensio aliqua praerogativae levitis collatae. Ostendit porro auctor, quo loco illae generationes fuerint, *quando* levitae ad sacra ministeria fuere assumpti; quod ut praestet, recenset quot filios Aaron habuerit *in die*, quo prima e monte Sinai Deus oracula ediderit, et quot ex illis usque ad secundum mensem secundi anni morte amiserit. Praemittitur *Aaron*, non tam quod fuerit senior, nam alias Moyses saepe ante illum scribitur, sed quod eius tandem solius filii recenseantur, et quod fuerit caput sacerdotii ordinarii, dum Moyses esset sacerdos extraordinarius tantum. Sed cur adscribitur nomen *Moysis*, cuius nulli recensentur filii? Filii Moysis, Gersam et Eliezer, in Pentateucho quadamtenus ignorantur. Gersam Moyses conatus est, Deo non vocante, secum e Madianitide in Aegyptum deducere Ex. 4,20; eundem et Eliezer postmodum Ex. 18,3 sqq. suadente Iethrone recepit; deinceps silet de illis Pentateuchus; ex 1 Par. 23,15 sqq. discimus habitos esse reliquorum Caathitarum aequales; neque quidquam illustrius eorum posteri in populo Dei egere (Iud. 18.30; 1 Par. 26, 24 sqq.). Neque dicas cum *Men.*, Moysis nomen ideo h. l. adscribi, quod eius filii v. 27 includantur nomine Amramitarum. Verba « Hae

sunt generationes » referuntur solum ad v. 1-4, et non ad sequentia divina eloquia. Si ea referas ad v. 27, debebis aequo iure referre ad ceteros levitas v. 17-21, quorum tamen plerique ad eas « generationes » non pertinebant. Rationem adscripti nominis suggeram hanc. Sequentibus componuntur levitarum res, ubi Moysis nomen silentio non erat praetereundum; non poterat tantus vir inter simplices levitas recenseri aut Amramitarum v. 27 nomine tacite includi; non poterat filiis Aaron adnumerari : ergo eius nomen *honoris causa* nomini Aaron est adscriptum. Adde Moysen et Aaron fuisse duos veluti sacerdotii Aaronici parentes, hunc generatione naturali, illum potestate ordinationis. — v. 2 « *Et haec nomina filiorum Aaron : primogenitus eius Nadab, deinde Abiu et Eleazar et Ithamar* », de quibus nominibus diximus ad Ex. 6,23. v. 3 « *Haec nomina filiorum Aaron sacerdotum, qui uncti sunt* » (cf. ad Ex. 29,7) « *et quorum repletae* [*et consecratae*] *manus* » (cf. ad. Ex. 28,41), « *ut sacerdotio fungerentur* ». v. 4 « *Mortui sunt enim* » — copulam potius verte *autem* — « *Nadab et Abiu, cum offerrent ignem alienum in conspectu Domini in deserto Sinai, absque liberis* » (Lev. 10; 1 Par. 24,2); « *functique sunt sacerdotio Eleazar et Ithamar coram Aaron patre suo* ». Verte *praeter Aaron*, uti Ex. 20,3; praeter Aaron non erant nisi duo illi sacerdotes.

Eloquium 1. : Levitae ministri sanctuarii designantur Num. 3,5-10.

v. 5 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 6 « *Applica* », i. e. adduc, « *tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei* », — Deus proxime *Aaroni* adiutores procurat, mediate filiis et posteris; honorat et solatur virum, qui duobus filiis uno die interemptis, fide firmus perseveraverat — « *et excubent* », v. 7 « *et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii* », v. 8 « *et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio eius* ». Levitarum officium primum generalius exprimitur *et ministrent ei;* שרת dicitur de servitio honorifico, imprimis sacro. Dein explicatur officium : cuius locus est v. 7 *coram tabernaculo foederis,* cuius opus est v. 7 sq. *servire servitium habitaculi,* cultui tabernaculi per omnia servire seu, enumerando partes, *observare observantiam eius* (Aaronis) *et observantiam totius ecclesiae* (v. 7), et rursum *observare omnia vasa tabernaculi testimonii et observantiam filiorum Israel* (v. 8). Ergo : servient Aaroni in operibus cultus, itemque iis omnibus, qui religionis causa ad habitaculum sanctum accedent; servient item vasis altaris, qua-

tenus sacerdotes vel fideles illis opus habebunt. v. 9 « *Dabisque dono levitas* » v. 10 « *Aaron et filiis eius, quibus traditi sunt a filiis Israel* ». Pro *dono, quibus traditi sunt etc., Hebr. : donum, donum de filiis Israel.* Non enim filii Israel dant, sed Moyses ipsis non rogatis (v. 12). Inculcat porro Deus non levitas, sed solos Aaronitas sacerdotio esse functuros : « *Aaron autem et filios eius constitues super cultum sacerdotii* ». Sed *Hebr. : numerabis, et observabunt sacerdotium suum.* Constituti iam fuerant antea (v. 3), sed nondum numerati, quae numeratio hic generatim annuntiatur, singula postea explicantur. Finis numerationis sacerdotum non est, ut quot sint armis gestandis pares demonstretur, sed ut nominibus Aaron duorumque filiorum ac eorum deinceps posterorum in elenchum collatis, authentico documento definiri queat, qui sint sacerdotes quive non. « *Externus, qui [ad ministrandum] accesserit, morietur* ». Quem *externum* interpretatur *Sa* « non aaronitam », ut igitur moneantur levitae, ne sibi sacerdotium arrogare attentent; de quo cf. cap. 16 sqq. Melius *Cai.* interpretatur « non levitam » : etiam v. 6 קרב de levitis praedicabatur et aequum erat, ut vel primo hoc divino eloquio illud enuntiaretur, *solos* levitas ad ministeria sacra admitti. Videtur idem sentire *Vulg.* supplens verbum *ministrandi*, quo eadem v. 6. 8 officia levitarum exprimit, dum v. 10 officia sacerdotum exprimit voce *cultum.* At, quomodo *morietur* ille? « Iudicis sententia », ait *Vat.;* tamen Hebraei prae oculis habentes factum Lev. 10 vix non poterant cogitare de portento quodam divino (*Ps. Ion.*).

Eloquium 2. : Levitae loco primogenitorum assumi declarantur Num. 3,11-13.

v. 11 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* »; v. 12 « *Ego tuli levitas a filiis Israel* » — *Hebr. : de medio f. I.* — « *pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel* ». Praeteritum verbi potes referre ad decretum v. 13 in ipsa exodo, seu ratione ipsius exodi ante conceptum; referes tamen verius ad praesentem decreti exsecutionem, cuius decreti irrevocabilem firmitatem ea verbi forma exprimit. Sequitur apud *Sam.* (cf. *LXX*) פדויהם יהיו, *redemptio vestra erunt.* « *Eruntque levitae mei* ». Deo decretum promulgante causa finita est. At, cur redemptioni *primogenitorum* potius est locus, quam eorum qui serius nascuntur, cum tamen nati omnes pariter subsint dominio Dei? Rationem accipe : v. 13 « *Meum est enim omne primogenitum* » speciali titulo : « *ex quo* », seu verius *quando,* « *percussi primogenitos in terra Aegypti, sanctificavi mihi* », « retinui mihi

tamquam rem sacram » (*Sa*), « *quidquid primum nascitur in Israel ab homine usque ad pecus. Mei sunt* ». Sed in populo, qui vitam vivebat patriarchalem, ubi instituta omnia e familia efflorescerent, non poterant sapienter primogeniti quique e suis familiis ad ministeria sanctuarii transferri. Quare Deus sapienter redemptionem adhibuit, qua familiae omnes intactae manerent tam Levitarum quam reliquarum tribuum. « *Ego Dominus* ».

Rationes, cur praecise tribus Levi sit selecta, affert *Sylv.* eius in superstitione vituli aurei Ex. 32 reprimenda zelum; dein, « quia tribus Levi erat minor ceteris ideoque facile poterat ali a populo, et alia ex parte ipsa sufficiens erat ad ministeria tabernaculi obeunda ». Haec ratio certe valebat in deserto. Ratio princeps fuit libera Dei electio.

Eloquium 3. : Levitae numerantur Num. 3,14-39.

V. 15-38 est *unum eloquium divinum*, cui aliqua numerationem spectantia non satis apte inserta sunt, non vero habetur inde a v. 16 una continua peractae numerationis narratio. Esse eloquium divinum rerum faciendarum, non factarum narrationem, probant primum *verba formae futurae* ויחנו v. 23.29.35 (quare etiam v. 38 *Vulg.* והחנים recte vertit « castrametabuntur »); ישרתו v. 31 (*Vulg.* « ministratur »). Alias *Vulg.* verba formae futurae merito *supplevit :* v. 32 « erit », v. 33.36 « erunt », v. 27 « habebit », v. 28 « habebunt excubias » pro « excubantes », v. 31 « custodient » pro « custodia eorum ». Vulg. certe non sentiebat totam inde a v. 16 pericopen esse rerum factarum narrationem. Qui castrorum locus, quae in castris officia singulis levitarum familiis cederent, debebat sane *Deus* ipse *primus* ad Moysen proloqui, qui cap. 2 singulis in castris tribubus locum assignaverat, et cap. 4 quid singulae levitarum familiae in itinere portare debeant ipse definit. Verba v. 38 « Quisquis alienus accesserit, morietur » debuere ex ore Dei proficisci, et *claudunt* hoc eloquium divinum, uti alterum eloquium divinum claudebant verba v. 10 « Externus, qui accesserit, morietur ». — Sed huic eloquio divino inserta sunt alia, quae ab illo evidenter sunt aliena. Primum v. 16 sq., qui sunt historici. Vix supponi potest Deus Moysi recitasse elenchum levitarum v. 18-20. Non potest Deus supponi, postquam Moysen v. 15 iussit numerare levitas, ipse illico recitasse eorum numeros v. 22.28.34. Merito igitur *Vulg.* v. 22 hebraeum explicavit forma verbi perfecta, uti etiam extremis v. 27.33 incisis, quae Hebr. trahit ad v. 28.34.

Rem ita puto componi posse. Erat primitus unum continuum Dei eloquium v. 15.21.23-27 (sec. Hebr.). 29-33 (sec. Hebr.). 35-38, quod concludebatur v. 39, cui fortasse praemittebatur v. 16. Fuit postmodum qui opinatus est, uti mandato v. 10 (cf. Hebr.) numerandorum *sacerdotum* praemittatur v. 2-4 *elenchus sacerdotum*, ita mandato v. 15-38 numerandorum *levitarum* addendum esse *elenchum levitarum*; et, quod non perspiceret v. 15-38 esse eloquium divinum, suum elenchum v. 18-20 ipsi divino eloquio assuit; item assuit v. 22.28.34 summas aliquas particulares, de quibus vide quae post v. 39 dicturi sumus.

v. 14 « *Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai dicens* » : — quod hoc alloquium, uti illud 1,1, sit de numeratione populi, ideo

hic quoque adscribuntur voces *in deserto Sinai* (*Dillm.*) — v. 15 « *Numera filios Levi per domus patrum suorum et familias, omnem masculum ab uno mense et supra* ». Non dicitur h. l. numeratio facienda esse per *capita*, licet sine dubio ita facta sit. Non enim oportebat levitarum censum esse minus accuratum censu reliquarum tribuum. Quod v. 27. 33 habet de « nominibus », est additamentum Vulg.; sed *nomina* habes v. 17. Cur *ab uno mense?* Quia tum tandem purificabantur matres (*Malv.*); quia primogeniti reliquarum tribuum, in quorum locum subintrabant levitae, ea aetate redimebantur Num. 18,16 (*Sylv.*); quia ab ea tum aetate habebatur numerus levitarum fere aequalis numero primogenitorum, qui tum erant redimendi (*Sylv.*). v. 16 « *Numeravit Moyses, ut praeceperat Dominus* », v. 17 « *et inventi sunt filii Levi per nomina sua : Gerson et Caath et Merari* ». v. 18 « *Filii Gerson : Lebni et Semei* ». v. 19 « *Filii Caath : Amram et Iesaar, Hebron et Oziel* ». v. 20 « *Filii Merari : Moholi et Musi* ». Cf. Gen. 46,11 et Ex. 6,16-19.

Gersonitae v. 21-26. — v. 21 » *De Gerson* [*fuere*] *familiae* [*duae*], *Lebnitica et Semeitica* ». Reliqui textus addunt : *Hae sunt familiae Gersonitarum*. v. 22 « *Quarum numeratus est populus sexus masculini ab uno mense et supra septem millia quingenti* ». v. 23 « *Hi post tabernaculum metabuntur ad occidentem* », v. 24 « *sub principe Eliasaph, filio Lael* ». *Hebr. : Et princeps patroeciae Gerson,* et hinc totius cognationis, etc. v. 25 « *Et habebunt excubias* » — *Hebr. : et ministerium filiorum Gerson* — « *in tabernaculo foederis* » v. 26 « *ipsum* » — *Hebr.* inserit *habitaculum,* quod merito ignorant reliqui, cum illud v. 36 curae Meraritarum committatur — « *tabernaculum et* » — hanc copulam omnes habent praeter *Hebr.*, etiam aliqui codices hebraei apud *de Rossi* — « *operimentum eius* » (Ex. 26,14), « *tentorium* [*quod trahitur*] *ante fores tecti foederis* » (Ex. 26,36) « *et cortinas atrii, tentorium quoque* [*quod appenditur*] *in introitu atrii tabernaculi* » (Ex. 27,9. 16), « [*et*] *quidquid ad ritum altaris pertinet* », — delenda copula; est appositio ad *atrii,* sc. *quod iungitur habitaculo et altari circum*, quod illa circumplectitur — « *funes tabernaculi* » (Ex. 35,18) « *et omnia utensilia eius* ». Rursum abundat copula. לכל עבדתו (Ex. 27,19) = *quoad omnem usum eius :* quidquid in rebus v. 25 sq. praestandum erit, praestabunt Gersonitae, emendabunt etc.

V. 31.36 legunt omnes וכל עבדתו. Ergo : procurabunt recensitas res *et* omnem usum earum. Sensus manet idem. — Quoad nomina propria cap. 3 : אליסף v. 24 idem est nomen atque 1,14. Pro לאל, *LXX* Δαήλ, *Syr.* אליאב (!). אליצפן 1 Par. 15,8; 2 Par. 29,13, aliis locis scribitur אלצפן Ex. 6,22; Lev. 10,4. אלעזר Ex. 6,23 : nomen, quod plures habuere viri. צוריאל. אביחיל, nomen Gaditae cuiusdam 1 Par. 5,14 et

Beniaminitae, patris Esther Est. 2,15; 9,29. In nominibus priorum post Levi generationum non habetur nomen divinum; sed principum a Moyse institutorum omnium nomina habent nomen אל : Eliasaph, Elisaphan, Eleazar, Suriel; item patrum duorum Lael vel Dael et Oziel, dum nomen Aaron fortasse est aegyptium origine, Abihaiel vero a nomine divino non est petitum.

CAATHITAE v. 27-32. — v. 27 « [*Cognatio*] *Caath habebit populos Amramitas et Iesaaritas et Hebronitas et Ozielitas. Hae sunt familiae Caathitarum* [*recensitae*] *per nomina sua* ». Pro *cognatio*, *populos*, *familiae* eandem semper vocem *Hebr.* habet : משפחת. Loco *per nomina sua* scribe *pro numero;* ante quam vocem, uti v. 22. 34, cum *Syro* restituas ופקדיהם vocemque trahas adv. 28 : *Et computus eorum in numero* « *omnes generis masculini ab uno mense et supra, octo millia sexcenti; habebunt excubias sanctuarii* », *Hebr. ministrabunt in ministerio sanctuarii.* v. 29 « *Et castrametabuntur ad meridianam plagam* », v. 30 « *principesque eorum erit Elisaphan, filius Oziel* ». v. 31 « *Et custodient arcam mensamque et candelabrum, altaria et vasa sanctuarii, in quibus ministratur, et velum, cunctamque huiuscemodi supellectilem* ». Secundum v. 26 verte *et omnem usum eius,* et explica uti ib. v. 32 « *Princeps autem principum levitarum Eleazar, filius Aaron sacerdotis, erit super excubitores custodiae sanctuarii* ». Cf. 4, 16. Ithamar praefectum esse Gersonitis et Meraritis, doceris 4,28. 33. Ex his inferas eos etiam, qui Num. 1 sq. recensebantur, singularum tribuum principes fuisse principes principum seu principes chiliarcharum.

Hebr. Sam. : פקדת שמרי משמרת הקדש. Sed reliqui legebant participium פקד : *recensens custodes custodiae sanctuarii* (cf. v. 25. 31. 36), ergo illis *praefectus*. Praefecti enim erat, suos quotidie subditos recensere, ne quis eorum se subduceret. — *Sam.* v. 31 ante duas ultimas voces inserit והכיור וכנו, *et lebetem et basin eius* (Ex. 30,18). Etiam haec censebat curae quorumdam levitarum fuisse committenda. Porro 4,14 *Sam.* habet additamentum huic correspondens : ולקחו בגד ארגמן וכסו את הכיור ואת כנו ונתנו אתם אל מכסה עור תחש ונתנו אל המוט. Idemque ib. habent *LXX* : καὶ λήψονται ἱμάτιον πορφυροῦν, καί συγκαλύψουσι τὸν λουτῆρα καὶ τὴν βάσιν αὐτοῦ, καὶ ἐμβαλοῦσιν αὐτὸ εἰς κάλυμμα δερμάτινον ὑακίνθινον, καὶ ἐπιθήσουσιν ἐπὶ ἀναφορεῖς. Fuere igitur tempore perantiquo aliqui, qui mentionem lebetis eiusque basis 4,14 omnino supplendam esse censuere et suppleverunt; pauciores apographi eandem item 3,31 supplevere.

MERARITAE v. 33-37. — v. 33 « *At vero de Merari erunt populi Moholitae et Musitae, recensiti* [*per nomina sua*] ». Reliqui similiter atque v. 21. 27 : *De Merari cognatio Moholi et cognatio Musi : hae cognationes Merari.* Dein (cf. v. 27) ultima vox trahitur ad v. 34 : *Et computus eorum in numero,* « *omnes generis masculini ab uno mense*

et supra, sex millia ducenti ». v. 35 « *Princeps eorum Suriel, filius Abihaiel; in plaga septentrionali castrametabuntur* ». v. 36 « *Erunt sub custodia eorum tabulae tabernaculi et vectes, et columnae ac bases earum et omnia, quae ad cultum huiuscemodi pertinent* », — *et omnis usus eius, Sam. LXX eorum :* exspectabas hanc expressionem h. l. inserendam post v. 37 (cf. v. 26. 31) — v. 37 « *columnaeque atrii per circuitum cum basibus suis, et paxilli cum funibus* ».

Sacerdotes v. 38. — v. 38 « *Castrametabuntur ante tabernaculum foederis, id est ad orientalem plagam, Moyses et Aaron cum filiis suis, habentes custodiam sanctuarii* » (*Sam.* הקדש pro מקדש) « *in medio filiorum Israel* ». *Hebr. : praeter custodiam filiorum Israel.* Cum levitae in locum primogenitorum totius Israelis subintrassent, eorum custodia erat *custodia filiorum Israelis,* custodientium sanctuarium veluti per custodiam primogenitorum suorum. Sacerdotes vero custodiebant sanctuarium non tamquam custodes a populo subministrati, sed tamquam *sacerdotes* a Deo electi (cf. v. 10). Hinc, uti v. 10, additur : « *quisquis alienus* », non aaronita, « *accesserit, morietur* ».

v. 39 summam tradit omnium Levitarum, demptis Aaronitis : « *Omnes levitae, quos numeraverunt Moyses et Aaron iuxta praeceptum Domini, per familias suas in genere masculino, a mense uno et supra, fuerunt viginti duo millia* ».

In hac summa non connumerantur *sacerdotes :* sc. non ipsi, sed soli levitae non sacerdotes accipiuntur pro redemptione primogenitorum aliarum tribuum. Ceterum v. 22. 28. 34 summae 7.500, 8.600, 6.200 additae non efficiunt 22.000 sed 22.300; quae summa plane irritat computum v. 46 sqq., qui supponit levitas pauciores numero fuisse primogenitis, dum summa 22.300 eos exhibet fuisse plures. Suggerebat *Lyr.*, eorum 22.300 trecentos fuisse primogenitos : hos Deum sibi tamquam primogenitos vindicasse, non vero tamquam redemptionem aliorum primogenitorum. Tamen Deus iterato affirmat se levitas accepturum esse tamquam redemptionem, nulla primogenitorum et non primogenitorum facta distinctione; v. 39 profitetur se summam tradere *omnium* levitarum, imo *Hebr.* habet *omnium numeratorum levitarum :* nomine *numeratorum* Num. 1 sq. intelliguntur universi, sive primogeniti fuerint sive non : cur non eodem sensu intelligatur eadem vox 4,39? Suggerit *Houbigant*, v. 28 pro שש legendum שלש; ergo 8.300. Profecto 7.500 + 8.300 + 6.200 = 22.000. Ei coniecturae ne assentiamur, sequenti movemur ratione. Summae hae omnes, uti etiam summae 22.300 et (26,62) 23.000 sunt *rotundae* suntque omnino aequiparandae summis tribuum Num. 1 sq. 26, quae item sunt rotundae. Atqui utriusque numerationis summas omnes et singulas non fuisse rotundas, et per se patet, et invicte probatur summa 22.273 (3,43), quae non est rotunda sed ideo describebatur, quia secus computus ib. esset evidenter falsus. Censeo igitur computum illum esse genuinum, numerum primogenitorum revera 273 excessisse numerum levitarum, pensos esse revera siclos 1.365 : haec profecto pro genuinis accipio, numeros vero illos pro dubiis; de quibus cf. quae dicentur de numeris Hebraeorum. Reapse numeri in sacris

textibus quandoque consilio mutati esse deprehenduntur (cf. Gen. 5 et 11 secundum Hebr. Sam. LXX), imo ad v. 32 notabamus, etiam ab aliis textus mutationibus non semper resiluisse Sam. LXX.

Eloquium 4. : Primogeniti numerantur Num. 3,40-43.

Absoluta levitarum numeratione, duobus extremis eloquiis explicat Deus, quomodo levitae in locum primogenitorum reliquarum tribuum (v. 12) subintrent. Sc. computatur v. 40-43 numerus primogenitorum reliquarum tribuum, dein v. 44-51 levitae 22.000 Deo attribuuntur pro redemptione totidem primogenitorum, reliqui vero qui supersunt 273 primogeniti redimuntur quinis siclis. v. 40 « *Et ait Dominus ad Moysen : Numera primogenitos sexus masculini de filiis Israel ab uno mense et supra, et habebis summam eorum* ». *Hebr. : et tolle numerum nominum eorum;* fac elenchum nominum, et ex eo numerum primogenitorum supputa. Cf. quae ad v. 15 dicebamus de levitis nominibus suis recensendis. v. 41 « *Tollesque levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel. Ego* [*sum*] *Dominus. Et pecora eorum pro universis primogenitis pecorum filiorum Israel* ». v. 42 « *Recensuit Moyses, sicut praeceperat Dominus, primogenitos filiorum Israel* », v. 43 « *et fuerunt masculi per nomina sua, a mense uno et supra, viginti duo millia ducenti septuaginta tres* ».

Pecora non numerantur (*Aug.*). Rationes assignat *Sylv.*, quod difficilius discernebantur primogenita pecorum, et quod vellet Deus declarare, se pluris facere homines quam pecora.

Eloquium 5. : Levitae in locum primogenitorum sufficiuntur Num. 3,44-51.

v. 44 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 45 « *Tolle levitas pro primogenitis filiorum Israel, et pecora levitarum pro pecoribus eorum, eruntque levitae mei. Ego* [*sum*] *Dominus* ». v. 46 « *In pretio autem ducentorum septuaginta trium, qui excedunt* [*numerum*] *levitarum de primogenitis filiorum Israel* », (22.273 — 22.000 = 273), v. 47 « *accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram sanctuarii* », siclos ponderis accuratissimi (cf. quae dicebamus ad Ex. 30,13; quinque sicli argenti valore aequabant fere 14 fr. 65). « *Siclus habet viginti obolos* » (cf. ib.). Sententiola potuit vel a Deo proferri, vel a Moyse vel a recentiore aliquo explicationis gratia adscribi. v. 48 « *Dabisque pecuniam Aaron et filiis eius pretium eorum, qui supra sunt* ».

Divinum mandatum exsecutioni mandatur. Uti antea summae tra-

debantur (1,46; 2,32; 3,39), ita v. 50 traditur summa pecuniae. v. 49 « *Tulit igitur Moyses pecuniam eorum, qui fuerant amplius et quos redemerant a levitis* », v. 50 « *pro primogenitis filiorum Israel, mille trecentorum sexaginta quinque siclorum* » (273 × 5 = 1.365) « *iuxta pondus sanctuarii* », v. 51 « *et dedit eam Aaron et filiis eius iuxta verbum, quod praeceperat sibi Dominus* ».

Quomodo determinabatur, quinam primogenitorum pecuniam solverent, quive non? *Sylv.* suggerit, id iactis sortibus esse definitum. Silente Scriptura prudentius nihil affirmamus. — Qui postmodum nascebantur levitae toti ad Deum pertinebant (*Aug.*), « sicut fructus arboris sunt eius, qui dominus est arboris » (*Bonfr.*). Ideo, qui postmodum nascebantur aliarum tribuum primogeniti *omnes* pretio redimebantur (18,15 sqq.). Commutatio tantum hac prima vice adhibita est, quo vividius intelligerent Hebraei, quo potissimum iure levitae Dei essent suisque fruerentur privilegiis. Cf. *Sylv.*

2. *Levitae portandis oneribus sacris addicuntur Num. 4.*

Census Num. 3 habebatur, cum ut sacra ministeria a levitis *in castris* obeunda definirentur, quae, quod maiorem partem leviora essent, non solis viris a 30° anno et supra committebantur, tum ut numerus levitarum disceretur pro redemptione v. 40 sqq. facienda. Levitarum in castris officia brevius expediebantur, quod aut solis sacerdotibus iuvandis constarent aut accessoriis quibusdam laboribus (emendare, mundare etc.). Erat autem unus labor, non in castris sed *in itinere* persolvendus, quique, cum imprimis in deserto esset supremi momenti, *solis* levitis incumbebat : *portare res sacras*. Hic iam labor distinctius explicatur. Cognationes recensentur non uti Num. 3 ordine originis (Gerson, Caath, Merari; cf. Ex. 6,16), sed ordine dignitatis (Caath, Gerson, Merari). Caathitae, quibus res sacerrimae portandae committuntur, habent eloquia duo, non ad solum Moysen sed item ad Aaron directa, cum ob rei gravitatem, tum quod Aaron esset Caathitarum caput.

a. Divina de Caathitis eloquia Num. 4,1-20.

Eloquium primum v. 1-16.

Arg. — Numerari iubentur v. 2 sq. Res sacrosanctas soli Aaronitae involucris obvolvant, vectes gestatorios inserant v. 3-14. Dein Caathitae portent; quorum princeps Eleazar v. 15 sq.

Cap. IV v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron dicens* » : v. 2 « *Tolle summam filiorum Caath de medio levitarum per domos et familias suas* »; reliqui : *per cognationes suas, per*

patroecias suas; v. 3 « *a trigesimo anno et supra usque ad quinquagesimum annum, omnium qui ingrediuntur, ut stent et ministrent in tabernaculo foederis* ».

8,24 sq. levitae ministrare scribuntur ab anno 25° ad 50um. Quare *LXX* etiam 4,3. 23. 30. 43. 47 correxere annum 25um. Correctione non videtur esse opus, sed uterque numerus defendi potest. Num. 4 agitur de levitis robustioribus deputatis *ad faciendum opus in tabernaculo*, quod opus cum toto contextu tum explicitis verbis v. 47.49 perspicitur fuisse opus onerum *portandorum* (*Cai.*) : de hoc operis genere Num. 8 non est sermo, sed praecedit v. 5 sqq. mandatum levitarum *consecrandorum* (*Sylv.*); atqui ad consecrationem accipiendam non tanta, quanta ad portanda onera, aetas requiritur et robur. Praeterea nescimus, quantum tempus intercesserit inter Num. 4 et 8 (cum 1,1 cf. 9,1). Potuit fieri, ut Deus legem Num. 4 latam aliquamdiu post mutaret, auctis levitarum ministeriis, aut quo labor in plures divisus et levius ferretur et dignius perficeretur. Qua mutatione indicabat simul Deus, illum aetatis limitem non esse immutabilem, sed pro necessitate temporum variandum. Quem reapse variavit ipse David, qui pridem 1 Par. 23,3 levitas numeraverat ab anno 30°; sed ubi in locum onerum portandorum successere cantus et chori, numeravit eosdem (ib. v. 24 sqq.) ab anno non solum 25°, sed imo 20°. Iuvenum quippe flexibiliores sunt artus vocesque suaviores. Ergo correctione numerorum non est opus. Sicut 1,3 etc. dicebantur bellatores *egredi per turmas*, ita etiam 4,3. 23. 30; 8,24 levitae : sic opponitur militia sacra militiae profanae (*Sylv.*).

v. 4 « *Hic est cultus filiorum Caath : tabernaculum foederis* [*et*] *sanctum sanctorum* ». Sed reliqui : *Hic est cultus f. C. in tabernaculo conventus : sanctum sanctorum.* Sancti sanctorum ipsis cura commissa est. Quae vox עבדה 3,26. 31. 36 *usum* rerum designabat, eadem nunc usum ministrorum exprimit, ergo cultum, *officium*. Eius officii pars prior est, ne ipsi ad portandum accedant, donec sacerdotes res sacras involverint : v. 5 « *Ingredientur Aaron et filii eius, quando movenda sunt castra, et deponent velum, quod pendet* [*ante fores*] » sancti sanctorum (Ex. 26,31; 35,12), « *involventque eo arcam testimonii* », v. 6 « *et operient rursum velamine ianthinarum pellium* », de quibus dicebamus ad Ex. 25,5; cf. 26,14; « *extendentque desuper pallium totum hyacinthinum, et inducent vectes* ». Illud velamen ianthinum non est idem, quo Ex. 26,14 tabernaculum tegebatur, quodque Num. 4,25 Gersonitae deferebant (*Bonfr.*). Res quaevis sacra velo aliquo ianthino obvolvebatur.

Arca et mensa v. 7 sq. trina habebant involucra, quo certius a profanorum obtutu removerentur; ceterae res sacrae bina. Quarum involucrum exterius erat ianthinum (v. 8. 10. 11. 12. 14), solius arcae hyacinthinum, ut ea vel ipso exterioris involucri colore a reliquis discerneretur. Harum e contra involucrum interius erat hyacinthinum (v. 7. 9. 11. 12), praeter altaris holocausti (v. 13), quod purpura sanguinis colorem imitabatur. — Quomodo dicuntur *induci vectes*, qui Ex. 25,15 vetabantur un-

quam extrahi? Expressio eundem sensum habeat oportet, quem eadem habet v. 8. 11. 14, et simul eundem atque Ex. 25,13 sq. 27 sq.; 27,6 sq.; 30,4 sq. Non agitur de variis illis palliis circa vectes disponendis (*Men.*), ita ut vectes commode humeris imponi possent. Non agitur de feretro aliquo vel plaustro (*Calm.*), cui arca una cum suis vectibus imponeretur. Quibus utique adversantur *Vulg. inducent*, et *LXX* διεμβαλοῦσι. Et nota eiusmodi plaustris, si ea omnino adhiberentur, multo magis opus fuisse ad candelabrum, labrum aeneum (sec. *Sam. LXX* v. 14) et minora utensilia portanda, pro quibus nulli haberentur vectes : atqui pro illis v. 10.12.14 non scribitur ושמו (את) בדיו, sed ונתנו על המוט; ergo בד his locis certe non designat plaustra, sed vectes. Perpenso igitur textu Ex. 25,15 veri simillima mihi videtur responsio, expressionem illam ad imitationem v. 8. 11. 14 irrepsisse in versum 6, antiquissimo utique tempore, cum ea nunc in textibus universis deprehendatur. — מוט pariter atque בד vertunt *LXX* ἀναφορεῖς, *Vulg. vectes*; atque ita verti posse evincit 1 Par. 15,15 (cf. Num. 13,24 [23]). *Cai.* sibi finxit candelabrum aliaque utensilia pannis involuta, eamque sarcinam transmisso vecte humeris portatam : an ita portari potuit labrum aeneum? Cum nostris textibus מוט a בד tam accurate distinguatur, illud commodius interpretabimur feretrum seu plaustrum.

v. 7 « *Mensam quoque propositionis involvent hyacinthino pallio, et ponent cum ea thuribula et mortariola, cyathos et crateres ad liba* [*fundenda*] *: panes semper in ea erunt* ». Cf. ad Ex. 25,29. v. 8 « *Extendentque desuper pallium coccineum, quod rursum operient velamento ianthinarum pellium, et inducent vectes* ». v. 9 « *Sument et pallium hyacinthinum, quo operient candelabrum cum lucernis et forcipibus suis et emunctoriis et cunctis vasis olei, quae ad concinnandas lucernas necessaria sunt* ». Cf. ad Ex. 25,38. v. 10 « *Et super omnia ponent operimentum ianthinarum pellium et inducent vectes* ». v. 11 « *Nec non et altare aureum involvent hyacinthino vestimento, et extendent desuper operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes* ». Cf. ad Ex. 30,1; 39,38; 40. 5. 26. v. 12 « *Omnia vasa, quibus ministratur in sanctuario, involvent hyacinthino pallio, et extendent desuper operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes* ». v. 13 « *Sed et altare* » holocaustorum « *mundabunt cinere et involvent illud purpureo vestimento* », v. 14 « *ponentque cum eo omnia vasa, quibus in ministerio eius utuntur,* [*i. e.*] *ignium receptacula, fuscinulas ac tridentes, uncinas et batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine ianthinarum pellium, et inducent vectes* ».

Tandem, quae ipsis Caathitis praestanda sunt, describuntur. v. 15 « *Cumque involverint* » — *Hebr. : involvere finierint,* non antea — « *Aaron et filii eius sanctuarium et omnia vasa eius in commotione* », profectione « *castrorum, tunc* » — *Hebr. postea* — « *intrabunt filii Caath, ut portent* [*involuta*]. *Et non tangent* [*vasa*] *sanctuarii* », *Hebr. sanctuarium*, uti immediate antea, ullam e rebus

sanctis v. 4 sqq. enumeratis, « *ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo foederis* », seu quoad illud.

Oneribus Caathitarum adnectitur v. 16 ac veluti opponitur *cura* Eleazari, qui 3,32, non vero h. l. levitis praeesse scribebatur. Ipsa vox discrimen suggerit, ut Caathitae sua quidem onera tenerentur portare ipsi, Eleazar vero non teneretur, quae v. 16 enumerantur, ipse suis manibus portare, sed per alios. Imo explicite ne iubetur quidem Eleazar id praestare per Caathitas aut levitas, licet sine dubio eorum opera usus sit. Cf. *Bonfr.* — v. 16 « [*Super quos erit*] *Eleazar, filius Aaron sacerdotis, ad cuius curam pertinet oleum in concinnandas lucernas* » (Ex. 27,20), « *et compositionis incensum* » seu thymiama (Ex. 30,34), « *et sacrificium, quod semper offertur* », — *Hebr. mincha* : agitur de simila pro mincha quotidiana (Ex. 29,40; Lev. 6, 14-18) offerenda, cuius aliquam semper copiam praesto esse oportebat (*Bonfr.*) — « *et oleum unctionis* » (Ex. 30,23 sqq.), « [*et*] *quidquid ad cultum tabernaculi pertinet omniumque vasorum, quae in sanctuario sunt* ». Copulam perperam inserit *Vulg.*; quae sequuntur, sunt « clausula generalis ad comprehendendum omnia commissa curae Eleazar » (*Cai.*) : *cura totius habitaculi omniumque, quae in illo erant, rerum sacrarum et utensilium*, haec omnia Eleazarum spectabant, sive h. l. enumerarentur, sive non.

Sententia facile fluit (c. *Dillm.*), si advertas *mincham* h. l. intelligi non ipsum sacrificium incruentum, sed eius materiam similam. v. 4-15 recensebantur ea, quae solemni agmine erant deportanda, v. 16 quae utique etiam erant deportanda, modo tamen non solemni, per ministros non turmis distinctos etc. Ceterum v. 16 invicte probat, in ea certe peregrinationis per desertum parte offerri consuevisse in Hebraeorum castris sacrificium quotidianum; cf. quae ad Am. 5,25 dicebamus CEL p. 21. — Ignis sacer certe non ardebat in altari holocaustorum (*Calm.*), dum illud palliis involutum deferretur. An iam tum in vase aliquo deferretur, ignoramus. Cf. ad Lev. 6,12 sq. — Quando increvere numero sacerdotes, gestavere ipsi arcam Deut. 31,9 : ergo, quae levitis h. l. attribuuntur officia, non ita eorum erant propria, ut non possent etiam a sacerdotibus impleri, sed excludebantur non levitae.

Eloquium secundum v. 17-20.

Arg. — Caathitis violenta mors indicitur, si quid sacrorum portandorum non involutum aspexerint. In qua tamen re oneratur conscientia sacerdotum : ipsorum est, ut ea lex observetur curare ; ipsis imputabitur, quidquid adversi Caathitis acciderit.

v. 17 « *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron dicens* » : v. 18 « *Nolite perdere populum Caath de medio levitarum* ». *Hebr. : vir-*

gam cognationis Caath : hanc virgam *exscindent* Aaronitae, si patiantur Caathitas sancta attingere vel contueri. v. 19 « *Sed hoc facite eis, ut vivant et non moriantur, si tetigerint sancta sanctorum* ». Cum mox non de *attactu* solum, sed item de *obtutu* agatur, melius נגש accipias nativa significatione *accedendi* (*LXX Chald. Syr.*). « *Aaron et filii eius intrabunt, ipsique disponent opera singulorum et divident, quid portare quis debeat* ». *Hebr. : et applicabunt singulos ad officium suum et ad onus suum.* Caathitae non sponte quidquam attingant, sed exspectent quoad a sacerdotibus vectibus admoveantur. Ita praecludebatur omnis indecora contentio unius officii vel loci prae alio obtinendi. v. 20 « [*Alii*] *nulla curiositate videant,* [*quae sunt in*] *sanctuario,* [*priusquam involvantur*], *alioquin morientur* ». Expungendi *alii :* agitur rursum de solis Caathitis.

כבלע, *sicut cum aliquis deglutit*, brevissimo tempore, ergo *vel momento*, *LXX* ἐξάπινα. Haec versio videtur latere in *Vulgatae* vocibus *nulla curiositate*. Sed hanc versionem confudit *Vulg.* cum altera versione *Targ. : quando involvuntur* (deglutiuntur!) *vasa sanctuarii;* seu *priusquam involvantur.* Sed quod prohibentur facere Caathitae est, ne, si quid sacrorum nondum sit plene involutum, vel pro momento oculos in illud figant; vel ne ingrediantur non vocati *ad videndum.*

b. Divinum de Gersonitis et Meraritis eloquium Num. 4,21-33.

Arg. — Numerari iubentur, officia describuntur, Ithamar eis praeficitur.

v. 21 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 22 « *Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos* [*ac familias*] *et cognationes suas* », v. 23 « *a triginta annis et supra usque ad annos quinquaginta. Numera omnes, qui ingrediuntur et ministrant in tabernaculo foederis* ». *Hebr. : qui ingrediuntur turmatim ad ministrandum etc.* v. 24 « *Hoc est officium familiae Gersonitarum* », *quoad ministerium et quoad onera,* — nam eorum ministerium non solis oneribus portandis constitisse, docet v. 26 — v. 25 « *ut portent cortinas tabernaculi* » de bysso retorta factas (Ex. 26,1 sqq.; 36,8 sqq.), « *et tectum* » seu potius *tabernaculum* « *foederis* », i. e. saga cilicina (Ex. 26,7 sqq.; 36,14 sqq.; et cf. Num. 3,26), « *operimentum* [*aliud*] » de pellibus arietum, « *et super omnia velamen ianthinum* » (Ex. 26,14), — *Hebr. : et velum ianthinum, quod dependet super illud desuper* — « *tentoriumque, quod pendet in introitu tabernaculi foederis* » (Ex. 26,36), dividens sanctum ab atrio, v. 26 « *cortinas atrii* » (Ex. 27,9 sqq.; 35,17) « *et velum in introitu, quod est ante tabernaculum* », *Hebr. : et velum orificii portae atrii, quod est circum habitaculum et altare*

(holocaustorum; Ex. 27,16), quod minus accurate *Vulg.* reddit : « *omnia, quae ad altare pertinent* », quae certe non deferebant Gersonitae; « *funiculos* » (Ex. 35,18), qui paxillis figebantur, « *et vasa ministerii* » *sui omnia,* i. e. varia instrumenta, quibus in figendo vel detendendo tabernaculo indigebant, v. g. malleos. Eiusmodi non indigebant Caathitae, qui eas res comportarent, quae semper manerent ab invicem seiunctae. *Hebr.* sententiam adscribit, quam ignorat Vulg. : *et omnia, quae facienda sunt in illis, ministrabunt ipsi;* iungent saga etc. v. 27 « *Iubente Aaron et filiis eius portabunt filii Gerson* »; *Hebr. : ministrabunt secundum omne onus eorum et secundum omne ministerium eorum,* « *et scient singuli, cui debeant oneri mancipari* ». *Hebr. : et attribuetis eis in observatione omnia onera* eorum. Sed cur *attribuetis,* cum secundum v. 28 solus Ithamar attributurus sit? ם videtur verbo accrevisse ob similitudinem aliarum ib. vocum in eam consonantem desinentium; verius *LXX* ופקדת. Iidem pro במשמרת legebant בשמתם, ut sensus sit : : *et attribues eis*, tu Moyses per Ithamarum, *per nomina onera eorum;* quocum consonat *Vulg.* — v. 28 « *Hic est cultus familiae Gersonitarum in tabernaculo foederis, eruntque sub manu Ithamar, filii Aaron sacerdotis* ». Cf. v. 15. 33.

v. 29 « *Filios quoque Merari per familias et domos patrum suorum recensebis* », v. 30 « *a triginta annis et supra usque ad annos quinquaginta, omnes qui ingrediuntur ad officium ministerii sui et cultum foederis testimonii* ». Ad v. 31 sq. cf. 3,36 sq. — v. 31 « *Haec sunt onera eorum :* [*Portabunt*] *tabulas tabernaculi et vectes eius, columnas ac bases earum* », v. 32 « *columnas quoque atrii per circuitum cum basibus et paxillis et funibus suis* ». Sequentia verba melius cum *Hebr. LXX* ad praecedentia trahas : *usque ad omnia instrumenta eorum et usque ad omne ministerium eorum;* intelligasque, uti v. 26, agi de instrumentis ad compingendas tabulas etc. requisitis. « *Omnia vasa et supellectilem ad numerum accipient, sicque portabunt* ». Uti v. 27 verte : *et nominibus constituetis* (vel *constitues*) *observantiam onerum eorum.* v. 33 « *Hoc est officium familiae Meraritarum et ministerium in tabernaculo foederis; eruntque sub manu Ithamar, filii Aaron sacerdotis* ». Ithamar hic et v. 28 non vocatur princeps, videtur solis ministeriis praefuisse, dum cognationibus praeessent 3,24. 30 Eliasaph et Suriel, Eleazar autem 3,32 esset princeps principum.

c. Divina mandata Moyses exsequitur Num. 4,34-49.

v. 34 « *Recensuerunt igitur Moyses et Aaron et principes synagogae* » — cf. 1,17. 44; 4,46. Hi igitur subintelligendi sunt 4,37, 41. 45,

et fortasse item 3,16. 39. 42 — « *filios Caath per cognationes et domos patrum suorum* », v. 35 « *a triginta annis et supra usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad ministerium tabernaculi foederis* »; v. 36 « *et inventi sunt duo millia septingenti quinquaginta* ». v. 37 « *Hic est numerus populi Caath, qui intrant tabernaculum foederis; hos numeravit Moyses et Aaron iuxta sermonem Domini per manum Moysi* » factum.

v. 38 « *Numerati sunt et filii Gerson per cognationes et domos patrum suorum* », v. 39 « *a triginta annis et supra usque ad quinquagesimum annum, omnes qui ingrediuntur ut ministrent in tabernaculo foederis* »; v. 40 « *et inventi sunt duo millia sexcenti triginta* ». v. 41 « *Hic est populus Gersonitarum, quos numeraverunt Moyses et Aaron iuxta verbum Domini* ».

v. 42 « *Numerati sunt et filii Merari per cognationes et domos patrum suorum* », v. 43 « *a triginta annis et supra usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi foederis* »; v. 44 « *et inventi sunt tria millia ducenti* ». v. 45 « *Hic est numerus filiorum Merari, quos recensuerunt Moyses et Aaron iuxta imperium Domini per manum Moysi* ».

v. 46 « *Omnes, qui recensiti sunt de levitis, et quos recenseri fecit* [*ad nomen*] *Moyses et Aaron et principes Israel per cognationes et domos patrum suorum* », v. 47 « *a triginta annis et supra ad annum quinquagesimum, ingredientes ad ministerium tabernaculi et onera portanda* », v. 48 « *fuerunt simul octo millia quingenti octoginta* ».

Summam census v. 46 sqq. excipit v. 49 *clausula generalis* affirmans, censum a Moyse peractum esse non privato iudicio, sed omnino ratione a Deo praemonstrata. Ubi delenda cum *Vulg.* vox ביד, quae ad imitationem v. 37. 45 videtur irrepsisse. Cum enim v. 46 Moyses scribatur illos recensuisse, quomodo nunc potest dici *aliquis* eos recensuisse per Moysen? v. 49 « *Iuxta verbum Domini recensuit eos Moyses, unumquemque iuxta officium et onera sua, sicut praeceperat ei Dominus* ». *Sam. LXX* כאשר.

B. Leges pro castris latae Num. 5 sq.

Sicut instituta nova *sacra* Ex. 24 — Lev. 10 excipiebat Lev. 11-15 Thora Munditiei et Lev. 18-22 Thora Sanctitatis, ita post ordinata Num. 1-4 *castra* feruntur quinque leges, quae illas thoras pro temporum necessitate inculcent aut compleant. Quarum tres sunt de malis vitandis, duae de bonis faciendis. Proferuntur quinque eloquiis ad solum Moysen factis, ut quatuor priora filiis Israel explicet, ex-

tremum solis sacerdotibus, tradit quippe illud formulam benedictionis a sacerdotibus populo impertiendae 6,22-27. Exsulare igitur oportet e castris Iahve corporum immunditiam, bonorum iniustitiam, adulterii suspicionem, et quidem, inquit Iahve 5,3, « quia ego habito in medio vestri » (cf. Ex. 29,42-46). Hinc traditur 5,1-4 lex de immundis e castris eiiciendis, 5,5-10 lex de restitutione voluntaria facienda; quae leges, utpote iam ante nomine Iahve promulgatae (Lev. 13,46; 15; 5,6. 16), brevius expediuntur. Accedit 5, 11-31 lex zelotypiae; quae et fusius traditur et v. 29 subscriptione ornatur « Haec est lex zelotypiae » (cf. Lev. 11,46 sq.; 12,7; 13, 59 etc.); tandem 6,1-21 lex de re bona facienda, sc. lex nazaraeatus. Quae ipsa duabus legibus constat in unum eloquium compactis, legibus sc. de consecratione v. 1-13 et de absolutione v. 13-21 nazaraei, suas v. 13. 21 habentibus subscriptiones.

I. MANDATUM DE IMMUNDIS HOMINIBUS E CASTRIS EIICIENDIS NUM. 5,1-4.

Arg. — Quae Lev. 13 sqq. tradebantur de purificationum ritibus etc., non repetuntur. Enumerantur immundorum tres classes v. 2, eiici iubentur omnes et vere v. 3, adscripta legis ratione.

Cap. V v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Praecipe filiis Israel, ut eiiciant de castris omnem leprosum* », cuius eiectio iam fuerat iniuncta Lev. 13,46, « *et qui semine fluit* » (Lev. 15) « *pollutusque est super mortuo* », contactu cadaveris; cf. Lev. 22,4. Lex odiosa est strictae interpretationis, ergo hae solae tres classes eiiciendae, non v. g. mulier puerpera Lev. 12 aut homo immundus contactu animalis vivi impuri. v. 3 « *Tam masculum quam feminam eiicite de castris* », *Hebr. : foras extra castra,* « *ne contaminent ea, cum habitaverim vobiscum* ». — v. 4 « *Feceruntque ita filii Israel, et eiecerunt eos extra castra, sicut locutus erat Dominus Moysi* ».

II. MANDATUM DE RESTITUTIONE ETC. PRAESTANDA NUM. 5,5-10.

Arg. — v. 5-8 renovatur lex de reparatione pro delicto praestanda Lev. 5, 14-6,7. *Confessio,* quae ib. nonnisi implicite habebatur (cf. 5,5), explicite h. l. praescribitur. Accuratius praeterea determinatur, restitutio *cui* sit facienda : sc. ei qui laesus est; eo demortuo ei qui sanguine iunctus eius iuri proximus succedit; hoc etiam deficiente ipsi Iahve in persona eius sacerdotis, qui arietem pro delicto immolat.

v. 5 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 6 « *Loquere ad filios Israel* » : — lex orditur a איש או אשה כי, cf. Lev: 5, 15. 17; 6,2 et CEL p. 21 sq. 357 sqq. 416 sq. — « *Vir sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis,* [*quae solent*] *hominibus* [*accidere*] », — *LXX* τῶν ἀνθρωπίνων : peccatum hominis aut intelligitur subiective (*Vulg.*), i. e. peccatum quod homo committit; aut obiective, quod in hominem, in proximum committitur, laesio proximi. Si ita expressio accipiatur, non renovatur h. l. lex Lev. 5,14-19, sed solummodo 6,1-7 — « *et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini atque deliquerint* », — *LXX Vulg.* negligenti versione textum obscuravere. *Hebr.* affirmat illa peccata hominis committi *quoad praevaricationes contra Iahve* (expressionem habes Lev. 5,15; 6,2 et cf. CEL p. 376 sq.), dein pergit *et deliquit anima illa.* Nihil de *negligentia* (!בשגגה), sed expressiones indubie produnt agi de *delicto,* quale Lev. 5,14-6,7 describitur — v. 7 « *confitebuntur peccatum suum* » — confessio Lev. 5,5 pro aliis quibusdam peccatis statuebatur; pro delictis Lev. 5,14-6,7 non explicite: tamen oblatio arietis 5,15 sq.; 6,6, qui unice pro delicto offerebatur, habebat in se aliquam admissi delicti confessionem; et multo magis mulcta seu restitutio 5,16 et 6,5. Nunc delicti etiam confessio diserte praecipitur — « *et reddent ipsum caput* » — *gall.* le capital; cf. ad Lev. 6,5 — « *quintamque partem desuper ei, in quem peccaverint* », *Hebr. : ei ad quem delictum,* i. e. delicti reparatio, *pertinet.* Videntur porro aliqui a restitutione se excusasse, ubi vita functus esset, qui fuerat laesus. Quos redarguit v. 8 : « *Sin autem non fuerit, qui recipiat* », — distinctius *Hebr. : et si homini* laeso *non sit propinquus* (ita *LXX Syr.* et cf. Lev. 25,25) — « *dabunt Domino* », *sacerdoti,* quod recte explicat *Vulg. :* « *et erit sacerdotis* », « *excepto ariete, qui offertur pro expiatione, ut sit placabilis hostia* », praeter illum arietem expiationis (Lev. 5,15 sqq.; 6,6 sq.), *quo expiatur delictum* coram Deo, cuius pars Lev. 7,6 eidem cedit sacerdoti.

Arg. — Quod modo dicebatur de restitutione *sacerdoti* facienda, quando non iam exstet laesus eiusve propinquus, auctori occasionem praebet adnectendi monitum de aliis sacerdoti pendendis titulo, non quidem restitutionis, sed *debiti.* Neque tamen omnia, quae sacerdoti debebantur, h. l. attinguntur, sed sola, quae illi obtingit, pacificorum portio. Ea ad sacerdotem sacrificatorem pertinet *exclusive,* ita ut in eam neque aliis sacerdotibus neque ei, qui victimam protulit, ullum sit ius; sed neque sacerdos sacrificator ultra eam portionem vindicare sibi quidquam potest.

Veri simile est, haud raras de divisione victimarum fuisse lites (cf. 1 Reg. 2,13 sq.), ideoque hoc monitum hoc praecise tempore fuisse opportunum. Non agitur de *primitiis*. תרומה vocatur Ex. 30,13 pecunia census, sed haec ib. tribuitur non sacerdotibus, sed usui sanctuarii. Vocantur Ex. 25,2; 35,5 dona collata a populo, quibus tabernaculum et sacra omnia conficerentur. Vocantur Num. 31,50 dona de praeda Deo oblata. Vocantur imprimis Lev. 7,14. 32 et passim eae victimarum partes, quae sacerdoti sacrificatori cedebant. Ergo universim *dona*. Ad victimarum autem partes h. l. vox contrahitur adscripto לכל קדשי בני ישראל, quod quidem *Vulg.* ignorat. ל *LXX* (κατά) et *Syr.* recte interpretantur non dativum, sed limitationem : *quoad.* Iamvero קדשי קדשים (Lev. 6,26; 7,6; cf. 6,25. 29 et 7,1. 6) vocantur eae partes victimarum pro peccato et pro delicto, quae sacerdotibus comedendae conceduntur, dum laicis nihil comedendum permittitur; קדשים (Lev. 21,22; 22,2 sqq.) sunt eae partes victimarum pacificarum, quae comedendae permittuntur ita, ut certa pars תרומה soli sacerdoti sacrificatori obtingat, reliqua laicis. De hac igitur תרומה agit noster v. 9. sq.

v. 9 « *Omnes quoque primitiae, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent* ». Verte : *Omne quoque donum de omnibus pacificis filiorum Israel, quae sacerdoti offerunt, ad eum pertinet,* ubi *LXX,* לכהן trahentes ad apodosin, ante vocem pie inserunt יהוה, monentes dona offerri tandem non sacerdoti homini, sed ipsi Deo. v. 10 « *Et quidquid in sanctuarium offertur a singulis et traditur* [*manibus*] *sacerdotis, ipsius erit* ». Verte : *Et uniuscuiusque sancta* (קדשים) universim spectata *ipsius sunt; quod vero cuiusque obvenit sacerdoti* (יִתֵּן Lev. 11,38; Num. 26,54), *ad eum pertinebit.* Sacerdos habeat תרומה, laici reliqua קדשים. Ita vertitur sententia facile et absque pleonasmo.

III. LEX ZELOTYPIAE NUM. 5,11-31.

Arg. — Ad sopiendas maritorum iniquas in uxores *suspiciones* approbat Iahve per Moysen antiquam zelotypiae legem, qua severissimis in adulteras edictis poenis coniuges ad pacifice cohabitandum revocantur.

Huius quidem legis apud alias gentes desiderantur vestigia. Quae affert *E. F. K. Rosenmüller* (Das alte u. neue Morgenland II. 226 sqq., Leipzig 1818), et pauca sunt et longius petuntur. Mohammedani morem sanandorum morborum potu aquae aliqua Corani sententia dilutae ab Hebraeis fortasse post Moysen transumpsere. Nihilominus *legem zelotypiae apud Hebraeos Moyse esse antiquiorem* censemus. Est enim illa affinis legum Lev. 11-15, quae omnes Moyse sunt antiquiores. Uti hae, clausula « Haec est thora » obsignatur in fine tantum, non uti quaedam leges a Moyse profectae (Lev. 6,9. 14. 20. 25; 7,1. 11) initio. Orditur verbis איש איש כי (cf. CEL p. 22,). Im-

rimis autem est de ritu aliquo, quem difficile finxeris a Iahve primo esse invectum (ib. p. 21), at facile supposueris a maioribus invectum a Iahve postea esse approbatum.

Habet tamen lex post clausulam v. 29 « Haec est thora zelotypiae » adscriptam v. 29 sqq. *notulam*, quam facile Moysi concesserim auctori. Inculcat ea illud, quod maximi omnino est momenti, ne suo lex effectu frustretur : sc. post invocatum Iahve iudicium temperandum esse a querelis et suspicionibus, totamque causam Iahve iudicio esse permittendam. Haec notula non cum ipsa sane lege, sed post illam nata est. Orditur ea voce אשר significatione *si* (cf. Lev. 4,22;5,2). Fortasse item lex tum nata est, quando scribendi artem vix calleret quisquam, ut ritus v. 23 scribendae schedulae postea accesserit. Imo fortasse primitus non praecise coram sacerdote se sistebant coniuges illi, Moysesque illud de schedula sanxit, quod praeter sacerdotes non ita multi scribendi artem callerent. Tamen haec longe absunt a certitudine.

Legis zelotypiae finis principalis non est detegere et punire mulierum adulteria. Eum quippe finem lex valde imperfecte assequitur.

1. A legis scopo eximuntur v. 13 adulteria illa omnia, quae aliquo testimonio probari possunt.

2. Intra legis scopum includuntur autem suspiciones mariti quaelibet de adulterio uxoris, etiam quae nulla, ne semiplena quidem probatione nituntur, profectae non e certis rationibus sed e spiritu zelotypiae, qui dicitur in maritum transiisse. Atqui eiusmodi suspiciones vix non omnes sunt omnino vanae aut exaggeratae, quibus nullum subest veri nominis adulterium. Verius igitur dices legem esse excogitatam ad uxorum innocentiam quam adulteria demonstrandam.

3. Fatendum utique est, ad quaedam adulteria illustranda legem fuisse perquam efficacem : quando sc. post aquas maledictas haustas mulier evidenter patiebatur infirmitates v. 20 sqq. descriptas. Sed eiusmodi probabilius perraro accidisse, infra ostendere conabimur.

4. Habuit item lex efficaciam ad alia quaedam adulteria revelanda. Finge mulierem v. 16 productam ad altare Iahve, propius quam secus mulieribus accedere fas erat. Adhibita aqua sancta et pulvis sanctus in memoriam revocant Dei offensi iudicis sanctitatem. Contuentibus pluribus discooperitur mulieris caput, quod mulieribus coram iudice adstantibus fieri consueverat (cf. Dan. 13,32); ita mulieris confusio et angor clarius patescunt. Lente sacerdos recitat exsecrationis verba mulieremque, ut ingeminato Amen illis assentiatur, sollicitat. Rursum exsecrationis verba descripta aquis commiscentur, sacrificium peragitur, aqua maledicta potanda porrigitur. Cogita adulterae angores et terrores, quibus continuo impellebatur, ut aut crimen fateretur, aut, quod eodem redibat, ab exsecratione resiliret. Cf. *I. D. Michaelis :* Mosaisches Recht V. 275 sqq., Frankfurt a. M. 1774. — Erant tamen plura, quae adulteram vel tum a confessione vehementer retrahebant. Et primum nullum ipsa, si non confiteretur, peccatum committebat : illud quippe « Amen, amen » non erat periurium, sed conditionata poenae acceptatio, veluti si occisor dicat iudici : si me homicidii conviceris, capite plectas. Non tenebatur mulier se ipsam accusare, quamdiu delicti nulla aut vix ulla proferebatur probatio. Adulterium morte plectebatur. Suggeres fortasse, uti fur sponte fatens minorem tulerit mul-

ctam (cum 5,7; Lev. 5,16;6,5 cf. Ex. 22,1), ita adulterae fatenti vitam esse condonatam. Verum perpende, quam misera ac morte fere gravior ea vita futura erat, sive adultera in domo mariti perseveraret, sive ad suos rediret, sive alienis divenderetur. Ergo non oportet exaggerare efficaciam illius ritus ad adulterarum confessiones extorquendas.

Legis zelotypiae finis principalis est sopire maritorum in uxores iniquas suspiciones.

1. Hi mariti iique soli v. 13 sqq., ut uxores producant, invitantur. Cur autem non facta sit uxoribus item facultas producendorum maritorum, ratio haec est, quia inter polygamos non laedit uxoris iura, qui cum altera rem habet.

2. Lex est efficacissima ad horum maritorum sopiendas suspiciones idque semper. Maritus causam suam tradebat manibus Iahve omniscii, atque deinceps v. 31^{b} ab omni suspicione se interdictum habebat. Quaecunque in illo ritu uxorem terrebant, eadem marito augebant fiduciam penes Iahven jura sua in tuto posita esse. At absoluto ritu, v. 28 tenebatur maritus pacifice cohabitare uxori, quo tandem disceret, an ipsa « liberos faceret » necne. Quodsi enim torum illi denegabat, non poterat illa iam « liberos facere », ius abdicabat maritus sententiae a Iahve obtinendae quae praecise occasione proxime futuri partus manifestanda sperabatur. Pacifice igitur iam uxori cohabitabat maritus, restituebatur coniugum concordia. Simul, ubi uxor reapse adulterium admiserat et tempus poenarum v. 20 sqq. indictarum infligendarum appropinquabat, mutata iam erat funditus conditio rerum. Erant coniuges duo pacifice cohabitantes, maritus suspiciones abiecerat, mulier adulterii commissi erat vere poenitens, fini legis zelotypiae principali abunde factum erat satis, Iahve indubium habebat ius legis universim latae ob particulares rationes effectum suspendere : credo equidem hoc eum haud raro fecisse meritamque poenam omisisse.

3. His praemissis illud etiam addimus, fuisse eiusmodi legem ad sopiendas maritorum suspiciones quodammodo necessariam. Semitae ad eiusmodi suspiciones aliis sunt proniores, illis pertinacius adhaerent. Apud maritum polygamum una uxor in alteram suspiciones confingit, quae ni supprimantur repudii causa esse possunt. Erant hae graves rationes, cur Iahve per Moysen uxoribus aliqua lege prospiceret. Imo mirae sapientiae est haec zelotypiae lex, quae dum in uxores saeve animadvertere videtur, reapse illas a maritorum inconstantia efficacissime defendit.

v. 11 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 12 « *Loquere ad filios Israel, et dices ad eos : Vir, cuius uxor erraverit* », — *Hebr. : luxuriaverit;* cf. v. 19. 20. 29 « sub viro » — « *maritumque contemnens* », *Hebr. et praevaricata in eum* (cf. Lev. 5,15 et CEL p. 376), v. 13 « *dormierit cum altero viro* » *concubitu seminis*, ergo copula perfecta, « *et hoc maritus deprehendere non quiverit* », — *Hebr. : et absconditum fuerit ab oculis mariti* — « [*sed*] *latet* [*adulterium*], *et testibus argui non potest,* [*quia*] *non est inventa* [*in stupro*] » : — Delictum, uti par est, accuratissime describitur. Agitur de adulterio consummato, quod neque rei fateantur, neque testes ulli confirment. Recte *Vulg.* ultimam copulam vertit *quia;* imo etiam pro

sed placet vertere *quia,* quo sententia evadit planior. Ergo sufficit mariti suspicio, cuius ipse nullam antea, ne semiplenam quidem probationem afferre tenetur (cf. v. 29 sqq.) — v. 14 « *si spiritus zelotypiae* » (ζηλότυπος, percussus invidia) « *concitaverit virum contra uxorem suam, quae vel polluta est vel falsa suspicione appetitur* », — *Hebr. : et zelatur uxorem suam et ipsa polluta est, aut... zelatur uxorem suam et ipsa non est polluta.* Descripto v. 12 sq. delicto, in cuius suspicionem uxor venit, describitur v. 14 animi conditio, in qua est maritus : haeret anceps; certus est se suspicione moveri, suspicionem dirimere haud valet. *Spiritum zelotypiae Lap., Calm.* aiunt h. l. dici, uti alias spiritum timoris, prudentiae. Tamen ille spiritus dicitur *transire* in virum, ergo intelligitur tentator spiritus (cf. ad 1 Reg. 16,14); zelotypia quippe, licet in hominis corde nascatur, a tentatore tamen fovetur, inflammatur, augetur. Tentator ille utique supponitur esse malus spiritus : gravissima quippe in uxorem suspicio, omni deficiente certa probatione, mala est — v. 15 « *adducet eam ad sacerdotem, et offeret oblationem pro illa, decimam partem sati* » (epha = 10 gomor Ex. 16,36,38 lit. 88) « *farinae hordeaceae; non fundet super eam oleum nec imponet thus* » (Lev. 2,1), « *quia sacrificium zelotypiae est et oblatio investigans adulterium* », *Heb. : mincha memorialis in memoriam revocans iniquitatem,* sive veram sive putativam admissi adulterii.

Verba מנחת קנאה הוא fortasse comparanda sunt formulae מנחה הוא (Lev. 2,1. 6.15 etc.). De reliquo mincha zelotypiae non minchis accensetur, sed verius oblationibus pro peccato : uti hae Lev. 5,11, carebat oleo et thure; pugillus comburebatur (cum v. 26 cf. Lev. 5,12), reliqua sacerdoti cedebant. Sacrificium zelotypiae dignitate veluti infimum erat inter sacrificia : offerebatur ritu sacrificiorum pro peccato, quae holocaustis, minchis, pacificis erant minus digna; et semper et ab omnibus offerebatur ritu pauperum Lev. 5,11.

v. 16 « *Offeret igitur eam sacerdos* », appropinquare faciet mulierem (cf. v. 18), « *et statuet coram Domino* », v. 17 « *assumetque aquam sanctam in vase fictili* » (cf. Lev. 14,5. 50), postea fortasse frangendo (Lev. 11,33), « *et pauxillum terrae de pavimento tabernaculi mittet in eam* ». v. 18 « *Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput eius, et ponet super manus illius sacrificium recordationis* [*et*] *oblationem zelotypiae; ipse autem tenebit aquas amarissimas,* [*in quibus cum exsecratione*] *maledicta* [*congessit*] ».

Aquam sanctam LXX interpretati sunt *puram vivam, Chald.* eam e labro aeneo repetiit, *Sylv.* censet « sanctis usibus in tabernaculo deputatam ». — V. 18 tradit eius aquae nomen מי המרים המאררים. המרים est *amarae* (*Vulg. Chald. Syr.*); sed *Sam.*

legit המארים, quod potest accipi pro participio hophal verbi ארר, ergo *maledictae*. המאררים (*Hebr. Sam. Chald. Vulg.*) est eiusdem verbi participium piel, *maledicentes* (!). Sed *Syr.* בחדא et *LXX* τοῦ ἐλεγμοῦ nos revocant ad המבררים, *separantes, segregantes, purificantes*. Crediderim genuinam lectionem esse מי המארים המבררים, *aquae maledictae iudicantes*. Nihil est in textu, quo supponamus sacerdotem aliis antea, quam v. 19 sqq., verbis in illam aquam maledicta congessisse.

v. 19 « *Adiurabitque eam et dicet : Si non dormivit vir* [*alienus*] *tecum et si non polluta es deserto mariti* [*thoro*], *non te nocebunt aquae istae amarissimae,* [*in quas*] *maledicta* [*congessi*] ». *Hebr. : impunita eris*, vel *sis, de aquis istis maledictis iudicantibus*. v. 20 *Et tu*, « *sin autem declinasti* », *luxuriata es* « *a viro tuo atque polluta es, et concubuisti cum altero viro* », v. 21 « *his maledictionibus subiacebis* » : — solemnius *Hebr. : et adiurabit sacerdos mulierem iuramento exsecrationis, et dicet sacerdos ad mulierem : —* « *Det te Dominus in maledictionem exemplumque cunctorum in populo suo* » — reliqui *tuo*. « *Putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus* [*disrumpatur*] ». Fias in iuramentum et exsecrationem ita, ut qui voluerit alium aliquem exsecrari dicat : « Faciat tibi Dominus, sicut fecit tali mulieri » (*Tost.*). v. 22 « *Ingrediantur aquae maledictae in ventrem tuum et utero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier : Amen, amen* ».

נפל certe non est *putrescere*, sed *concidere*. Ἅπαξ λεγόμενον צבה etiam *LXX Chald.* vertunt *tumescere*. Gratuito *Ios.* Ant. III. 11. 6 adscribit « moriatur » : id non est in textu. *I. D. Michaelis* l. c. p. 273 censet describi symptomata morbi, qui hydropis ovarii audit. Melius cum *Bonfr.* sistemus in sensu omnino generali : « ut sc. per quae ipsa peccavit, ipsa et puniatur ». Et placet *femur* etiam et *uterum*, licet anatomice non sint plane idem, fere accipere pro synonymis : puniatur mulier in genitalibus, illis sive deperientibus, sive tumescentibus.

Sequens vox prodit certe Aaronem eiusque duos filios calluisse scribendi artem, eamque docturos fuisse filios suos. Imo, si ea etiam vox supponatur ante Moysen textui legis infuisse, prodit sacerdotes item praemosaicos non fuisse eius artis ignaros. Scribebant sine dubio more Aegyptiorum, calamo et atramento in papyri folio. v. 23 « *Scribetque sacerdos in libello* », in schedula « *ista maledicta, et delebit ea aquis amarissimis* », *deterget* in aquas scripturam nondum siccatam, « *in quas maledicta congessit* ». Hic etiam *Sam.* למרים (non למארים), ergo *in amaritudines :* non ut aquae ex hac exigua admixtione fiant amarae, sed ut amare, acerbe torqueant mulierem, si rea sit adulterii. Fortasse ex hac voce hic et v. 27 effectum est, ut v. 18 sqq. vox מארים defiguraretur. v. 24 « *Et dabit ei bibere. Quas cum exhauserit* », —

gravius *Hebr. : et ibunt in eam aquae maledictae in amaritudines. LXX Syr.* rursum *iudicantes* — v. 25 « *tollet sacerdos de manu eius sacrificium zelotypiae, et elevabit illud coram Domino* » (cf. Lev. 7,30), « *imponetque illud super altare;* [*ita dumtaxat, ut prius*] » v. 26 « *pugillum sacrificii tollat de eo, quod offertur, et incendat super altare* » (cf. Lev. 5,12; 2,2), « *et sic* », i. e. *postea,* « *potum det mulieri aquas amarissimas* ». Primum v. 24 omnia absolverat narrator, quae illas aquas attinent; dein v. 25 sq. de sacrificio egerat; at nunc ad priora rediens enuntiat, post adiurationem pronuntiatam primum oblatum esse v. 25 sq. sacrificium, quo Deus iudex invocatur (*Dillm.*), dein haustas a muliere aquas. v. 27 « *Quas cum biberit, si polluta est et contempto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquae maledictionis et inflato ventre computrescet femur, eritque mulier in maledictionem et in exemplum omni populo* ». v. 28 « *Quodsi polluta non fuerit, erit innoxia et faciet liberos* ». v. 29 « *Ista est lex zelotypiae* ». Illud de *faciendis liberis* prodit agi de uteri affectione, quae mulierem ad pariendum reddat idoneam aut ineptam. Ergo illa tabes femoris aut tumor uteri non videntur locum habuisse continuo post haustas aquas; sed post iudicium Dei maritus et uxor reconciliati causam in manu supremi iudicis relinquebant, amice convivebant et generationi operam navabant. Interim exstinguebatur zelotypia, condonabatur re, si non verbis, iniuria quae forte esset commissa. Porro verba v. 20-22 non sunt effectus infallibiliter secuturi praenuntiatio, sed legis sententia, cuius exsecutionem legislator iustis de causis suspendere poterat aut condonare. Condonandae poenae iusta omnino causa erat subsecuta amica coniugum cohabitatio et reconciliatio. Coniicio equidem, perraro Deum pœnam v. 20-22 facto esse exsecutum, legem vero zelotypiae ad coniugum hebraeorum concordiam haud parum contulisse.

Additum ad legem zelotypiae Num. 5,29-31.

« *Si declinaverit mulier a viro suo et si polluta fuerit* », v. 30 « *maritusque* » — verte *sive maritus* — « *zelotypiae spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini* » — e contextu supple : iniuste — « *et fecerit ei sacerdos iuxta omnia, quae scripta sunt* », *Hebr. : iuxta universam thoram hanc*, v. 31 « *maritus absque culpa erit* », si vana suspicione uxorem detulit, secus enim de culpa sermo esse non potest; « *et illa recipiet iniquitatem suam* », si revera adulterii rea est; feret poenam v. 20-22 statutam, nisi eam clementissimus Deus ob restitutam coniugum amicitiam condonet. Apodo-

sis v. 31 chiastice scribitur, ut primum agatur de marito vana suspicione deluso (v. 30), postea de uxore adultera (v. 29).

Sensus huius clausulae legi antiquiori recentius adscriptae planus est. Quando causa semel *coram Iahve* delata est, subtracta est manibus partium litigantium; exspectent Iahve sententiam modo v. 20-22 descripto manifestandam. Caveat iam uxor, ne contra maritum ob invocatum Iahve iudicium querelas edat : illae contra ipsum Iahve diriguntur neque impunitae manebunt; maritus, etsi zelotypia actus iniuriam intulit uxori, commissa iniustitia se liberavit delata causa ad legitimum Iahve tribunal. Sed vir item caveat, ne ultra ruminetur, commiseritne uxor adulterium necne : si commisit, poenam utique feret; causa interim foro mariti subtracta est. Eius suspiciones posthac erunt in ipsum Iahve iniquae.

Quodsi igitur uxor aliqua reapse marito fidem fefellerit, nonne debuit ea peracto ritu v. 16 sqq. descripto, sceleris gravitate perculsa, marito amantius adhaerere et subiici? Nonne maritus, clarius perspiciens se suspicionibus sine sufficientibus argumentis actum esse, hanc uxorem veluti Iahve clientem verebatur? En tibi igitur illos duos pacifice iam et amanter cohabitantes, generationi operam navantes. At uxor item, quae iniuste in suspicionem esset vocata, maritum ut Iahve clientem verebatur, fidenter partum opperiebatur suspicionum omnium refutationem.

Adest tandem edendae prolis tempus, et nulla innocentis uxoris apparet infirmitas. Quanta nunc poenitentis mariti obsequia! At ipsa querelas renovare Iahve reverentia prohibetur. Verum supponas uxorem reapse fuisse adulterii ream. An putas nunc Iahven supernaturali portento pii Israelitae uxorem fore percussurum et in exemplum et maledictionem facturum omni populo? Erat tum gravis ratio condonandae poenae ipsa mariti pietas. Tamen multoties naturalibus omnino de causis uxor infidelitatis poenam ferebat. Quanto propior edendae prolis dies aderat, tanto magis mater opprimebatur terroribus; sequebantur abortus aut ipsius matris mors. Deficiebant tamen vel tum persaepe indubia signa, quibus a Iahve vindice coniugiorum percussa mulier agnosceretur : femur marcescens, venter tumescens, utrumque simul. Hinc res manebat incerta, linguae procaces circa feretrum silebant, non fiebat ea mulier exemplum et maledictio.

Quibus omnibus perpensis non video sufficientem rationem asserendi, saepe post Moysen signis v. 20 sqq. descriptis indubie patefacta esse quae ante latuissent adulteria, pluresve mulieres ea ratione factas esse exempla et maledictiones. Nihil eiusmodi factorum in

universo V. T. narratur. Premebantur Iudaei tempore Christi, et imprimis Herodes Archelai filius, desiderio signorum videndorum: neque tamen videntur a lege zelotypiae ullum repetiisse signum aut portentum.

Sed quid, si de causis aliquando mere naturalibus uxoris, quae innocens in adulterii suspicionem incidisset, femur postmodum marcesceret aut uterus tumesceret? An vi legis zelotypiae tenebatur Iahve eiusmodi naturales infirmitates praepedire? Tamen talis mulier non iniquiore erat loco, quam coecus natus, de quo Io. 9,1 sq. Lex quippe zelotypiae non erat nisi generalis illius V. T. normae particularis aliqua applicatio, qua fidelibus Hebraeis bona terrena, infidelibus mala praesentis vitae indicebantur (Ex. 23,20 sqq.; Lev. 25 sq.; etc.). Quae non impediebat, neque pios quosdam nasci coecos, neque castarum quarumdam uxorum tumescere ventrem.

IV. LEGES DE NAZARAEIS NUM. 6,1-21.

נזיר, *nazaraeus* (cf. Thren. 4,7; Am. 2,11 sq.), plenius נזיר אלהים (Iud. 13,5. 7; 16,17) vocabantur, qui votum נזר susceperant, a radice significationis *segregare*, hinc *consecrare*. נזר Lev. 21,12 etiam dicitur de consecratione sacerdotum. Derivatae significationes נזר *diadema* (Ex. 29,6; 2 Reg. 1,10; 4 Reg. 11,12; Zach. 9,16), et נזיר *princeps* (Gen. 49,26; Deut. 33,16) huic pericopae non conveniunt. Similiter atque Ex. 26 *Vulg.* nostrum textum obscuravit, eandem radicem hebraeam vertens diversis expressionibus latinis; sanctificare v. 1. 12. 21, consecrare v. 1. 4. 5. 6. 7. 9. 12. 13. 21, separare v. 5. 8. 12, votum v. 3, nazaraeus v. 21. Eadem v. 3 « siceram » modo vertit « omne, quod inebriare potest », modo « ex qualibet alia potione ».

Nazaraeorum obligationes habes v. 2-8. Nostrum caput est de solo nazaraeatu *ad tempus* suscepto, quem crediderim tamquam rem facilem simul et honestam multis in deserto arrisisse, ubi deficiebat vinum (Deut. 29,6; cf. CEL p. 407); illum fortasse profitebantur usque ad ingressum terrae promissae. Posterioribus temporibus deprehendimus nazaraeatum *perpetuum*, quem professi sunt Samuel, Samson, S. Io. Baptista aliique. Ex Act. 21,23 sqq. discimus, ditiores quandoque Hebraeos pauperioribus expensas sacrificiorum solvisse, quibus nazaraeatu ad tempus suscepto absolverentur.

Lex Num. 6 e duabus coaluit, quod prodit inserta mediae legi v. 13 formula זאת תורת (CEL p. 18), quae item v. 21 in fine repetitur. Formulam vero v. 13 non cum *Masor.* consideramus tamquam se-

quentium inscriptionem : cur enim haec una eademque formula et inscribantur et subscribantur? Sed tamquam praecedentium subscriptionem, ut prior lex ita hac formula claudatur v. 13, uti posterior v. 21.

Nazaraeatus videtur esse Moyse antiquior. Loquitur de illo narrator tamquam de re audientibus oppido nota (*Dillm.*). Mitto v. 2 verba איש או אשה כי, quibus aliae etiam aliquae leges antiquiores ordiuntur (CEL p. 416 sq. etc.). Sed in deserto Hebraei vini inopia laborabant : nisi igitur de antiquo instituto revocando agebatur, non erat cur Moyses hanc legem ederet ad ipsas radices montis Sinai. Videtur reapse antiqua lex v. 2-8 Moyse esse antiquior. Cum enim in Ex. et Lev. experti simus Moysen varias leges eo loco inter gestorum narrationem inserere, quo ipsas reapse promulgavit, censendae sunt duae leges v. 2-21 ab ipso promulgatae esse brevi post ordinata Num. 1-4 castra. Quodsi novum tum ipse institutum condebat, non erat cur non unica lege totam materiam absolveret; non erat cur Iahve unico eloquio duas de eadem re leges ederet. Deprehendebamus antea Moysen antiquam primum legem revocantem, dein suas ei thoras adnectentem : v. g. Lev. 1,1-6,7 et 6,8-7,38. Discernuntur etiam in lege v. 1-13 vestigia quaedam successivorum incrementorum, v. 3 sq. (v. i.) varia quasi attentata effugia praecludit eorum, qui legem antea fallere conati essent. Voti tempus explendum esse toties repetitur (v. 4. 5. 6. 8. 12), ut suspiceris antea aliquos in illo observando fuisse segniores. v. 9-12 suspicionem movet, post pollutionem omnino inculpabilem aliquos antea nazaraeos se omni obligatione solutos existimasse.

Rem ita concipio. Erat ante Moysen vetus nazaraeorum institutum, quod a patriarchis receperant Hebraei. Pro certo tempore aliqui se voto obligabant, ut fructibus vitis abstinerent, comam non tonderent, mortuorum pollutionem vitarent. At segnius haec, quae mera essent lex humana aut incerta consuetudo, servabantur. Indulgentiae (cf. v. 3 sq.) subripiebantur, tempus decurtabatur, facile quidam omni se obligatione solutos reputabant. Non autem erat ferendum, ut in castris Iahve *vota* incuriose servarentur. Praeterea nazaraeatus ante Moysen concludebatur, si non iusti nominis sacrificio, at certe *convivio*, cui et cibi apponerentur copiosi (v. 21 « quae invenerit manus eius »), neque vinum deesset, quanto rarius tanto carius (v. 20). Erat periculum, ne plurium mensium vel annorum unius hominis abstinentia in multorum crapulam et ebrietatem desineret (cf. Ex. 32,25; Lev. 10,9; CEL p. 15. 407 sq.). Recole tandem, quantopere institerit Moyses (Lev. 17), ut *mactationes* omnes ritu sacro pacifico-

rum coram Iahve fierent. Erat periculum, ne illae completi nazaraeatus mactationes profano ritu peragerentur. Quare Moyses legem v. 13-21 tulit, fortasse praecedenti legi v. 9-12 adscripsit. Haec agens votorum et pacificorum sanctitati consulebat, nazaraeatum defaecabat, nazaraeos honore prosecutus sibi et sacerdotibus devinciebat.

Quaeres, sintne instituti nazaraeatus apud gentiles vestigia aliqua. Vinum penes Semitas natum est, a Iaphetidis illis, qui Aryas vocantur, in suis antiquis sedibus ignorabatur (*F. Lenormant :* Les origines de l'histoire II. 248 sq., Paris 1882). Alii Asiae anterioris populi deos ebrietate magis quam abstinentia colebant. Caesariei diis consecrandae vestigia habes apud Aegyptios (Herod. II. 65; Diod. Sic. I. 18.83), Syros (Lucian. : De dea Syra 60) aliosque. Vel medio aevo perseveravit mos, ut aliqui pro certo tempore se voto obstringerent producendae aut comae aut barbae. Ceterum missis gentilium ritibus, placet nazaraeatus originem in ipsa stirpe electa coniectura quadam adumbrare. Lex v. 2-4 non tam processit ex horrore ebrietatis, quam e sacra quadam verecundia *vitis :* quidquid ex vite erat, a semine ad pelliculam, viri illi aversabantur. Quae porro ratio fuit viris piis e stirpe electa religiose abhorrendae vitis? Recole factum Noe, quod et primatus Semitarum et exsecrationis Chananaeorum occasio exstitit. Porro, qui vitis fructibus abstinebant homines, neque vitem colebant aut putabant. Habebatur igitur sanctum quid vitis non putata et quasi comam demittens. Quam imitabatur homo intonsam servans caesariem. Haec igitur religionis nazaraeatus origo aliqua esse potuere.

1. *Lex de obligationibus nazaraeorum Num.* 6,1-13.

Arg. — Abstineant vino etc., comam ne tondant, mortuorum contaminationem evitent. Haec tria voto suscepta nazaraeum faciunt suntque observanda toto continuo, pro quo votum emissum est tempore. Si votum, sine voventis culpa, ante expletum tempus laedatur, expiatione opus est, post quam, tempore ante laesionem minime computato, totum votum manet explendum.

Cap. VI v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere ad filios Israel et dices ad eos : Vir sive mulier* » — etiam mulieres ad nazaraeatum admittebantur — « *cum fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare* », — *Hebr. : cum pronuntiaverint votum consecrationis, ut consecrentur Iahve.* יפלא *Chald. Syr.* vertunt radice פרש, quae a nativa *segregandi* significatione ad significationem *clare pronuntiandi* descendit : censebant igitur, etiam hebraeum פלא *segregare*, ad significationem *clare pronuntiandi* deflectere. Quod est veri simillimum : votum illud tum solum pro rato habebatur, quando considerate et coram testibus fuerat emissum — v. 3 « *a vino et omni, quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino et ex qualibet alia potione et, quidquid de uva exprimitur,*

non bibent. Uvas recentes siccasque non comedent » v. 4 « *cunctis diebus,* [*quibus*] *ex voto* [*Domino consecrantur*]. *Quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum, non comedent* ».

Proscribere intendit lex potissimum quidquid de vite provenit. Videntur antiquitus, qui tali se voto obstringebant, egisse similiter atque agunt hodiedum aliqui, qui similem abstinentiam profitentes abstinentiam suam continuo limitare nituntur: quasdam vini aut liquoris species eximunt, permittunt sibi vinum haustum non pro potu, sed pro condimento, etc. Contra similem licentiam ita severe procedit nostra lex, ut vel uvas passas confodiat. Proscribuntur igitur primum v. 3 *vinum* et *sicera* (Lev. 10,9 : omnis praeter vinum potus inebrians) et ex utroque *acetum* omneque *liquidum ex uvis* (שרה), v. g. succus recens expressus, tandem *uvae* ipsae tam recentes quam passae. Hanc comedendarum uvarum prohibitionem emphatice repetit v. 4 : *ex omnibus, quae fiunt ex vite, a semine ad pelliculam, non comedetis.*

v. 5 « *Omni tempore separationis* », i. e. consecrationis, « *suae novacula non transibit per caput eius usque ad completum diem, quo Domino consecratur* », seu verius : *usque ad completos dies, quos Domino consecravit,* usquedum exspiret tempus, pro quo se voto obstrinxit. « *Sanctus erit crescente caesarie capitis eius* ». Etiam Lev. 21,6 caesaries retenta sanctitati copulatur. Cf. Ex. 20,25. Cultrum vel novacula censebantur laedere rem seu personam Deo segregatam. v. 6 « *Omni tempore consecrationis suae super mortuum non ingredietur* » (cf. Lev. 21,11), funeri nulli participet, v. 7 « *nec super patris quidem et matris et fratris sororisque* [*funere*] *contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput eius est* », intonsa caesaries (*Silv.*); qui vero funere participabant, tondebantur. v. 8 « *Omnibus diebus separationis* » seu consecrationis « *suae sanctus erit Domino* ».

Constanter (v. 4. 5. 6. 8) inculcatur, consecrationem debere observari *continuam.* Quid vero si ea interrumpatur? Praetermittitur voluntaria interruptio, quae sane, ubi de ea constabat, severius puniebatur. Involuntaria habebatur, quando praesente nazaraeo mortuus quis corruebat. Idem expiationis ritus v. 9-12 erat sane observandus, ubi quis invitus vinum deglutire cogebatur aut invitus tondebatur. — v. 9 בפתע פתאם : duae voces sat similes inter se eundem plane sensum habent, *momento.* Potuere apographa quaedem unam earum vocum habere, alia alteram, dein amanuensis aliquis ambas voces descripsit. Aliter tamen iungunt *LXX : si moriatur quis subito, illico polluetur caput. Vulg.* vocem *illico* in ultimum incisum transferens, cogitur copulam inserere caputque hominis bis radere.

v. 9 « *Si autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis eius. Quod radet illico in eadem die purgationis suae* », quando a contaminatione funeris purgabitur, « [*et rursum*] *septima* ». Ad septimum usque diem ea contaminatio perdurabat 19,11. 14. 16. 19. v. 10 « *In octava autem die offeret duos turtures vel duos*

pullos columbae sacerdoti in introitu foederis testimonii »; v. 11 « *faciet que sacerdos unum pro peccato et alterum in holocaustum, et deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo* ». Vides hic indolem *peccati* legalis, quod in hoc casu est plane involuntarium. Ceterum hoc peccatum est de iis, quae veniunt sub lege Lev. 5,2 sq.; et habetur etiam *confessio*, cum nazaraeus ille debeat sacerdoti manifestare calamitatem, quam passus est. « *Sanctificabitque caput eius in die illo* », eius consecrationem renovabit, non enim ob illam calamitatem fas est nazaraeo a suo voto resilire. Cum e tribus obligationibus nazaraeorum una illa de non tondenda caesarie esset semper visibilis, evasit ea signum externum nazaraeatus, apteque hic ritus vocatur *sanctificatio capitis*. Ex eo vero, quod in Samsonis (Iud. 13 sqq.) et Samuelis (1 Reg. 1,11 sqq.) vitis solius caesariei mentio habeatur, perperam infert *Dillm.*, alias duas obligationes tum non consuevisse observari. v. 12 « *Et consecrabit Domino dies separationis* » seu consecrationis « *illius, offerens agnum anniculum* », circiter unius anni (cf. ad Ex. 12,5), « *pro peccato : ita tamen ut dies priores* », quibus ante illam calamitatem nazaraeorum legibus vixit, « *irriti fiant* », non computentur, « *quoniam polluta est sanctificatio eius* » seu consecratio. Sed *Hebr.* habet *pro delicto :* praeter peccatum contaminationis mortuorum, quod etiam non nazaraeo luendum erat ritu v. 10 sq., incurrerat nazaraeus delictum in re sacra (Lev. 5,15), sc. in nazaraeatu commissum : huic debebatur אשם. Verum, quod huic nazaraeo simul offerendae essent v. 10 sq. aliae victimae, et fortasse quod eius delictum esset plane involuntarium, concedebatur victima ariete Lev. 5,15 minor, *agnus*, maior tamen quam victima pro peccato, quae erat agna : animalia quippe maria feminis habebantur nobiliora. v. 13 « *Ista est lex consecrationis* », *Hebr. nazaraei.*

2. *Lex de nazaraeatus consummatione Num.* 6,13-21.

Arg. — Absoluto tempore, pro quo se voto quis ad nazaraeatum obligavit, offerat in sanctuario Iahve holocaustum, victimam pro peccato, i. e. pro peccatis suis generatim, et hostiam pacificorum. Caesaries praecisa in igne altaris comburitur. Potest ille, si placet, illis oblationibus alias addere, imprimis quibus laetius evadat convivium cum amicis, quod sacrificium pacificorum consequitur.

« *Cum dies, quos ex voto decreverat, complebuntur, adducet eum ad ostium tabernaculi foederis* », — adducet *aliquis*, cognati et amici. Hic ritus non observabatur in iis, uti patet, qui postmodum nazaraeatum tota vita profitebantur — v. 14 « *et offeret oblationem eius*

Domino, agnum anniculum immaculatum » *unum* « *in holocaustum, et ovem* « *unam* feminam » *anniculam immaculatam pro peccato, et arietem* » *unum* « *immaculatum, hostiam pacificam* »; — Lev. 3 *aries* non recensetur in numero victimarum pacificarum, sed intelligitur voce agni v. 7, qui permittitur masculus vel femina. Victimarum, quae lege requiruntur, accuratus numerus traditur; alia v. 21 addi permittuntur — v. 15 « *canistrum quoque panum azymorum, qui conspersi sunt oleo, et lagana absque fermento uncta oleo, ac libamina singulorum* », pro quo *Hebr.* : *et minchas eorum, et libationes eorum*, quae Num. 15,3 sqq. requirebantur pro victimis holocaustorum et pacificorum, non vero pro victima pro peccato. Ad singula cf. Ex. 29, 2 sq.; item Gen. 35,14. v. 16 « *Quae offeret sacerdos coram Domino, et faciet tam pro peccato quam in holocaustum* ». v. 17 « *Arietem vero immolabit hostiam pacificam Domino, offerens simul canistrum azymorum et libamenta, quae ex more debentur* ». Cf. Hebr. v. 18 « *Tunc radetur nazaraeus ante ostium tabernaculi foederis caesarie consecrationis suae, tolletque* » aliquis, sane sacerdos, cui soli videtur permissus fuisse accessus ad ignem sacrum, « *capillos eius et ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum* ». « Debebant cremari, cum essent sacri » (*Sylv.*). Iam, dum v. 17 aries immolabatur, cesserant sacerdoti (Lev. 7,32-34; cf. h. l. v. 20) armus dexter arietis et pectusculum dexterum (cf. CEL p. 296). Mox epulum sacrum parabatur, carnes coquebantur, et nunc armus etiam sinister sacerdoti ab ipso nazaraeo tradebatur, quo significabatur (*Keil*) Dei intimius veluti in hoc epulo cum suis convivium : v. 19 « *Et armum coctum arietis, tortamque absque fermento unam de canistro, et laganum azymum unum* » *tollet sacerdos* « *et tradet in manus nazaraei, postquam rasum fuerit caput eius* »; tradet eum manuducens, ut quid ipse agere debeat advertat; v. 20 « *susceptaque rursum ab eo elevabit in conspectu Domini* », Domino quippe dantur, quae cedunt sacerdoti; « *et sanctificata sacerdotis erunt, sicut pectusculum quod separari iussum est, et femur. Post haec potest bibere nazaraeus vinum* ».

Sequitur subscriptio v. 21 : « *Ista est lex nazaraei,* [*cum*] *voverit oblationem suam Domino* [*tempore*] *consecrationis suae* », — sententia hic uti 5, 29, licet non eodem adamussim sensu, continuatur voce אשר. Pro *lex* illico scribitur concrete id, quod lex praecipit : *id, quod vovit Domino super consecratione sua*. Vovit nazaraeatum his sacrificiis terminandum et comae combustione; haec thora praecipit, neque ultra haec progreditur — « *exceptis his* », praeter ea, « *quae invenerit manus eius* »; ipsi quippe fas est victimarum et mincharum numerum augere; « *iuxta quod* [*mente*] *devoverat, ita faciet ad perfectionem*

sanctificationis suae ». Sed *Hebr.* : *ita faciat secundum thoram consecrationis suae. Bonfr.* putat illo *iuxta quod voverat* designari speciales aliquas sive abstinentias sive oblationes, ad quas ille se praeter nazaraeatus votum voto aliquo superaddito obstrinxerit. Sed de aliis abstinentiis, praeter tres essentiales nazaraeorum obligationes, in textu non agitur. De spontaneis oblationibus agebat incisum praecedens, sed gratuito eae supponuntur e voto aliquo addititio esse factae; expressio *quae invenerit manus eius* utique non sapit votum. Agitur de oblationibus lege praescriptis v. 13-20, et sensus v. 21 fere hic est : Haec sunt, quae lege nazaraeus praescribitur offerre; alia pro lubitu superaddere potest; ea certe, quae lege praescribuntur ideoque eius voto continentur, religiose praestet.

V. FORMULA BENEDICTIONIS SACERDOTALIS NUM. 6, 22-27.

Arg. — Deus non soli pontifici (*Calm.*), sed singulis sacerdotibus potestatem facit benedictionis apprecandae, quam ipse se ratam habiturum esse profitetur (*Est.*). Cujus formulam tradit ter sacrosanctum Iahve nomen ingeminantem (*Cai.*).

Certe haec benedictio non erat impertienda solis dimittendis e nazaraeato (*Sylv.*). E Lev. 9, 22 intulerim, dandam fuisse extremis liturgiis, imprimis utique sacrificiis. Ex quo Deus protoparentibus benedixit Gen. 1, 28, creditum est pios parentes liberis largiri posse efficacem benedictionem. Ratas habuit imprimis Deus magnorum patriarcharum benedictiones (Gen. 27; 48, 15 sq.; 49) eorumque proli suam ipse benedictionem promisit (Gen. 22, 17 sq.; 28, 14). Nunc tandem Deus permanenti instituto sacerdotum aaronicorum benedictionem ratam habet, etiam peccatorum (*Proc.*). Ergo non solam benedicendi formulam haec lex tradit, sed potesfatem benedicendi. Perpende, quantum augeri debuit populi in hos sacerdotes reverentia, quibus permanenter committeretur potestas elargiendae benedictionis a Deo ratae habendae.

V. 22 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 23 « *Loquere Aaron et filiis eius : Sic benedicetis filiis Israel et dicetis eis* » : — sequentes tres versus non sunt tres diversae benedictiones, quarum unam sacerdos pro lubitu seligat (*Calm.*), sed tres versus sunt poetica repetitio unius eiusdemque benedictionis (*Bonfr.*), in quavis benedictione impertienda omnia, quae v. 24-26 habentur, proloquebatur sacerdos — v. 24 « *Benedicat tibi Dominus et custodiat te* »; v. 25 « *ostendat Dominus faciem suam tibi et misereatur tui*; v. 26 « *convertat Dominus vultum suum ad te et det tibi pacem.* » v. 27 « *In-*

vocabuntque » — *Hebr. ponentque* — « *nomen meum super filios Israel* », ter in illa una formula invocatum, « *et ego benedicam eis.* »

C. Solemnitas postposita dedicationis tabernaculi Num. 7.

Arg. — In solemnitate dedicationis novi sanctuarii, quae ob funus Nadab et Abiu videtur esse postposita, offerunt duodecim principes tribuum per Moysen a Deo instituti dona aequalia, in agnitionem aequalis Dei in omnes auctoritatis. Levitae, uti a militia, ita etiam a donis praestandis eximuntur. Dona sunt primum plaustra et boves ad vehenda sacra; dein minchae et victimae; et minchae quidem vasis argenteis continebantur, incensum aureis.

Cap. VII v. 1 « *Factum est autem in die, qua complevit Moyses tabernaculum et erexit illud, unxitque et sanctificavit cum omnibus vasis suis, altare similiter et omnia vasa eius* », — an ergo, quae mox narratur, plaustrorum et boum oblatio facta est prima die mensis primi anni ab exodo secundi (Ex. 40, 2. 15)? Sed obest hucusque auctorem res narrasse eo fere, quo evenere, ordine chronologico : quomodo ergo nunc resiliat ad ipsa Levitici initia? Praeterea v. 6-9 ostendit narrari ea, quae posteriora sint cap. 3 sq. narratis : habes quippe singulis levitarum cognationibus sua iam assignata sacra officia. Ergo aut *dies* sumendus est *sensu indeterminato* pro *tempore*, aut *sensu liturgico* pro die celebrandae primae erectionis et unctionis sanctuarii, seu pro *die dedicationis.*

Vocem *indeterminate* sumit *Calm.* Rationes afferri possunt, nolle tandem auctorem tradere tempus determinatum, cum diem, mensem, annum taceat; item pro *die unctionis* v. 10.84 eum scribere v. 88 *post unctionem*, ergo priorem expressionem indeterminate exprimere tempus illa unctione posterius. — *Cai.* suggerit, *erectionem* tabernaculi plures insumpsisse dies; et reapse, licet postmodum brevi ab itinere tempore tabernaculum erigi consueverit, videtur tamen prima erectio longius insumpsisse tempus, cum quod operi non essent assueti, tum quod aliqua etiam Ex. 40,25. 27 offerenda essent sacrificia. Tamen in Lev. narrantur aliqua, quae certe *post* completam tabernaculi *erectionem* locum habuere, v. g. Lev. 9 sq.; Num. 7 narrata collocanda erunt ante 1,1 eritque deserendus ordo chronologicus narrationis. — Monet igitur *Bonfr.*, agi Num. 7,1 de completa non solum erectione sed item sanctificatione et *unctione* tabernaculi; hanc autem durasse ad minimum octo dies usque ad sacrificia Lev. 9 ab Aarone oblata : sc. unctionem Ex. 40,9 sqq. a Deo praeceptam censet eandem esse atque illam Lev. 8,10 sq. 33 sq.; plaustra statuit octavo die Lev. 9,1 oblata esse. Tamen etiam sic deseritur ordo chronologicus, Num. 7,1 collocandum erit ante 1,1. — Rabbini (ap. Drus.), imprimis *Abenesra*, diem completionis intelligunt *liturgice* pro solemnitate *dedicationis tabernaculi.* Eiusmodi celebrandam fuisse per se patet, neque eius partem fuisse ordinationis sacerdotum septiduum Lev. 8, quo illi tabernaculo conclusi continebantur. Et nota, dum Ex. 40,33 agatur

de completione *operis, laboris* מְלָאכָה, Num. 7,1 agi de completione erectionis, sanctificationis, unctionis, quae demum constat dedicatione; itemque, vocem חנכה v. 10 sq. 84. 88 eandem esse, quae 2 Par. 7,9; 2 Esdr. 12,27 indubie sonet *dedicationem*. Eam dedicationem Abenesra censet inchoatam esse benedictione, quam Lev. 9,22 Aaron populo impertivit, potuit autem item inchoari eiusdem diei sacrificiis. Inceperit igitur dies ille liturgicus die octavo Lev. 9,1 post ordinationis initium : at misere interrupta est ea solemnitas luctuosa morte Nadab et Abiu Lev. 10, quae occurrit eodem die in primo Aaronis publico sacrificio. Secutus est solemnis luctus « totius domus Israel » 10,6 pro duobus primi pontificis filiis neosacerdotibus, qui duravit saltem dies septem (1 Reg. 31,13), fortasse plures, haud plures certe quam triginta (Gen. 50,10; Num. 20,30; Deut. 34,8). Post quem luctum resumenda erat quae abrupta fuerat dedicatio, non computato (cf. Num. 6,12) die Lev. 9. Producebatur ea saltem ad octavam, fortasse ad plures etiam dies, ita ut singuli dies suas Num. 7 haberent principum oblationes, totaque solemnitas concluderetur immolatione victimarum v. 87 sq. Secundum hanc explicationem Num. 7 nequaquam recedit ab ordine chronologico sacrae narrationis.

V. 2 « *Obtulerunt principes Israel* [*et*] *capita familiarum* », — *LXX*: *duodecim*, cf. v. 3 : sermo est de duodecim principibus 1, 5-16 — « *qui erant per singulas tribus praefectique eorum, qui numerati fuerant* », — ergo, sensu obvio, obtulere illi plaustra aliaque dona *post* peractum censum Num. 1 sq. — v. 3 « *munera coram Domino : sex plaustra tecta cum duodecim bobus. Unum plaustrum obtulere duo duces, et unum bovem singuli, obtuleruntque ea in conspectu tabernaculi* ». Ex voce *suscipe* v. 5 coniiciat quis eos obtulisse non rogatos et convenisse inter se, ut aequalia offerrent, vitandae invidiae causa (*Sylv.*) aut alia de ratione. v. 11 alia dona a Deo imperantur quidem, sed an ipse aequalia imperaverit aut ipsi de aequalibus convenerint, silet textus.

De voce צב vix quidquam habent lexica; occurrit ea etiam Is. 66,20. *LXX* λαμπηνίκας, λαμπήναις, *vehiculum tectum*. Quem sensum h. l. exprimunt *Vulg. Chald. Syr.*; altero loco aliis omnino vocibus usae hae versiones (*Vulg.* lecticis!) incertum prodere animum videntur. Versio *tecta* praeferenda videtur.

V. 4 « *Ait autem Dominus ad Moysen* » : v. 5 « *Suscipe ab eis, ut serviant in ministerio tabernaculi, et trades ea levitis iuxta ordinem ministerii sui* ». Aut Dei verba compendio traduntur, aut Moyses pro sua prudentia determinavit, quot plaustra singulis levitarum cognationibus obtingerent. Meraritis plura plaustra dedit quam Gersonitis, quod graviora onera haberent ferenda; Caathitis nullum dedit, quo res sanctissimas suis humeris deferrent (*Bonfr.*), ob maiorem reverentiam et ne boum illae inconstantiae ullo modo permitterentur. v. 6 « *Itaque cum suscepisset Moyses plaustra et boves, tradidit eos levitis* ». v. 7 « *Duo plaustra et quatuor boves dedit filiis Gerson iuxta id*

quod habebant necessarium »; v. 8 « *quatuor alia plaustra et octo boves dedit filiis Merari secundum* [*officia et*] *cultum suum* »; omnia posuit « *sub manu Ithamar, filii Aaron sacerdotis* » (cf. 4, 28. 33). v. 9 « *Filiis autem Caath non dedit plaustra et boves, quia in sanctuario serviunt* », rerum sanctissimarum curam habent, « *et onera propriis portant humeris* ». v. 10 « *Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris die, qua unctum est, oblationem suam ante altare.* »

Sequuntur dona prolata pro sacrificiis : victimae producuntur; minchae et incensum in vasis pretiosis afferuntur, quorum nomina discussimus ad Ex. 25,29; 37,16; 38,3. v. 11 « *Dixitque Dominus ad Moysen : Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris* ». Statimque narratur, quomodo mandatum impletum sit. v. 12 « *Primo die obtulit oblationem suam Nahasson, filius Aminadab, de tribu Iuda* ». Procedunt duces eo ordine, quem Num. 2 in castris obtinent. v. 13 « *Fueruntque in ea acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum* » (1891 gramm. 50 seu 380 fr. 90), « *phiala argentea habens septuaginta siclos* » (1018 gramm. 50 seu 205 fr. 10), « *iuxta pondus sanctuarii* », — quae verba ad omnes hos siclos placet referre. Cf. quae dicebamus ad Ex. 30,13; 38,24 — « *utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium* », seu potius *in mincham;* v. 14 « *mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso* » (145 gramm. 50 seu 439 fr. 50); v. 15 « *bovem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum* »; v. 16 « *hircumque pro peccato* »; v. 17 » *et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Haec est oblatio Nahasson, filii Aminadab* ». Dona v. 13-16 singula adscripta habent vocem *unam.*

Sequentium principum oblationes iisdem verbis describuntur, v. 18 « *Secundo die obtulit Nathanael, filius Suar, dux de tribu Issachar* », v. 19 « *acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos iuxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium* », seu *in mincham;* v. 20 « *mortariolum aureum habens decem siclos plenum incenso* », v. 21 « *bovem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum* »; v. 22 « *hircumque pro peccato* »; v. 23 « *et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Haec fuit oblatio Nathanael, filii Suar* ».

v. 24 « *Tertio die princeps filiorum Zabulon Eliab, filius Helon* », v. 25 « *obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium* »; v. 26 « *mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso* »; v. 27 « *bovem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum* »; v. 28 « *hircumque pro peccato* »; v. 29 « *et in sacrificio pacificorum boves duos,*

arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Haec est oblatio Eliab, filii Helon ».

v. 30 « *Die quarto princeps filiorum Ruben Elisur, filius Sedeur* », v. 31 « *obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium* »; v. 32 « *mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso* »; v. 33 « *bovem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum* »; v. 34 « *hircumque pro peccato* »; v. 35 « *et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Haec fuit oblatio Elisur, filii Sedeur* ».

v. 36 « *Die quinto princeps filiorum Simeon Salamiel, filius Surisaddai* », v. 37 « *obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium* »; v. 38 « *mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso* »; v. 39 « *bovem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum* »; v. 40 « *hircumque pro peccato* »; v. 41 « *et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Haec fuit oblatio Salamiel, filii Surisaddai* ».

v. 42 « *Die sexto princeps filiorum Gad Eliasaph, filius Duel* », v. 43 « *obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium* »; v. 44 « *mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso* »; v. 45 « *bovem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum* »; v. 46 « *hircumque pro peccato* »; v. 47 « *et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Haec fuit oblatio Eliasaph, filii Duel* ».

v. 48 « *Die septimo princeps filiorum Ephraim Elisama, filius Ammiud* », v. 49 « *obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium* »; v. 50 « *mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso* »; v. 51 « *bovem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum* »; v. 52 « *hircumque pro peccato* »; v. 53 « *et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Haec fuit oblatio Elisama, filii Ammiud* ».

v. 54 « *Die octavo princeps filiorum Manasse Gamaliel, filius Phadassur* », v. 55 « *obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium* »; v. 56 « *mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso* »; v. 57 « *bovem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum* »; v. 58 « *hircumque pro peccato* »; v. 59 « *et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Haec fuit oblatio Gamaliel, filii Phadassur* ».

v. 60 « *Die nono princeps filiorum Beniamin Abidan, filius Gedeonis* », v. 61 « *obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium* »; v. 62 « *et mortariolum aureum appendens siclos decem plenum incenso* »; v. 63 « *bovem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum* »; v. 64 « *hircumque pro peccato* »; v. 65 « *et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Haec est oblatio Abidan, filii Gedeonis* ».

v. 66 « *Die decimo princeps filiorum Dan Ahiezer, filius Ammisaddai* », v. 67 « *obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium* »; v. 68 « *mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso* »; v. 69 « *bovem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum* »; v. 70 « *hircumque pro peccato* »; v. 71 « *et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Haec fuit oblatio Ahiezer, filii Ammisaddai* ».

v. 72 « *Die undecimo princeps filiorum Aser Phegiel, filius Ochran* », v. 73 « *obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium* »; v. 74 « *mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso* »; v. 75 « *bovem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum* »; v. 76 « *hircumque pro peccato* »; v. 77 « *et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Haec fuit oblatio Phegiel, filii Ochran* ».

v. 78 « *Die duodecimo princeps filiorum Nephthali Ahira, filius Enan* », v. 79 « *obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, utrumque plenum simila oleo conspersa in sacrificium* »; v. 80 « *mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso* »; v. 81 « *bovem de armento et arietem et agnum anniculum in holocaustum* »; v. 82 « *hircumque pro peccato* »; v. 83 « *et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Haec fuit oblatio Ahira, filii Enan* ».

Adscribitur, uti alias, summa. v. 84 « *Haec in dedicatione altaris oblata sunt a principibus Israel, in die qua consecratum est* », in die, qua haec consecratio publica solemnitate celebrabatur; ergo secundum v. 88 *post* ipsam consecrationem : « *acetabula argentea duodecim, phialae argenteae duodecim, mortariola aurea duodecim* »; v. 85 « *ita ut centum triginta siclos argenti haberet unum acetabulum, et septuaginta siclos haberet una phiala, i. e. in commune vasorum omnium ex argento sicli duo millia quadringenti, pondere sanctuarii* »; — 34 kilogr. 920 et 7 032 fr. — v. 86 « *mortariola aurea duodecim plena incenso denos siclos appendentia pondere sanctuarii, i. e. simul auri sicli centum viginti* »; — 1 kilogr. 746 et 5 274 fr.; aurum argento additum 12 306 fr. — v. 87 « *boves de armento in holocaustum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim et libamenta eorum; hirci duodecim pro peccato* »; v. 88 « *in hostias pacificorum boves viginti quatuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Haec oblata sunt in dedicatione altaris, quando* » — *Hebr. postquam* — « *unctum est* ». Verba explicite edicunt, dedicationem hanc habitam esse *post* erectionem et unctionem v. 1. Ceterum extrema sententia narrationem dedicationis concludit.

Notula : de Moysis cum Deo commercio v. 89.

Ea appenditur solemnitati dedicationis, similiter atque Ex. 40, 31-36 appendebatur erectioni tabernaculi; sed multo plus dicit quam illa : Moyses conversabatur cum Deo ut amicus cum amico; quoties collocuturus cum eo intrabat tabernaculum, audiebat vocem Dei et ipse cum Deo loquebatur. Singula eloquia divina e tali commercio prodibant. v. 89 « *Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum foederis, ut consuleret* [*oraculum*] », — *Hebr. : ut loqueretur cum eo,* et pronomen grammatice refertur ad altare v. 88, sc. Deus cum suo altari confunditur, in eo praesens est — « *audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonii inter duos Cherubim,* [*unde*] *et loquebatur ei* ». Ultimi incisi subiectum facit *Vulg.* Deum : melius fac Moysen, ipse libere cum Deo colloquebatur.

D. Lex de candelabro instruendo Num. 8,1-4.

Arg. — Lex haec obscurior illud videtur statuere, quid in candelabro instruendo a pontifice, quid a sacerdotibus fuerit praestandum. Inserta est h. l., quia inter dedicationem tabernaculi et levitarum consecrationem edita est.

Textum non ita facilem obscuravit glossa aliqua, quae v. 2, post saeculum uti videtur octavum, in textum *Vulg.* penetravit. « Primigenius Vulgati textus legebat : *Cum posueris septem lucernas, contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt.* Dein ad marginem primo adscriptum dicimus scholion sive glossam hisce fere verbis conceptam : *Candelabrum in australi parte erigebatur. Hoc igitur praecipit, ut lucernae contra boream e regione respiciant ad mensam panum propositionis.* Quae quidem glossa in textum denique migravit, easque subiit varietates quas vidimus » (*Verc.*); quarum gravissima fuit mutatum *praecipit* in *praecipe.* Glossam autem suggerebat, praeter Ex. 26,35, etiam Ex. 25,37; 27,20; 40,22. Perperam igitur *Bonfr.* ipsum *S. Hier.* affirmat, « non tantum simplicis interpretis officio esse functum, sed verba obscuriora longiore paraphrasi illustrasse. » Erravit hac in re non S. Hier., sed qui glossam cum textu confudit scriba.

Cap. VIII v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere Aaron* », ad ipsum quippe ea res spectabat, « *et dices ad eum : Cum posueris septem lucernas,* [*candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur praecipe, ut lucernae contra boream e regione respiciant ad mensam panum propositionis,*] *contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt* ». Verte : *quando pones lucernas, e regione candelabri accendent septem lampades.* Non erat accuratius indicandus locus, quo ponerentur lucernae : col-

locabantur quippe non *e regione candelabri* (cf. Ex. 25,37; Lev. 24,4; eundem sensum 25,37 habet expressio על עבר פני), sed in ipso candelabro. Merito igitur *Vulg.* voces *e regione candelabri* ad apodosin trahit. יאירו versiones vertere *lucebunt;* illud igitur edici censent, ita apponendas esse lampades, ut versus partem candelabri anteriorem lumen effunderent (Ex. 25,37), ergo cum illud a parte australi coram sancto sanctorum staret, boream versus. An huius solius rei sanciendae gratia divinum eloquium Num. 8,1-4 editum est? Verum יאירו aequo, ne dicam potiori iure vertitur *accendent* (Mal. 1,10; Is. 27,11). Ex. 27,21 cura lucernarum demandabatur Aaroni et filiis, 30,7 sq. et Lev. 24,3 solus Aaron scribitur; nunc, quae sint ea in re Aaronis, quae filiorum partes accuratius definitur : pontificis est *collocare* lucernas, sacerdotum collocandas *praeparare.* Hoc pontificem facere non decet : an vero, v. g. quando ipse morbo impediretur, liceret pontifici simplicem sacerdotem ad collocandas etiam lampades delegare, id e textu non indubie colligitur. Praeparandae porro erant lampades *e regione candelabri*, nequaquam e sanctuario ut pararentur efferendae. Insuper e verbis infert *Cai.* debuisse semper septem simul lampades accendi, non unam alteramve. v. 3 « *Fecitque Aaron et imposuit lucernas super candelabrum* » *e regione candelabri,* ib. ab Eleazaro et Ithamare praeparatas, « *ut praeceperat Dominus Moysi* ». v. 4 « *Haec autem erat factura candelabri, ex auro ductili, tam medius stipes quam cuncta, quae ex utroque calamorum latere nascebantur* »; *Hebr. : usque ad hastile eius, usque ad lilium eius;* ab imo ad summum (cf. Ex. 25,31 sq.). Narrator monet, circa reliquum candelabrum nihil fuisse sacerdotibus praestandum, quod illud totum esset ex auro productum, solasque lucernas ab illo potuisse separari (*Dillm.*). « *Iuxta exemplum, quod ostendit Dominus Moysi, ita operatus est* » — aliquis, Beseleel, ergo : ita factum est — « *candelabrum* ».

E. Levitarum consecratio Num. 8,5-26.

Arg. — Designati fuerant Num. 4 levitae sanctorum ministri, sed sine publica consecratione ad ministeria non erant admittendi. Quam consecrationem posterioribus etiam temporibus esse adhibitam, et rei natura docet et textus 2 Par. 29,34 affirmat. Ritui consecrationis praemittitur v. 6 sq. purificatio. Ipsa consecratio duplici constat donatione : levitae dono donantur Iahvae a filiis Israel v. 11, cui simul v. 12 sacrificium proferunt, et rursum a Iahve v. 13 sq. (cf. v. 18) dono dantur Aaroni et filiis pro ministeriis sacris.

Licet in hoc ritu aliqua (cf. v. 11. 20) Aaroni etiam praestanda fuerint, tamen ad solum Moysen dirigitur alloquium, quia ipse ritu perfungitur, in quo praeter sacerdotes suas etiam partes habent levitae et populus. v. 5 « *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 6 « *Tolle levitas de medio filiorum Israel, et purificabis eos* » v. 7 « *iuxta hunc ritum : Aspergantur* » — reliqui *asperges eos* — « *aqua lustrationis* », *Hebr. aqua peccati*, seu plenius Num. 19,9 *aqua impuritatis peccati* (de qua plura ib.), « *et radant omnes pilos carnis suae* », plurima quippe immunditia pilis adhaeret (*Est.*). « *Cumque laverint vestimenta sua et mundati fuerint* », — *Hebr : et lavabunt vestimenta sua et purificabuntur.* His tribus ritibus aspersionis, abrasionis lotorumque vestimentorum constat praescripta purificatio — v. 8 « *tollent bovem de armentis et libamentum eius similam oleo conspersam, bovem autem alterum de armento [tu] accipies pro peccato* ». Emphatice illud *tu* scribit *Vulg.* (dissentientibus tamen decem codicibus etc.; cf. *Verc.*). Utrumque bovem proferebant levitae, quia alter etiam pro levitarum peccato erat : ergo *sumes* h. l. idem est, atque *curabis, ut sumant.* v. 9 « *Et applicabis* », accedere facies, « *levitas coram tabernaculo foederis, convocata omni multitudine filiorum Israel* ». Sicut omnes praesentes obtulissent suos primogenitos, ita omnes decebat praesentes adesse, quando loco primogenitorum levitae offerebantur (*Sylv.*). v. 10 « *Cumque levitae fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos* ». « Quemadmodum offerentes animal ponebant manus super illud tamquam dicantes Deo, ita principes duodecim tribuum vice totius populi imponebant manus super levitas tamquam donantes illos Deo » (*Cai.*). v. 11 « *Et offeret Aaron levitas munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio eius* ».

Hebr. : et erunt ad ministrandum ministrationes Iahve, eo ritu Iahve traduntur in ministros. — Pro *offeret munus* habet *Hebr.* והניף תנופה : agitur de illo ritu Ex. 29,26, quo sacerdos partem eorum, quae pro sacrificiis offerebantur, manibus elevabat et simul huc illuc movebat, quod N. T. sacerdotes fere ad offertorium Missae faciunt. Hinc gravis quibusdam suborta difficultas. Putabat *Cai.* Aaronem levitarum aliquos manibus suis in altum sustulisse. Suggerebat *Calm.* eum singulos levitas omnes coram se adstantes huc illuc agitasse; *Kn.* eum versus et supra singulos manus suas ita agitasse, uti secus in ritu תנופה agitari consueverant. Quomodo ritus hac occasione peractus sit, textus non prodit; peractus est sane modo decenti et decoro.

v. 12 « *Levitae quoque ponent manus suas super capita boum, e quibus unum facies pro peccato* », — melius *faciet* aliquis, sc. Aaron, qui modo v. 11 ritum oblationis peregerat — « *et alterum in holo-*

caustum Domini, ut depreceris pro eis », *Hebr. : ad propitiandum pro eis.* Sequitur altera pars ritus consecrationis v. 13 : « *Statuesque levitas in conspectu Aaron et filiorum eius, et consecrabis oblatos Domino* ». Sicut Aaron v. 11 nomine populi ritum תנופה peregerat, ita nunc Moyses nomine Dei vel Aaronis. v. 14 « *Ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei* ». v. 15 « *Et postea* », non antea, « *ingredientur tabernaculum foederis, ut serviant mihi* ». Sed *Hebr. : et postea ibunt ad ministerium tabernaculi.* Soli Caathitae, et quidem raro (4,15), *ingrediebantur* tabernaculum, sed post consecrationem omnibus levitis eundum erat ad sua cuiusque ministeria. « *Sicque purificabis et consecrabis eos in oblationem Domini* ». Porro ritus significatio inculcatur eiusque secunda pars penitius explicatur : « *Quoniam dono donati sunt mihi a filiis Israel* ». v. 16 « *Pro primogenitis, quae aperiunt omnem vulvam in Israel, accepi eos* » (3,12 sq.). Et quo iure Deus omnes sibi primogenitos rursum vindicet, repetitur v. 17 : « *Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus quam ex iumentis. Ex die, quo percussi omne primogenitum in terra Aegypti, sanctificavi eos mihi* »; v. 18 « *et tuli levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel* », v. 19 « *tradidique eos dono Aaron et filiis eius de medio populi* », is sensus ritus v. 13 — « *ut serviant mihi pro Israel in tabernaculo foederis, et orent pro eis* », *propitientur pro eis,* non ritu sacerdotum, sed ut inter Iahven et populum procedant et populum a Iahve indignatione veluti defendant et *tegant,* « *ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad sanctuarium* ». Plagam imprimis intellige (Ex. 12,13; 30,12), qualis Aegyptiorum prostravit primogenitos, pestis vel lues. Eiusmodi plaga puniendum fore populum affirmat Deus, si irreverenter accesserit ad sancta.

Iussa religiose esse executioni mandata, *Hebr.* distinctius quam *Vulg.* effert. v. 20 « *Feceruntque Moyses et Aaron et omnis multitudo filiorum Israel super levitis, quae praeceperat Dominus Moysi* ». Ipse ritus compendio refertur, quibusdam omissis, v. 21 : « *purificatique sunt* », i. e. *aspersi* aqua lustrali, « *et laverunt vestimenta sua; elevavitque eos Aaron in conspectu Domini, et oravit pro eis* ». *Hebr. : et expiavit pro eis ad purificationem eorum,* v. 22 « *ut [purificati] ingrederentur ad officia sua in tabernaculum foederis coram Aaron et filiis eius* ». Sed *Hebr.* sententiam habet independentem : *et post haec ingrediebantur etc.* (cf. v. 15); absoluta consecratione coepere suis officiis fungi. « *Sicut praeceperat Dominus Moysi de levitis, ita factum est* ».

Ergo textus primitus non exhibebat unum Moysen omnia solum peregisse, serior vero corrector plura tribuit Aaroni (*Dillm.*). v. 6 sq. purificat Moyses levitas, i. e.

mandatum edit, ut ipsi se purificent. v. 9 *appropinquare facere* non est actio sacerdotalis, sicut neque convocare concionem. De *facies* v. 12 v. s. Aaron sacerdotio fungitur inter populum et Deum v. 11 sq., Moyses inter Deum et Aaronem v. 13; v. 21 non est correctio omnia soli tribuens Aaroni, sed compendiosa ante dictorum repetitio.

Levitarum consecrationi apte adnectitur

Thora levitarum Num. 8,23-26.

Arg. — Haec thora Num. 4 supponit et complet. Ibi levitae ab anno trigesimo ad quinquagesimum addicebantur comportandis sacris : hic portandorum nulla mentio. Sed ad leviora officia iubentur adhiberi levitae etiam ab anno vigesimo quinto. Qui vero quinquagesimum annum explevere, a gravioribus laboribus exempti, officiis adhibentur magis honorificis.

v. 23 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 24 « *Haec est lex levitarum : A viginti quinque annis et supra ingredientur, ut ministrent in tabernaculo foederis* », ut turmatim obeant labores etc.; v. 25 « *cumque quinquagesimum annum aetatis impleverint, servire cessabunt* »; *Hebr. : cessabunt a labore turmatim obeundo, et non ultra laborabunt.* Semper idem verbum עבד scribitur, cui mox v. 26 opponitur שרת, quod honorificum imprimis servitium exprimit. v. 26 « *Eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo foederis* », — non levitarum onera portantium, nam id non esset honorificum; non sacerdotum (*Cai.*) reliquorumve Israelitarum; sed cum *Chald.* verte *honorifice servient cum fratribus suis* levitis; dum hi graviores labores subeunt, illi iis fungentur, quae plus honoris habeant quam laboris — « *ut custodiant quae sibi fuerint commendata; opera autem ipsa non faciant* ». Cf. *Cai.*, *Sylv.* « *Sic dispones levitis in custodiis suis* », i. e. quoad custodienda, quae ipsis fuerint commendata.

F. Lex de supplendo Phase Num. 9,1-14.

Arg. — Commemorato divino mandato celebrandi Phase etiam secundo post exodum anno, itemque commemorato facto fuisse aliquos die 14[a] Nisan legitime impeditos, statuitur lex, ut eiusmodi homines Phase integro post reliquum populum mense obeant. Ipsa lex Ex. 12 rursum inculcatur.

Hucusque singula documenta deprehendebamus ordine chronologico invicem excipere : at secundum Phase 9,1 fuit certe anterius numeratione 1,1. Servatur nihilominus etiam h. l., uti crediderim,

ordo chronologicus. Illius quippe secundi Phase ideo tantum mentio habetur, quo explicetur factum aliquos tum Phase mense post reliquos celebrasse, i. e. die 14[a] mensis secundi, et lex quae occasione eius facti edita est. Dies autem 14[a] mensis secundi reapse posterior est 1[a] die (1,1), et anterior 20[a] die (10,11) eiusdem mensis. Ergo servatur ordo temporum.

Admirationem facit oratio divina incipiens forma verbi iussiva, praefixa copula ויעשו (*Hebr. Sam. Chald.*); quam iniquam copulam suppressere *Vulg. Syr.*, dum *LXX* ante illam supplevere εἶπον, ortum fortasse e repetitione praecedentis vocis. Solutio facilior haec est : eloquium v. 2 sq. retulit Moyses solummodo explicandae sequentis narrationis et legis gratia; retulit compendio et per anacoluthon. Perperam igitur *Dillm.*, neglecta etiam punctatione, censet v. 2-5 haberi antiquiorem narrationem a redactore aliquo recusam. — Habes hic unum e pluribus exemplum, quomodo Deus legem mosaicam non totam simul populo proposuerit, sed leges primum editas postmodum pro temporum necessitatibus compleverit, ampliaverit, modificaverit. Quid facilius erat, quam Ex. 12 legem ferre de legitime impeditis, quominus Phase statuto die celebrarent? Non tulit tum Deus. Voluit legem suam crescere, uti leges humanae crescere consueverunt, quae non, quaecunque fieri possunt, a suis initiis praedefiniunt, sed temporum decursu complentur et modificantur. Voluit Deus hanc legem pro hominibus latam origine quidem esse divinam, forma ut ita dicam humanam. Quare illud etiam Hebraei posteriores pro certo habuere, posse legem in quibusdam pro temporum ratione modificari, imprimis per prophetas (1 Mach. 4,46; 14,41). Suadente propheta in locum tabernaculi successit templum.

Cap. IX v. 1 « *Locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno secundo postquam egressi sunt de terra Aegypti, mense primo, dicens* » : v. 2 « *Faciant filii Israel Phase in tempore suo* », v. 3 « *quartadecima die mensis huius ad vesperam* » (cf. Ex. 12,6), « *iuxta omnes ceremonias et iustificationes eius* ». v. 4 « *Praecepitque Moyses filiis Israel, ut facerent Phase* ». v. 5 « *Qui fecerunt tempore suo* », — haec vox a Vulg. descripta videtur ad imitationem v. 2 : *Hebr.* non habet במעדו sed בראשון, in primo (mense) — « *quartadecima die mensis ad vesperam in monte Sinai. Iuxta omnia, quae mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israel* ». Ex hoc, quod huius secundi Phase solum per transennam habeatur mentio, collige rationem, cur aliorum, quae forte in deserto celebrata sint Phase nulla habeatur mentio : nullus insignior eventus, nulla nova lex cum illis connectebatur.

v. 6 « *Ecce autem quidam immundi super anima hominis* », contactu cadaveris humani fortasse plane involuntario, « *qui non poterant facere Phase in die illo, accedentes ad Moysen et Aaron* » *in die illo*, — cf. במעדו v. 2. 3. 7 : insistitur tempori, nam eo usque

non habebatur nisi lex sanciens, ut omnes nullo excepto eo uno die Phase celebrarent. Illi viri religiosi fuere, non distulere, sed ipso die ad Moysen accessere, per nuntios suggerit *Calm.*, cum ipsi 5,2 a consuetudine populi excluderentur — v. 7 « *dixerunt eis : Immundi sumus super anima hominis : quare fraudamur, ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel?* » Recte post *Lorinum* monet *Sylv.*, eiusmodi difficultatem non in primo, sed in secundo Phase natam esse, quia brevi ante hoc nomine Iahve promulgatae essent leges munditiei. Falso tamen appellat Lev. 22,4, quae lex de solis erat sacerdotibus. Falso appellat *Malv.* Lev. 7, 20 sq., quae lex est de hostiis pacificorum; agnus autem paschalis non erat victima pacificorum, cum nulla eius pars in altari combureretur, nulla cederet sacerdoti. Erat sacrificium sui generis; verum autem fuisse sacrificium demonstrat expressio v. 7. 13 « offerre donum Iahve ». Recte *Calm.* appellat Num. 5,2 : polluti super mortuo eiiciebantur extra castra, at agnum paschalem comedere poterant ii soli, qui in castris degentes alicui patroeciae attribuerentur. Hinc confirmatur, quae Num. 9 narrantur, accidisse post Num. 5 relata. v. 8 « *Quibus respondit Moyses : State ut consulam, quid praecipiat Dominus de vobis* ». Moysen hic comparat *Theodoret.* cum Iosue, Deum in re Gabaonitarum non consulente. Vide Moysen in re quavis legem spectante consulentem Iahve, eum alloquentem, eius vocem audientem : cf. 7,89.

In lege sequenti primum v. 10-12, qui fuerint polluti super mortuo aut longinquo itinere distenti, iubentur celebrare Phase uno post reliquos mense; ubi aliqui rituum Ex. 12 (v. 8. 10. 46) praeceptorum explicite, reliqui generali formula extremo v. 12 inculcantur. Reliqui Hebraei v. 13 severe monentur Phase celebrare tempore pro omnibus statuto. Advenarum hac in re cum indigenis aequale ius, uti Ex. 12,48 sq., inculcatur v. 14. Lex haec Moyse certe non antiquior imitatur legum antiquiorum formam, v. 10 incipiens vocibus איש איש כי (cf. quae diximus CEL p. 22.), v. 13 והאיש אשר, v. 14 וכי (cf. Ex. 12,48).

v. 9 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 10 « *Loquere filiis Israel : Homo, qui fuerit immundus super anima sive in via procul* », — דרך fem. etiam Ex. 18,20. Rabbini, quo praeter impuritatem contactus cadaveris reliquas etiam impuritates hoc textu exprimerent, *viam longinquam* interpretati sunt vitam a sanctuario eiusque legibus remotam. Cf. *Ps. Ion.* et *Geiger* p. 185 sq. — « *in gente vestra* », — sed *Hebr. vobis aut generationibus vestris*, quibus haec lex efficitur thora perpetuo valitura (cf. Lev. 6,18. 22 etc.) —

« *faciat Phase Domino* » v. 11 « *in mense secundo, quartadecima die mensis ad vesperam; cum azymis et lactucis agrestibus comedent illud* »; v. 12 « *non relinquent ex eo quidpiam usque mane, et os eius non confringent, omnem ritum Phase observabunt* ».

v. 13 « *Si quis autem et mundus est et in itinere non fuit, et tamen non fecit Phase* », — *Hebr. omisit, LXX* ὑστερήσῃ; exprimitur culpa. Certe iure civitatis non privabatur v. g. ille, qui ob lepram non potuerat facere Phase — « *exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo. Peccatum suum ipse portabit* ». v. 14 « [*Peregrinus quoque et*] *advena, si fuerint apud vos, facient Phase Domino iuxta ceremonias et iustificationes eius* », sc. ipsius Phase. « *Praeceptum idem erit apud vos* », una eademque lex « *tam advenae quam indigenae* ».

G. Itineris resumendi praeambula Num. 9,15-10,10.

Recte sentiebat *Calm.*, 9,15-23 cum praecedentibus arctius non connecti, sed novum ordiri narrationis caput. Traxerit haec aliquis ad sequentem resumpti itineris narrationem : maluimus eadem iungere narrationi actorum sinaiticorum, et resumpti itineris narrationem ordiri a 10,11, ubi ad seriem *stationum* redit narratio. Igitur pericope 9,15-23, pro introductione aliqua narrationis resumpti itineris, generalem itineris rationem describit; pericope 10,1-10 usum tubarum explicat. Semel h. l. narrantur ea, quae continuo fiebant. Ad explicandum tubarum usum adscribitur divinum de illis alloquium, quod utique aliquamdiu ante profectionem a monte Sinai editum est, quo tempus superesset conficiendis tubis. Neque cogeris adstruere, tubas nonnisi post secundi mensis quartam decimam diem (9,11) esse confectas.

I. NUBES ITINERIS DUX NUM. 9,15-23.

Arg. — v. 15 sq. docet, iugiter adfuisse columnam nubis interdiu et ignis noctu. v. 17-23 describit, quomodo illa Hebraeos duxerit. Et v. 17 quidem enuntiat, ascendente nube profectos esse Hebraeos, subsistente castra posuisse; v. 18[b]-20[a] eos perseverasse in eodem loco, sive longiore sive breviore ib. tempore nubes consisteret; v. 21 sq. idipsum magis inculcat ipso, quo nubes elevabatur, tempore Hebraeos se itineri dedisse, licet illud tempus minus commodum quandoque videretur; longissimas etiam abrupisse moras, ubi primum nubes elevaretur. Membra concluduntur v. 18[a]. 20[b]. 23 adscripta semel, dein bis, tandem ter expressione על פי יהוה, *ad imperium Iahve.*

v. 15 omnino revertitur ad Ex. 40,34-36 : quae ibi summarie dicebantur, iam fusius exponuntur (*Cai.*). Sed ea certe non est ratio cum *Dillm.* affirmandi, v. 15-23 primitus extremo Exodo adhaesisse, posteaque in hunc locum esse translata, adscriptis eorum loco extremo Exodo v. 34-36.

v. 15 « *Igitur die, qua erectum est tabernaculum* », prima die anni ab exodo secundi (Ex. 40,15), « *operuit illud nubes; a vespere autem super tentorium* » — *Hebr. habitaculum* — « *erat quasi species ignis usque mane* ». Pro *illud* habet *Hebr. : habitaculum quoad tabernaculum testimonii.* Habetur eadem expressio *tabernaculum testimonii* 17,7 sq. (22 sq.); 18,2, exponiturque commode de ea sola tabernaculi parte, quae testimonio (Ex. 25,16) seu sancto sanctorum supereminebat. Similiter h. l. nubes non totum tabernaculum involvebat, sed eam solam partem, ubi erat sanctum sanctorum. v. 16 « *Sic fiebat iugiter* », non solo v. 15 erectionis die : « *per diem operiebat illud nubes, et per noctem quasi species ignis* ».

v. 17 « *Cumque ablata fuisset nubes, quae tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israel; et in loco, ubi stetisset nubes, ibi castra metabantur* ». v. 18 « *Ad imperium Domini proficiscebantur, et ad imperium illius figebant tabernaculum* », castra. Expressiones לפי העלות et על פי יהוה (cf. Ex. 17,1) evincunt (*Cai.*), non alia ratione Deum voluntatis imperium manifestasse, quam nubem aut elevando aut demittendo.

« *Cunctis diebus, quibus stabat nubes super tabernaculum* », quibus tabernaculo incumbebat, « *manebant* [*in eodem loco*] »; v. 19 « *et si* [*evenisset, ut*] *multo tempore maneret super illud, erant filii Israel in excubiis Domini* », — *Hebr. : custodiebant custodiam Domini*, velut praesidium circa tabernaculum in castris continebantur — « *et non proficiscebantur* », v. 20 « *quot diebus fuisset nubes super tabernaculum* ». Sed sententia nequit construi dependenter a v. 19 : *et fuit, quando perseverabat nubes paucis diebus super habitaculum,* « *ad imperium Domini erigebant tentoria, et ad imperium illius deponebant* ». Sive multis sive paucis diebus in eodem loco subsisteret nubes, subsistebant item Hebraei.

Dies numeri v. 20 idem esse atque *dies paucos* patet, cum oppositione verborum v. 19 *dies multi*, tum e textibus a *Calm.* citatis Gen. 34,30; Deut. 4,27; Is. 10,19; 1 Par. 16,19; Ps. 104 (105),12. Non videtur accuratus computus habitus esse, quot dies in singulis stationibus subsisterent Hebraei. Praeterea expressio nos revocat ad aevum, in quo paucos dies facile omnes numerarent, sed maiorem numerum plures non ita accurate assequerentur. — v. 20 sq. ויש אשר, *et fuit quando* feliciter, uti crediderim, interpretatur *Ges. quandoque;* unde efficitur, in itinere Hebraeorum rariores fuisse moras breviores quam longiores.

v. 21 « *Si* » quando « *fuisset nubes a vespere usque mane, et statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur et, si post diem et noctem recessisset, dissipabant tentoria* ». Alteram versus partem vertas : *sive interdiu sive noctu elevaretur nubes, proficiscebantur.* ו significationem induit *aut* Ex. 20,10. 17; 21,16; Lev. 21, 14; 22,23 sq. : ergo vere h. l. *Syr. LXX* או... ו vertunt *aut... aut.* Nolim cum *Kn.* interpretari *diem et noctem* = integrum diem, primum quia יומים non est *dies* sed *interdiu*, dein quia Hebraeorum dies a vespere incipiens non constabat die naturali et nocte, sed nocte et sequente naturali die. v. 22 « *Si vero biduo aut* [*uno*] *mense vel longiori tempore* » — audacter verte *anno* — « *fuisset super tabernaculum, manebant filii Israel in eodem loco et non proficiscebantur; statim autem, ut recessisset, movebant castra* ». v. 23 « *Per verbum Domini figebant tentoria, et per verbum illius proficiscebantur; erantque in excubiis Domini iuxta imperium eius per manum Moysi* ». Moyses nubis motus interpretabatur, tubae ut resonarent iubebat.

II. TUBAE SACERDOTUM NUM. 10, 1-10.

Arg. — Licet haec pericope introductioni sequentium adscribatur ideo potissimum, quo tubarum illarum in Hebraeorum itineribus usus perspiciatur, tamen oratio nonnihil longius excurrens alios item quosdam usus recenset, quibus eae tum tubae adhiberentur. v. 2 tubas confici iubet, v. 3-7 tubarum signa explicat; simplicem sonum תקע, et strepitum תרועה. Sonus unus v. 4 convocat principes ad Moysen; sonus, uti videtur geminatus, v. 7 congregat ecclesiam. Quatuor trinarum tribuum castra totidem strepitibus ad iter evocantur v. 5 sq. Clangendae committuntur v. 8 tubae sacerdotibus. — Hucusque haec lex, quae Moyse non videtur esse antiquior, haud imitatur antiquiorum legum formam : varii versus eandem fere rem tractantes non tamen iisdem vocibus ordiuntur (v. 3 ותקעו; v. 4 ואם; v. 5 sq. ותקעתם; v. 7 ובהקהיל). Habet porro haec lex *additamentum* quoddam v. 9 sq., vel a recentiore aliquo vel ab ipso nonnihil serius Moyse adscriptum, et incipiens a voce וכי, a qua alia item plura legum membra vel additamenta ordiuntur (cf. Ex. 21,14. 18. 20. 22. 26. 28. 33. 35; 22,1. 5-7. 10. 14. 16 etc.). In hoc igitur deprehenditur conformatio quaedam ad antiquiorum legum stilum. Agit vero illud additamentum de earum tubarum usu in bello et in festis. Lex haec perpetuo valitura (v. 8) ad calcem munitur Iahvae sigillo : *Ego Iahve Deus vester.*

Tubae tum *duae* confici iubebantur, quia erant duo tantum simplices sacerdotes

(v. 8) : postea numerus augebatur, crescente numero sacerdotum. Erant praeterea tubae non sacrae שפר (Lev. 25,9) et cornua יובל (cum Ex. 19,13 cf. Lev. 25, 13. 15. 31. 40) : crediderim haec sonum strepitumve a tubis sacris editum fuisse exceptura et ingeminatura, neque enim tubae duae satis erant ad tot homines evocandos. At unum efficiebant tubae sacrae, quod tubae profanae minime efficiebant : Israelitas Deo in memoriam revocabant, Deum Israelitis propitium reddebant (cf. Lev. 23,24). Cuius tamen effectus in solo additamento v. 9 sq. mentio habetur.

Cap. X v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles* » (Ex. 25,18. 31. 36; 37,17. 22; Num. 8,4), « *quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra* ». Sed *Hebr. : convocare et movere*, his quippe duobus adhibentur tubae v. 3-7. v. 3 « *Cumque increpueris tubis* », simplicem sonum edideris, « *congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi foederis* ». Haec generalis propositio explicatur v. 4. 7, sed inter utrumque versum intercedit v. 5 sq. de populo strepitu tubarum ad iter evocando. Qui textus ipse est mancus (v. i.). Ergo totus hic textus noster aliquando reapse videtur esse recusus. Verum id factum esse in ipsa prima libri compositione, redactore ex alio quodam libro quaedam supplente ad narrationem A, id gratis omnino asseritur. Textus haud raro perturbantur scribarum incuria. V. 5 sq. certe non sunt ex alio documento advecti, sed ab ipso narrationis contextu requiruntur, quae praeprimis volebat tradere tubarum usum ad movenda castra. v. 4 « *Si semel clangueris* », simplicem sonum duxeris, « *venient ad te principes* [*et*] *capita multitudinis Israel* ». Omitte copulam; illi principes (Num. 1,5-15) sunt *capita millium Israel* (Ex. 18,25). v. 5 « *Si autem prolixior* [*atque concisus*] *clangor increpuerit* » (cf. Lev. 25,9), — atque e contextu v. 6 supple : prima vice — « *movebunt castra* [*primi*], *qui sunt ad orientalem plagam* » (2,3 sqq.). v. 6 « *In secundo autem* [*sonitu et pari*] *ululatu tubae, levabunt tentoria, qui habitant ad meridiem;* [*et iuxta hunc modum reliqui facient*], *ululantibus tubis in profectionem* ».

Altera v. 6 pars solum habet *et strepitum clangent secundum stationes suas*, parenthesin secundum contextum *Hier.* supplevit. Cuius loco *LXX* haec habent : *et clangetis strepitum tertium, et proficiscentur castra, quae sunt occidentem versus; et clangetis strepitum quartum, et proficiscentur castra, quae sunt ad septentrionem.* Praeter solorum LXX auctoritatem commendat etiam has sententias illud, auctorem nostrum secus (Num. 2-4; 7) in eiusmodi recensendis esse valde prolixum, ergo vix h. l. suppressurum fuisse ea, sine quibus narratio habeatur reapse manca. — E contra extremo v. 10 appendit *Sam.* et post ipsum *Codex syro-hexaplaris* (Field) totum divinum alloquium Deut. 1,6-8, quo Deus Israelitis profectionem e monte Horeb seu Sinai iniungebat. Vix non impium quibusdam videbatur, ut

populus sine expresso divino mandato a Sinai discederet, quare mandatum Deut. 1 magis pie quam sapienter in hunc locum transtulere. Proniores ad eiusmodi pias textus sacri emendationes antiquitus se exhibuere Hebraei.

V. 7 « *Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, et non concise ululabunt* ». Cum unus simplex tubae sonus v. 4 signum fuerit convocandorum principum, pro convocanda ecclesia erit intelligendus aut idem sonus bis vel pluries successive repetitus, aut ipsi principum signo additus sonus unus. Sc., si simplex sonus audiretur semel, conveniebant ad Moysen principes; si brevi post idem audiretur secundo, conveniebat totus populus. v. 8 « *Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis; eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris* », lex perpetuo valitura (cf. Lev. 6,18. 22 etc.; etiam Num. 9, 10 sec. Hebr.).

V. 9 pro *de terra vestra* scribendum *in terra vestra.* Terram accipe sensu latissimo, quo a Deo fuerat semini Abrahae promissa, ergo ab Euphrate ad torrentem Aegypti. Solum intra hos fines, ad hanc terram sive acquirendam sive retinendam, promittit Deus Hebraeis suum speciale auxilium. v. 9 « *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis* », sicut in itineribus deserti, « *et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de* [*manibus*] *inimicorum vestrorum* ». Tubae resonabant, etiamsi non esset cum pugnantibus arca 31,6; 2 Par. 13,12. 14; 1 Mach. 4,40; 5,33; 16,8. v. 10 « *Si quando habebitis epulum* » — שמחה iubilum, festum gaudiosum — « *et dies festos* » sacros (Lev. 23; 25,9) « *et calendas* », i. e. mensium initia, « *canetis tubis* », uti videtur, simplices sonos edentibus, « *super holocaustis et pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri* », coram Deo vestro. « *Ego Dominus Deus vester* ».

DE SINAI IN CADES

NUM. 10,11-20,13

A. De Sinai in Qibroth ha-Taawa Num. 10,11-11,34[a].

Auctor 10,11 narrationem actorum primae stationis aggressus (cf. Ex. 16,1; 17,1; 19,1 sq.; Num. 13,1 etc.), mox aliqua supplet itineris rationem spectantia. Indicata sc. v. 12 generatim tantum directione (solitudo Pharan) praetermissisque primis stationibus (11,3. 34; 13,1), 10,13-28 ordinem itineris describit, v. 29-32 aliquam Moysis cautionem refert; tandem v. 33, commemorata iterum (cf. v. 12) profectione de monte Sinai, primae stationis acta narranda aggreditur. Ita non texuerit fortasse narrationem aliquis nostrarum Universitatum professor; texuit tamen noster auctor, gentis illiteratae primus fortasse scriptor; neque ab inversionibus et ambagibus abhorrebat « sapientia Aegyptiorum » (Act. 7,22), quam edoctus fuerat Moyses, uti videre est ex hieroglyphicis documentis. — Actis in Qibroth ha-Taawa praemittuntur 10,33-11,3 acta quaedam in Tabera, sed is non videtur fuisse locus, in quo stationem posuerint Hebraei.

I. DE ITINERIS RATIONE NUM. 10,11-28.

Arg. — Post castra Iuda incedunt Gersonitae et Meraritae tabernaculum etc. plaustris vehentes; post castra Ruben Caathitae sacra humeris portantes; agmen claudunt castra Ephraim et Dan. Ubi in novam stationem devenitur, illico sacra in tabernaculum inferuntur, quod illico erexerant Gersonitae et Meraritae.

v. 11 « *Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis elevata est nubes de tabernaculo foederis* », v. 12 « *profectique sunt filii Israel per turmas suas* » — *Hebr. : per stationes suas*, illas sc. quas in castris obtinebant — « *de deserto Sinai, et recubuit nubes in solitudine Pharan* », de qua dicemus ad 13,1. *Bonfr., Calm.* putavere, primas iam duas stationes 11,3. 34 fuisse intra limites deserti Pharan. Eiusmodi nomina quandoque sunt strictioris, quandoque latioris acceptionis : potuere illae stationes pertinere ad desertum Pharan, non quidem stricte, sed latius dictum.

Dillm. pericopen v. 13-28 censet esse recusam, primum quod illa nihil novi afferat praeter ea, quae jam ex Num. 2 comperta habeamus. Noster auctor in censi-

bus, elenchis similibusque documentis referendis est diffusior; non tamen diffusior Num. 10 quam Num. 7. Tradebatur Num. 2 ordo castrorum, traditur jam ordo itinerum. Illud certe novum habetur, incessisse Gersonitas et Meraritas a Caathitis separatos. Habetur praeterea inaequalitas stili : a narratione rei praeteritae transitur ad narrationem rei praesentis seu permanentis (cf. verba v. 17.18. 21. 22.25), dum v. 28 ad priorem formam redit. Ipse Dillm. suggerit, auctorem incipere a narratione eorum, quae in primo itinere facta sint, et inde dilabi in narrationem eorum, quae in itineribus fieri consueverint. Cui haec solutio non arriserit, is adhibito redactore variisve documentis difficultate se vix atque ne vix quidem expediet.

v. 13 « *Moveruntque castra primi iuxta imperium Domini in manu Moysi* » — eadem expressio, quae 9,18. 20. 23 sexies scribebatur nobisque in memoriam revocat, sola sublata nube Deum hoc imperium manifestasse; v. 14 *Hebr.* repetit voces *moverunt primi*, et v. 14,18. 22. 25 ante *castra* habet vocem *vexillum*, significans illa quatuor vexilla Num. 2, quae in quatuor trinarum tribuum castris conspiciebantur — v. 14 « *filii Iuda per turmas suas, quorum princeps erat Nahasson, filius Aminadab* »; v. 15 « *in tribu filiorum Issachar fuit princeps Nathanael, filius Suar* »; v. 16 « *in tribu Zabulon erat princeps Eliab, filius Helon* ». v. 17 « *Depositumque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filii Gerson et Merari* ». Obiiciunt 2,17 universam tribum Levi collocari in medio. Respondeo, illum textum directe agere de tabernaculo, et incidenter tantum de castris levitarum; quorum singulis cognationibus nondum sua officia, ideoque neque suus in itineribus locus assignata erant. Igitur noster textus regulam 2,17 complet vel etiam mutat. Quod Gersonitae et Meraritae aliquamdiu ante Caathitas in novam stationem devenirent, illud etiam habebat commodum (v. 21), eos potuisse tabernaculum erigere, antequam Caathitae eodem pervenirent, ita sacra illico in suum quaeque locum inferebantur. v. 18 « *Profectique sunt et filii Ruben per turmas* [*et ordinem suum*]; *quorum princeps erat Helisur, filius Sedeur* », secus *Elisur* scriptus; v. 19 « *in tribu autem filiorum Simeon princeps fuit Salamiel, filius Surisaddai* »; v. 20 « *porro in tribu Gad erat princeps Eliasaph, filius Duel* ». v. 21 « *Profectique sunt et Caathitae portantes sanctuarium. Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum* ». Sed vertere oportet : *et erexerant habitaculum* Gersonitae et Meraritae, *quoad adventarent* Caathitae (*LXX Chald.*). v. 22 « *Moverunt castra et filii Ephraim per turmas suas, in quorum exercitu princeps erat Elisama, filius Ammiud* »; v. 23 « *in tribu autem filiorum Manasse princeps fuit Gamaliel, filius Phadassur* »; v. 24 « *et in tribu Beniamin erat dux Abidan, filius Gedeonis* ». v. 25 « *Novissimi castrorum omnium profecti sunt filii Dan per turmas suas, in quorum exercitu princeps fuit Abiezer, filius Ammisad-*

dai »; v. 26 « *in tribu autem filiorum Aser erat princeps Phegiel, filius Ochran* »; v. 27 « *et in tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira, filius Enan* ». v. 28 « *Haec sunt [castra et] profectiones* », seu stationes, « *filiorum Israel per turmas suas, quando egrediebantur* ».

II. HOBAB SOCIUS ITINERIS ACCITUS NUM. 10,29-32.

Arg. — Non iussus a Iahve Moyses, precibus et promissis impetrat, ut Hobab gener suus, Madianita, Hebraeis iungatur, exploratoris partes in itinere acturus.

Hobab, filius Iethro, frater Sephorae uxoris Moysis, de quo dicebamus ad Ex. 2,18. Cum Ex. 18 referatur Iethro post Amalecitarum in Raphidim cladem Moysen invisisse, sed postea ab eo recessisse, otiose aliqui inquirunt, an tum Hobab cum Iethrone venerit aut eo recedente remanserit (*Cai.*). Cum Hebraeis tamdiu in monte Sinai morantibus frequens Madianitarum commercium et obtinere potuit et sine dubio obtinuit. Hobab, cum eum Moyses alloqueretur, non accesserat Hebraeorum sacris, volebat enim reverti ad cognationem suam. Moysi roganti obsecutus esse h. l. non refertur, colligitur id tamen ex Iud. 1,16;4,11.17 et imprimis ex 1 Reg. 15,6, ubi Saul Cinaeis, posteris ipsius Hobab, dicit : « tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Aegypto ». Igitur cum omni sua cognatione seu tribu adhaesit Hobab Moysi. Coniicit *Proc.*, eum in locum patris sui Iethro successisse, qui tum forte diem supremum obiisset; quo concesso sequetur fere totam illam Madianitarum familiam, cui Moyses tamdiu amice convixerit, ei deinceps adhaesisse. Est tamen ea mera coniectura.

v. 29 « *Dixitque Moyses Hobab, filio Raguel, Madianitae cognato suo : Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis : veni nobiscum, ut benefaciamus tibi, quia Dominus bona promisit Israeli* ». Quod pie magis quam vere explicat *Ps. Ion.* : « quia dixit Deus se velle bene facere proselytis Israelis ». Mirabatur sc. ille vir Moysen secum deducentem non Hebraeum eique in terra promissa sedes attribuentem. v. 30 « *Cui ille respondit : Non vadam tecum, sed revertar in terram meam, in qua natus sum* ». *Hebr. : et ad cognationem meam.* Petita non concedit, antequam conditiones audiverit. Se credere fingit peti a se, ut simul patriae et cognationi valedicat solusque Moysi adhaereat; postea non recusat cum tota cognatione sua e paupere Madianitide commigrare in terram fluentem lacte et melle. v. 31 « *Et ille : Noli, inquit, nos relinquere; tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster* ». v. 32 « *Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi* ». Illas *opes* videtur introduxisse *Hier.*, ne videretur Moyses *optima* terrae sanctae promit-

tere non Hebraeo; sed de optimis non agitur : *bonum, quod benefaciet nobis Iahve, benefaciemus tecum.*

Hebr. v. 31 : *tu enim nosti stationes nostras* (חנה, tentoria figere) *in deserto, et eris nobis pro oculis.* Hic textus, quod videretur alterum praeter nubem statuere itineris *ducem*, plurimum exercuit interpretum animos; uti videre est ex ipsis versionibus. *LXX* : ἦσθα μεθ' ἡμῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ ἔσῃ εν ἡμῖν πρεσβύτης. *Chald.* : *nosti, quomodo castra metati simus in deserto, et magnalia quae nobis facta sunt vidisti.* Imo priorem partem *Ps. Ion.* refert ad Ex. 18 : « scivisti iudicare, quando castra metabamur in deserto, et docuisti nos negotium iudicii, et fuisti carus nobis uti pupilla oculorum nostrorum ». Ludit hic in nomine Hobab חבב, quod interpretantur *dilectus.* — Contra quae advertas, *esse alicui pro oculis* legi Iob 29,15 (« oculus fui caeco et pes claudo ») sensu unice obvio *pro alio oculis circumspiciendi. Stationes* autem illae non possunt intelligi stationes Hebraeorum Aegyptum inter et Sinai, quas videntur intelligere *LXX Chald.*, cum gratuito plane supponatur in illis Hobab Hebraeis adfuisse; neque sola ad montem Sinai statio, cum haec ineptius plurali stationes exprimatur. Praeterea nexus sententiae obvius hic est, quia noverit Hobab stationes istas, *ideo* eum esse prae aliis aptum, qui *in futuro* pro Hebraeis circumspiciat; atqui hoc nomine non erat aptior quoad stationes priores, cum eas Hebraei nunc aeque bene nossent atque ipse; erat autem aptus ad circumspiciendum *in futuro* pro illis, si *futuras* per desertum Pharan nosset stationes, quas ipsi itemque Moyses penitus ignorabant. Eas autem facile norat Madianitarum princeps, qui totam vitam in ea regione egisset et fortasse Madianitarum more (Gen. 37,28) longa per desertum itinera mercaturae exercendae causa suscepisset. Ergo ceteris verior Hier. versio : *tu enim nosti, in quibus per desertum locis castra ponere debeamus.* Felicius scripsisset Hier. : tu enim nosti loca, per quae etc. Ita non videbatur Hobabo relinqui definiendum, quibus in locis castra essent ponenda, quod praestatura erat nubes, sed simpliciter notitia locorum affirmabatur.

Verum sententiae sensu ita explicato, clarius etiam oculos percellit difficultas, quam sensere LXX Targ., quomodo sc. Hebraeis *pro oculis futurus* dicatur Hobab, cum ipsi ducem sequerentur nubem. *Cai.* censet, Hobabo non locum castrorum fuisse definiendum, sed modum castrorum ponendorum : an eum modum non norant Hebraei ipsi? *Est.* monet, nubem in unico loco substitisse, castra vero in immensum patuisse; potuisse ergo Hobab Hebraeos consiliis adiuvare in disponendis castris, reperiendis fontibus et pascuis (similiter *Bonfr.*, *Lap.*). Castrorum circa tabernaculum dispositionem adamussim descripserat ipse Moyses, pascua et fontes, quae prope castra essent, facile reperiebant ipsi Hebraei. Melius *Mar.* alteram sententiae partem explicans : « vicem oculorum fungeris », ait, « ut solent *exploratores* »; et *Calm.* per Hobabum Hebraeos suggerit intellexisse, « quis populus in proximo, amicusne an hostis ». Exploratorum officium perbelle exprimitur vocibus *eris nobis pro oculis.* Huic officio perquam apti erant amici Madianitae, qui castrorum finibus haud ad-

stricti Hebraeorum agmen et antecederent et sequerentur, noti versarentur inter notos, fortasse etiam mercaturam praetenderent.

Immerito igitur exprobraverit quis Moysi, cum ducem a Deo concessam haberet nubem, accivisse sibi praeterea hominem itineris ducem. Fateor equidem me haud valere excutere suspicionem, in hoc facto quadamtenus defecisse egregii viri in Deum fidem. Movet me primum illud, non scribi Moysen adiisse Hobabum *iubente Deo;* quod silentium in narratione, quae rebus quibusvis verba praefigit « Locutus est Dominus », non est a limine negligendum; praesertim cum agatur de re non exigui momenti, sed de misericordia facta a Madianitis illis omnibus filiis Israel per longius tempus (1 Reg. 15,6). Sine dubio humanae etiam prudentiae media Moyses et adhibuit et adhibere debuit; potuit Hebraeis suis uti exploratoribus; sed aliud omnino est integram sibi adsciscere cognationem non Hebraeam eique sedes pacisci in terra promissa. Praeter humanae prudentiae media volebat Deus, de agendis non solum maioribus sed etiam minoribus, *ipse* consuli (cf. 7,89; 9,8; 27,21; Ios. 9,14 etc.). Tandem me movet comparatus locus Ex. 4,20 sqq. (CEL p. 60 sqq.). Uti initio itineris e Sinaitide in Aegyptum eo deliquit Moyses, quod iniussus a Deo caram secum adduxerit uxorem, ita initio itineris e Sinaitide in terram promissam eo rursum deliquit, quod iniussus a Deo uxoris cognatos secum adduxerit. Recte affectum viri cognati premunt *Lap.*, *Men.*, licet eum excusent suggerentes, verbis v. 29 sqq. illud imprimis intendisse Moysen, ut Hobabum ad Hebraeorum sacra pertraheret : « Ducem requirebat in via, ut dux ei fieret ad vitam » (*Rup.*). Putaverim equidem, eum in consanguineos uxoris affectum in Moyse fuisse nimis naturalem. Accedebat alius, quem sequens narratio confirmat, affectus. Angebatur Moyses diffidentia quadam, non ut de Iahve potentia et fidelitate iniquius sentiret, sed quod perspectam haberet populi inconstantiam, progressurus esset in regiones sibi iam penitus ignotas, congressurus cum gentibus numerosis aeque atque bellicosis, cum quibus ne ipsi quidem semper Aegyptii aequo marte dimicassent. Iudicavit igitur, nullum sibi suarum rerum confirmandarum medium esse negligendum. Exposui suspicionem : liberavi animam meam.

Placet indicare rationes, ob quas *Kn.*, *Dillm.* hos versus non ab A, sed a B et C narrari defendant. A nubem facit itineris ducem, C Hobabum. A iam v. 12 perduxit Hebraeos in desertum Pharan, C v. 33 adhuc versatur prope montem Sinai. Accedunt expressiones aliquae, כי על כן (cf. Gen. 18,5), נא, הטיב : verum enimvero, curnam misellus ille A non noverit hiphil הטיב, qui certissime norat Kal טוב? Eiusmodi difficultates non moverent critici nostri, si, antequam textui dissecando manum admoverent, eundem exponerent. Superest una eorum ratio : textus est

truncatus, annueritne Hobab haud edocemur. Annuisse suppleas e contextu. Praeterea rimare, quid potissimum sacer narrator nos docere voluerit adscriptis v. 29-32. Si commendare volebat Moysis in providendis exploratoribus prudentiam, potuit, non debuit verborum v. 31 sq. effectum narrare. Eundem sapienter reticebat, si nobis prima in Moysis animo diffidentiae semina indicare cupiebat, sequenti narratione explicanda.

III. ACTA IN TABERA NUM. 10,33-11,3.

Arg. — Praeparant ea sequentem in Qibroth perturbationem. In ipsa de monte Sinai profectione, cum arca in medio agmine incederet et nubes primum agmen antecederet, solemni itinerario psalmo vix decantato, subortum est populi murmur ob resumptum peregrinationis laborem. Quos Deus punivit aliquod extremo agmini infligens incendium, quod Moyse orante exstinctum est.

Post v. 34 et 36 inserunt *Masor.* נ inversum, quod secus solum habetur Ps. 106 (107), 23. 24. 25. 26. 27. 28. 40. Quis hujus signi h. l. sit sensus, *LXX* pandunt : habent sc. ipsi alium ordinem versuum, transponentes v. 34 ad calcem capitis. Nos igitur versus eo ordine exponemus, quem et LXX et Masor. commendat auctoritas. Critici moderni, illud נ inversum ignorantes, aiunt 11,1-3 non satis connecti neque cum praecedentibus neque cum sequentibus.

Tandem ad narrationem actorum primae stationis procedit oratio. Interiectis v. 13-32, rursum quoad substantiam repetitur v. 12 prior pars : v. 33 « *Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum* ». Distantia haec est ad primam stationem 11,34; tamen non adscribitur nomen stationis, quod primum narranda sint acta in Tabera, quae statio non fuit (cf. 33,16).

Narraturus iam est auctor signum, quod edidit Deus ad inculcandum, quantum sibi displiceret irreverentia quaelibet commissa solemnis illis temporibus, quibus contuente universo populo arca vel ex una statione proficisceretur, vel in alteram adveniret. Rem tam gravem gravioribus verbis narrari, quis miretur? Igitur Sinai, qui antea (Ex. 3,1; 4,27; 18,5; 24,13) « mons Dei » audiebat, post tot portenta a Iahve ib. edita vocatur *mons Iahve*, uti v. 34 nubes, ubi erat angelus Iahve, vocatur *nubes Iahve* et v. 33 arca *arca foederis Iahve :* quae igitur expressiones neque C neque R produnt auctorem. « *Arcaque foederis Domini praecedebat eos per dies tres* ». Cum e v. 21 indubie constet, arcam non in primo sed in medio agmine processisse, ergo לִפְנֵיהֶם non est vertendum *ante eos* (*LXX Vulg.*) sed *coram eis* (*Malv., Calm.*), qui sensus voci aeque proprie convenit. Bene vero in hac prima arcae profectione effertur arca *coram*, seu contuentibus omni-

bus, incessisse, qui antea illam in tabernaculo reconditam nullatenus viderint, nunc vero involucris utique tectam coram aspicerent. Quo aspectu fruebantur ipsi nunc toto tridui itinere. « *Providens castrorum locum* ». *Hebr. : quaerens eis requiem*, מנוחה, locum in quo cum populo arca rursum consisteret, Deus e tabernaculo populo bona largiretur. Idem est in proximam stationem *proficisci* et *quaerere requiem*. « Castrorum locum provisura » erat nubes vel, si mavis (*Men.*, *Lap.*), arca per nubem.

Aliquo sensu longe plures exstitere stationes illis, quae Num. 33 recensentur. In tridui itinere oportuit quandoque agmen subsistere ad cibum somnumve capiendum; quibus temporibus crediderim substitisse etiam nubem. At nubes tum non consistebat *super* arcam, sed prope primam aciem. Quando vero nubes arcae iungebatur, signum erat velle Iahve cum populo eo in loco *requiescere*, erigebatur tabernaculum, nubes in tabernaculum demittebatur. — Id, cui v. 33 potissimum insistit, non est, toto eodem triduo, quo populus peregrinabatur, processisse etiam arcam, sed eam tum toto continuo aliquo triduo, involucris utique tectam, oculis contuentium patuisse : ideo expressio דרך שלשת ימים v. 33[b] articulo caret. Eum vero articulum desiderari, *Rabbinis* (ap. Drus.) occasio fuit variorum commentorum effingendorum : arcam tridui distantia agmen antecessisse; aut duas fuisse arcas, quarum una arca tabulas habens decalogi medio agmine deferretur, altera, priorum tabularum fragmenta habens agmen praecederet.

v. 35 « *Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses* » : — forma verbi prodit, referri haec historice tamquam in primo illo itinere a Moyse dicta; utique idem fiebat in sequentibus itineribus — « *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui et fugiant, qui oderunt te, a facie tua* ». Verba crediderim esse initium psalmi cuiusdam, qui praecinente Moyse decantaretur. An Ps. 67 (68), qui iisdem fere verbis orditur (cf. item Ps. 131,8), sit eius antiquioris psalmi imitatio aliqua aut retractatio, non ausim definire. Similiter sentio de verbis v. 36 : sunt ea initium psalmi in depositione arcae decantari soliti. Inseruntur h. l. parenthetice : cum auctor indicaverit psalmum profectionis arcae, statim etiam indicat psalmum depositionis. Si quis dicat, v. 36 aliquanto serius esse ascriptum, non repugno equidem. v. 36 « *Cum autem deponeretur, aiebat : Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel* ». « In profectione propulsationem inimicorum, in castrametatione autem quietem Dei in filiis Israel petit » (*Cai.*). Sed, quid sibi vult *revertere*, cum Iahve nequaquam supponatur a populo suo recessisse? Unde ipse *Cai.* scribit « requiesce ». Pro שובה lege שבה a ישב, *habitare, quiescere* : requiritur omnino verbum, quod requiescendi (v. 33 מנוחה) sensum habeat. Cf. etiam Ps. 138 (139), 2 שבתי, וקומי et Gen. 4,20. Ergo : *Requiesce, Domine, cum myriadibus millium Israel*. Porro hos psalmos praecinit non Aaron, sed Moyses : de-

ducere quippe populum in terram promissam Moysis erat, postea Iosue, non vero pontificis.

Post v. 35 sq. parenthetice adscripta, quibus tradatur generatim modus itineris suscipiendi et sistendi, revertitur narratio ad referenda ea, quae occasione illius primae cum arca profectionis evenere. v. 34 « *Nubes quoque Domini super eos erat per diem, cum incederent* », seu verius : *cum proficiscerentur de castris*. Incedebat igitur in medio Hebraeorum agmine arca, minus iam ab eorum obtutibus remota sub involucris, quam antea in tabernaculo; praecedebat agmen nubes Iahve, quaerens populo requiem atque tandem ingressum in terram fluentem lacte et melle. Sed Hebraeis linquenda iam erat requies sinaitica cum suis sacrificiis sacrisque epulis, suscipiendum iter versus desertum aridum, horrendum (Deut. 1,19) : disce, quid egerint illi. *Cap. XI* v. 1 « [*Interea*] *ortum est murmur populi quasi* [*dolentium pro*] *labore contra Dominum* », seu verius *in auribus Domini*.

כמתאננים secus solummodo Thren. 3,39 legitur. *Chald.* vocis significationem neutro loco assecutus est. *LXX* γογγύζω, *leviter murmurare* (ad instar turturis, Pollux 2. ed. Bekker). *Syr.* h. l. רטן, *murmurare* ad instar incantatoris; altero loco *cogitare* (!). Voci adscribitur, quod ignorat quidem *Syr.*, רע et praefigitur כ : ergo *erant quasi murmurantes de infortunio*, seu *erant murmurantes quasi de infortunio*. Ergo erat *murmur*, secundum etymon fortasse *leve* tantummodo, idem tamen non paucorum tantum vel infimorum, sed *populi*, ideoque penetrans *usque ad aures Iahve*.

Cur murmurabant? Quod e requie sinaitica sibi esset discedendum, desertum illud horribile intrandum. Non potuit eiusmodi murmur, etsi leve esset, aequo animo ferre Iahve. « *Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini* » (cf. Lev. 9,24; 10,2), ab arca vel e nube fulguris instar prorumpens, « *devoravit extremam castrorum partem* ». Cum de cadaveribus et exsequiis non sit sermo, crediderim sola pecora aliqua fuisse percussa, eratque ea sufficiens poena murmurationis, quae vi etymi videtur fuisse levior. v. 2 « *Cumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum* » in itinere, tabernaculo non explicato, « *et absorptus est ignis* ». v. 3 « *Vocavitque* » aliquis, ergo vocaverunt, « *nomen loci illius Incensio* », — תבערה, Tabera — « *eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini* ».

IV. ACTA IN QIBROTH HA-TAAWA NUM. 11, 4-34ª.

Arg. — In statione, cui ab eventu nomen inditum Sepulcra Concupiscentiae seu Qibroth ha-Taawa, exortum est primum quorumdam murmur, inde totius populi querelae petentis carnes. Moyses rem Deo impatientius proponens, carnes pro populo exposcit, onus dirigendi

populi sibi uni gravius esse conqueritur. Promittit igitur Deus se septuaginta viris a Moyse designandis daturum esse de spiritu Moysis, qui hunc adiuvent docentes populum : sed en virorum duo vocati accedere nolunt et spiritum nihilominus nanciscuntur. Populo carnes conceduntur, sed eaedem occasio fiunt maximae plagae.

Ἅπαξ λεγόμενον v. 4 אספסף secundum etymon significat *commixtionem*, hominum *colluviem*, eumque sensum versiones expressere. Sola *Vulg.* tentavit explicationem : usa vocibus *vulgus promiscuum, quod ascenderat,* demonstrat illam ipsam turbam non hebraeam, quae se Hebraeis Aegypto exeuntibus iunxerat et Ex. 12,38 ערב רב scribitur. Consentit *Ps. Ion.* : « proselytas ». Confirmari potest explicatio e v. 4, ubi illi *colluviei* opponuntur *filii Israel.* Tamen haec expressio ib. potest etiam accipi, ut idem sonet atque « reliqui filii Israel ». Et, si iidem h. l. atque Ex. 12,38 designantur, cur non eadem atque ibi voce ערב designantur? cur non inauditae voci אספסף adscribitur « qui ascenderant ex Aegypto »? Secundum ea igitur, quae in CEL disputabamus, alia eius vocis se offert explicatio. Ante Ex. 32 narrata, qui inter Hebraeos turbas commovebant, non erant ignobilis obscurorum hominum colluvies, sed ipsi veteris ordinis sacerdotes e tribu Manasse oriundi (ib. p. 3 sqq.); his cruenta nece sublatis, carebat coniuratio capitibus, non consilio neque de condicto res agebantur; erant tamen in omnibus tribubus promiscui aliqui minoris notae viri, qui occasione qualibet arrepta facile in priora murmura et querelas relaberentur. Hos intelligimus *colluviem* illam, hi reliquos brevi filios Israel infecere ita, ut mox omnium fremitus exaudiretur. His convenit nomen אספסף, probrum sapiens et despectum. Neque mirum est, nomine probroso sacrum narratorem designasse illos, qui modo compositis Taberae turbis aliam mox atque graviorem excitavere commotionem.

Quia v. 4 non de statione ad stationem proceditur, Tabera quippe non fuit statio, ideo non habetur formula qualis v. 34 et 13,1. v. 4 « *Vulgus quippe promiscuum, quod* [*ascenderat*] *cum eis, flagravit desiderio* », concupiscentia lectioris cibi, « *sedens et flens,* [*iunctis sibi*] *pariter filiis Israel, et ait :* » — Ubinam *sederunt* (*LXX Vulg.*)? an loco in itinere procedendi subsedere? At e v. 10 utique colligitur tabernaculum tum fuisse erectum; pervenerant ad stationem Qibroth. Praeferenda videtur punctatio *Masor. Chald. reversi sunt.* Sed quo sunt *reversi?* Non ad montem Sinai, ubi nulla lectioris cibi spes. Non *aversi sunt* (*Vat.*), cum ea non sit verbi שוב significatio. Iunge utrumque verbum (cf. Gen. 26,18; 30,31) et cum *Cai.* verte : *iterum fleverunt*, non quasi Taberae fleverint, quod non habet textus, sed postquam Deum offenderunt Taberae murmurantes, eum iterum offendere in Qibroth flentes prae impatientia. Ceterum clarior apud *Hebr.* nexus : *et iterum flevere etiam* reliqui *filii Israel et dixerunt;* taedium ab illa colluvie profectum mox totum populum invasit. Ne mireris, ubi primum itineri se dant Hebraei, reviviscere illas de cibis querelas. Quamdiu tabernaculum erectum perseverabat, praeter festa solemniora

erant sacrificia pacifica, hinc mactationes carniumque epulae : collecto tabernaculo haec cessabant. Quare suspicetur quis illud, quod populus h. l. expetierit, non tam fuisse ut portentum aliquod ederetur portenti Ex. 16,13 affine, sed ut quam citissime immolarentur victimae pacificae; sacrificia eos efflagitasse, non quibus Deum honorarent, sed quibus ingluviem sopirent.

V. 5 « *Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis* », qui erant pauperum et operariorum in Aegypto cibus (cf. CEL p. 10 sq.); « [*in mentem nobis veniunt*] *cucumeres et pepones porrique et cepe et allia* ». Haec in Aegypto succulenta crescebant et crescunt. Adverte, quantum differant hae querelae ab illis Ex. 16,3. Ibi antiqui ordinis sacerdotes ollas carnium desiderabant, quas submittebat Pharao variis sacerdotum collegiis :.qui nunc querelas tollunt, humilioribus deliciis assueverant. Cur tamen petunt *carnes?* Quia carnes a Deo iam semel portento (Ex. 16,13) obtinuerant, et quia carnibus in sacrificiis pacificorum assueverant : iam flagitant, qui operarii fuerant, cibum procerum. v. 6 *Nunc autem* « *anima nostra arida est* », « cibis iucundioribus privata » (*Bonfr.*), « *nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man* ». v. 7 « *Erat autem man quasi semen coriandri* » (Ex. 16,31), « *coloris* », seu verius *aspectus*, « *bdellii* », resinae cuiusdam pretiosae (cf. CG p. 138). v. 8 « *Circuibatque populus et, colligens illud, frangebat mola sive terebat in mortario, coquens in olla et faciens ex eo tortulas* » (Ex. 12,39) « *saporis quasi panis oleati* ». *LXX* ἐγκρίς, placenta; *Chald. Syr.* massa, ליש; potestque quaeri, an *Hebr.* לשד, quod hac significatione est ἅπαξ λεγόμενον, non sit ipsum לש, cui erronee accesserit litera ד. v. 9 « *Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter et man* » (cf. Ex. 16,13 sq.; et cf. CEL p. 170). Primum et ultimum descriptionis v. 7-9 incisum iam habebatur Ex. 16, reliqua sunt nova et, praeter illud de bdellio, describunt varios modos utendi manna pro cibo, quos inde ab Ex. 16 experientia Hebraeos docuerat.

V. 10 « *Audivit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorii sui* » (cf. Zach. 12,12 sqq.). Non sunt hae rebellantium turbae, sed luctus editus communi consilio, privata tamen auctoritate et e motivo concupiscentiae, favoris aliquid a Iahve vel Moyse extorturus. « *Iratusque est furor Domini valde* »; idque merito propter tam universale et grave deliquium. Eius tamen furoris effectus interim postponitur v. 33 narrandus, et interseruntur acta Moysis : « *sed et Moysi intoleranda res visa est* ». Moyses hac vice non iudicavit sibi esse exspectandum, quoad Iahve de populo conquereretur, sed Iahvae querelas antevertit ipse prolatis suis in Iahven querelis. Haec

nova ratio defendendi populi, ac simul obtinendi novi instituti, quod Moysi necessarium videbatur. Et populum quidem iustae poenae non subduxit (cf. v. 33), institutum vero illud impetravit. Sc. inconstantiae populi causam principem agnoscebat Moyses ignorantiam sapientiumque consiliorum inopiam : murmura non exaudiebat ipse, nisi postquam in apertam prorupissent rebellionem. Quam rem censebat non esse ferendam : postulavit igitur alios sibi adscisci pro populo magistros et consiliarios. Cf. lusum verborum inter v. 10 רע et v. 11 הרעת. v. 11 « *Et ait ad Dominum : Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? et cur imposuisti pondus universi populi huius super me* » solum? Verborum instantia suggerit, id Moysen iam antea a Deo expostulasse, sed non obtinuisse. Reapse, quamdiu totus populus castris ad montem Sinai positis continebatur, poterat Moyses sat mature de quibusvis, quae acciderent, edoceri : at longe difficilior evadebat res in itinere, ubi tribus cum suis gregibus latissime diffunderentur. Porro Ex. 4,22 sq. et secundum Sam. Ex. 11,7 professus se erat Deus Israelis parentem; apte ergo Moyses v. 12 : « *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem vel genui eam, ut dicas mihi :* » — non est cum *Sylv.* quaerendum, quando hoc Deus dixerit : dixit aequivalenter, quando totius populi curam soli Moysi commisit — « *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum,* [*et defer*] *in terram, pro qua iurasti patribus eorum?* » Facile potuit נשבעתי amittere iod finale. *Hebr. Chald.* על : melius *Sam. LXX Vulg. Syr.* אל. Porro, si Deus haberi vult parens, non potest infantulo carnes petenti irasci, sed potius de carnibus ei providere debet v. 13 : « *Unde mihi carnes, ut dem tantae multitudini? Flent contra me* », non contra te, « *dicentes : Da nobis carnes, ut comedamus* ». Moysi iniuria infertur, reparationem exigit; non ut populus puniatur postulat, sed ut populi petita concedantur. Sed a populi petito, quod argumentis fulciebat speciei plus quam roboris habentibus, sapienter ad suum petitum illico deflectit Moyses v. 14 : « *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi* », quia gravius est onus pro meis viribus. v. 15 « *Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis* ». Alterius versus partis utrumque membrum evidenter alludit ad v. 11 ; igitur initio eius partis cum *Sam. Vulg.* pluribusque codicibus hebraeis pro אם lege ואם, et verte : *Si ita* porro, uti ante fecisti, *vis facere mecum, occide me; si vero inveni gratiam in oculis tuis* (cf. Ex. 33,12. 16. 17), *ne videam ultra afflictionem meam.*

ברעתי refertur esse una e « correctionibus scribarum « (תקון סופרים, cf. *R. Cornely* Introd. I 271 sq., 2. ed. 1894) loco ברעתך : sensus manet idem. In verbis Moy-

sis deprehendit *Ians.* « quamdam quasi », *Men.* « levem aut nullam » pusillanimitatem, *Bonfr.* taedium difficultatum resignationi perfectae iunctum, dum *Cai.* celebrat pietatem viri « praeferentis portum navigationi fere vanae et periculosae ». Reapse hac vice non videtur Moyses agi unice studio honoris Iahve et salutis populi, quod studium e. g. tam pulchre exprimunt eius ad Deum supplicationes Ex. 32 sq., sed ea iam angitur animi deiectione et impatientia, qua idem Num. 12,3 et 20,10 opprimitur. Acta populi utique v. 10 sunt *mala in oculis eius* : malas habet repetitas populi turbas, malum quod semper secum habere debeat aliquos male contentos, malum quod turbis reprimendis solus non sufficiat. Carnes efflagitat fere quasi debeantur ei populo, cui Iahve se parentis loco futurum promisisset; proprium incommodum exaggerat. Quare neque a Iahve plene exauditur : carnes impetrat, sed populus concupiscentiae poenam fert; adiutores impetrat, sed facto Eldad et Medad confunditur.

Deus, quod Moyses pro se ipso petierat, iam exsequi aggreditur. Instituti fuerant chiliarchae etc., qui causas minores iudicarent, maioribus ad Moysen remissis, et inde a numeratione Num. 1 sq. etiam tribunorum militum officio fungerentur; sed illi non e senioribus seligebantur, sed e viris robustis (Ex. 18,21). Ex. 24,1 septuaginta e senioribus Israel cum Moyse ascenderant ad Deum, non ut permanenti aliquo officio fungerentur, sed ut pro universo populo coram Iahve tum praesentes adstarent. Erant illi de numero eorum seniorum, qui iam ante Moysen (Ex. 4,29) apud Hebraeos erant, et e quorum ordine nunc Moyses septuaginta viros (non necessario eosdem atque Ex. 24,1) seligere iubetur.

Iubetur porro eos seligere *e senibus, quos tu nosti esse seniores populi.* Non quilibet, qui provectae esset aetatis, etiam senioribus populi adnumerabatur, sicut neque omnes seniores populi necessario erant provectae aetatis (cf. CI p. 13 et ad Iud. 2,7). Vocum *quos tu nosti esse seniores populi* non puto eum esse sensum (*Bonfr.*), eligendos esse eos tantummodo, qui provectae essent aetatis. Id simplicius enuntiabatur verbis : e senioribus populi iis, qui ipsi sunt senes. Non explicatur emphaticum illud *quos tu nosti,* cum non requiratur specialis *scientia* ad discernendum, quis provectae sit aetatis, quisve non sit (*Cai.*). Sed sicut « vere viduae » (1 Tim. 5,3) sunt illae, quae omnia viduitatis onera experiuntur, ut non solum maritis sint orbatae, sed solae relictae in mundo, ita veri seniores populi noscuntur esse ii, qui non solum seniorum senatui accensentur, sed iis omnibus qualitatibus praediti sunt, quae in eximiis senioribus requiruntur, imprimis prudentia rerumque agendarum experientia.

At illos septuaginta viros oportebat etiam esse שׁטרים seu *scribas.* Scribae inter Hebraeos iam fuerant in Aegypto (Ex. 5,14 sqq.); eosque fuisse veri nominis scribas, qui operis confecti scriptam haberent

rationem, monumentis Aegyptiorum edocemur, quibus scribae depinguntur stilum et tabulas manibus gestantes. Cum igitur Hebraeorum plures vel in Aegypto scribendi artem calluerint, neque desint vestigia quosdam etiam praeter Moysen in deserto eam artem calluisse (Ex. 38,21; Num. 5,23), cogimur vocem שטרים etiam h. l. sumere sensu proprio, ut illi seniores fuerint veri nominis *scribae*. Quid vero scribendi ars prophetam iuvet? Memento eum, qui scribendi artem calleat, item callere artem *legendi*. Prophetae illi habituri erant legum a Moyse Iahve nomine editarum apographa, ex illis docturi erant filios Israel. Eorum partium futurum erat, Hebraeos in re morum commonefacere, pusillanimitatem, gulam aliaque vitia confodere, Dei maiestatem et fidelitatem inculcare etc., etc. Prophetarum quippe in V. T. munus minime ad futurorum praedictiones restringebatur, quas potius in deserto uti et legum promulgationes ad solum Moysen spectasse autumo : sed prophetae erant authentici magistri a Deo instituti, ut foedus per Moysen datum conservarent, explicarent, excolerent. Plura vide apud *R. Cornely :* Introductio II. 1 p. 271 sqq. Ad illud porro munus recte obeundum, quo aevo lex Iahve in locum sufficiebatur traditionum maiorum, utique requirebatur specialis Sp. S. assistentia.

Neque tamen hoc institutum Num. 11 supponendum est esse invectum plane novum. Quando antea Moyses tot leges nomine Iahve promulgabat, vix fingi possunt tot Hebraeorum millia eius unius vocem exaudivisse; sed ipse leges promulgabat paucis, fortasse senioribus, hi reliquae plebi. Verum istud institutum, quod antea humanum fuerat, nunc a Iahve solemniter approbatur, septuaginta viris circumscribitur, assistente Sp. S. ad prophetiae dignitatem evehitur.

v. 16 « *Et dixit Dominus ad Moysen : Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri* », i. e. *scribae;* « *et duces eos ad ostium tabernaculi foederis, faciesque ibi stare tecum* », v. 17 « *ut descendam et loquar tibi, et auferam de spiritu tuo* » — *Hebr. : de spiritu, qui est super te* — « *tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi et non tu solus graveris* ». « Quasi Moyses et spiritus, qui erat in Moyse, clarissimi cuiusdam luminis fuerit lucerna, ex qua alias septuaginta lucernas accenderit Deus, ad quas ita principalis illius luminis splendor pervenerit, ut origo ipsa luminis nihil damni ex commercio derivationis acceperit » (*Or.; M.* 12. 608). Cf. *Theodoret.*

Quaeres, cur nulla Aaronis habeatur mentio, quem Ex. 7,1 Deus constituisset Moysis prophetam. Verum ita iam Aaron eiusque duo filii distinebantur officiis sacerdotalibus, ut haud valuerint in aliis Moysen constanter adiuvare.

Promittit iam Deus, se alterum etiam petitum concessurum, quod a populo insolenter prolatum sua Moyses v. 13 intercessione suffulserat. v. 18 « *Populo quoque dices : Sanctificamini* ». Suadet *Bonfr.*, vocem h. l. non alium sensu habere atque *praeparamini* (*Chald.*), quod carnium comestio non sit actus sacer, uti v. g. Ex. 19,10 legis promulgatio. Quo ista praeparatio constatura esset, non explicat. Melius vocem accipias sensu consueto. Sanctificatione opus erat, primum ob admissum peccatum (*Cai.*), dein « ut sic redderentur idonei ad beneficium a Deo recipiendum » (*Sylv.*). Futurae quippe erant illae carnes speciale divinae omnipotentiae donum et argumentum. Et hunc nexum suggerit *Hebr.* iungens : *Sanctificamini in crastinum, et comedetis*; ergo sanctificatio fit intuitu comestionis. « *Cras comedetis carnes* ». Et ratio est, quod Deus eorum desideria tam insolentia *audierit* et iamiam *exauditurus* sit; nam extremo versu pro *ut det* omnino vertendum est *et dabit*. « *Ego enim audivi vos dicere* » : — *Hebr. : quia plorastis in auribus Iahve, dicentes* — « *Quis dabit nobis escas carnium? bene nobis erat in Aegypto. Ut det vobis Dominus carnes et comedatis* », v. 19 « *non uno die*, *nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem* », v. 20 « *sed usque ad mensem dierum* », — auget Deus beneficium intuitu intercessionis Moysis; sed tandem adnectit etiam aliquam insolentiae reprehensionem : sicut Hebraei insolentia Deum ad nauseam provocaverunt, ita ipse illis nauseam movebit per ipsam cibi, quem expetierant, redundantiam — « *donec exeat per nares vestras et vertatur in nauseam, eo quod repuleritis* » — *Hebr. despexeritis* — « *Dominum, qui in medio vestri est, et fleveritis coram eo dicentes : Quare egressi sumus ex Aegypto?* » יצא מאפכם utique synonymum est sequentis expressionis *vertatur in nauseam*. Ducibus *LXX Vulg.* interpretes plerique vertunt *nares*, cum tamen cibus non egrediatur per nares. *Abenesra* (ap. Drus.) intelligit foetorem cibi male digesti, at is per nares non *exit*, sed intrat. Imago respicit vomitum (*Rabbi Salomo* ib.), et אפים non est vertendum *nares*, sed *facies*. v. 21 « *Et ait Moyses : Sexcenta millia peditum huius populi sunt* », praeter mulieres et parvulos (*Men.*), « *et tu dicis : Dabo eis esum carnium mense integro?* » Carnes toti exercitui suppeditaverat Deus iam Ex. 16,13 : at portentum longe maius Moysisque aestimatione veri nominis miraculum futurae erant carnes tantae multitudini per integrum mensem suppeditatae. Ceterum v. 20 non est necessario ita intelligendus, acsi Deus absolute promiserit carnes per integrum mensem esse adfuturas. Promisit adfuturas tamdiu, quoad toti populo verterentur in nauseam; ea autem nausea in homine etiam edacissimo supponitur

elapso integro mense esse adfutura. Nauseam et horrorem certe excitavit plaga v. 33, post plagam Deus utique coturnices adducere non perrexit. Minime igitur constat Hebraeos integrum mensem in Qibroth ha-Taawa substitisse. v. 22 « *Numquid ovium et boum multitudo caedetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient?* » Etiam caro piscium exprimitur voce בשר. v. 23 « *Cui respondit Dominus : Numquid manus Domini invalida est? Iam nunc videbis, utrum meus sermo opere compleatur* ».

Nascitur hic rursum quaestio, peccaveritne Moyses verbis v. 21 sq. E verbis Dei v. 23 eruitur, Moysen *admiratum* esse magnitudinem portenti v. 18 sqq. a Deo promissi : Deus quippe v. 23 affirmat, ei portento efficiendo omnipotentiam esse omnino parem. Ex eo, quod Deus ad Moysis admirationem levandam suam omnipotentiam demonstraverit, non sequitur Moysen de ea omnipotentia *dubitasse*. Cur ergo in similibus Moysis verbis 20, 10 peccatum agnoscimus? « Quare, nisi quia Deus non de verbis, sed de cordibus iudicat? » (Aug.). Ibi affectus cordis Moysis reprehendit, non vero h. l.

Moyses iussa exsequitur. v. 24 « *Venit igitur Moyses* », seu verius *exivit*, sc. de tabernaculo ubi 7,89 cum Deo colloqui solebat, « *et narravit populo verba Domini* » v. 18 sqq., « *congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum* ». v. 25 « *Descenditque Dominus per nubem et locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris* ». Cf. 12,5. Bene *Cai.* : « in signo visibili apparet Deus »; sed cuiusmodi hoc signum fuerit, non docemur. Comparatio supra ex Or. prolata inducat aliquem, ut supponat evenisse aliquid simile eius, quod Act. 2,2 sq. narratur. « *Cumque requievisset in eis spiritus, prophetaverunt nec ultra cessaverunt* ».

התנבא dicitur 1 Reg. 10,5 sqq.; 19,20 sqq. de agminibus prophetarum atque de Davide et Saule, qui in illos inciderunt; sed 18,10 item de Saule a spiritu nequam agitato. 19,23 sq. cernimus prophetas vestes exteriores exutos, huc illuc se agitantes. Simile quid h. l. erit adstruendum. An simul aliqua prolocuti sint aut decantaverint aut clamores ediderint, nescimus. — ולא יספו, diversa adhibita punctatione, a *Vulg. Chald.* vertitur *et non cessaverunt*, ergo per longius tempus illos spiritus divini effectus passi sunt, quo toti populo res certius innotesceret ipsique agnoscerentur divina per Moysen auctoritate instructi; a *Masor. LXX* sensu plane opposito *et non continuaverunt*, brevi tantum tempore eos effectus passi sunt, quia, ut ait *Theodoret.*, non ad eiusmodi effectus experiendos sed ad Moysen iuvandum instituebantur. *Sam.* ולא יאספו, cui assentiri videtur *Syr.* Placet expressionem conferre cum verbo Iosue v. 28 כלאם, prohibe eos, fac eos cessare : ubi praeferenda erit v. 25 lectio et punctatio Vulg. Chald. *et non cessaverunt;* seu melius adhuc puncta וְלֹא יֻסָּפוּ, *et non sunt cohibiti.*

v. 26 אלדד sane idem nomen est atque 34,21 אלידד, licet viri sint diversi. Pro מידד *Sam. LXX* מודד, quocum comparat *Dillm.* אלמודד Gen. 10,26. Exstabat liber apocryphus prophetiarum Eldad et Medad, quem *Hermas* (Pastor I vis. 2,3) citat verbis « scriptum est », quibus secus scripturae libri citari consuevere (cf. *R. Cornely* : Introd. I. 226.). « Filii Elisaphan filii Pharnach », inquit *Ps. Ion.*, « quos peperit Iochabed filia Levi, quo tempore repudiaverat eam Amram maritus eius et nupserat illi » (sc. Elisaphano), « antequam pareret Moysen ». Habetur Elisaphan filius Pharnach 34,25, sed non poterat ille iunior vir pater esse eorum, qui diu ante vere essent seniores (v. 16). Habetur alius Elisaphan 3,30, princeps Caathitarum, sed ille erat filius Oziel. Nomina et fabulam, uti alia plura, crediderim Rabbinos effinxisse; manet tamen illud, eorum tempore licitum fuisse viro pio de rebus Moysis familiam spectantibus iniquius sentire. — Cur porro Eldad et Medad, quorum nomina Moyses in catalogum retulerat septuaginta virorum, non venere ad tabernaculum? Ex humilitate, pie suggerit *Hier.* (Ep. 78 ad Fabiolam; *M.* 22. 708). Negotio aliquo detentos esse fingit *Calm.* : sed quo negotio poterant illi in deserto detineri, quominus Moysi solemniter vocanti obsequerentur? Neque ob contractam aliquam impuritatem aberant, qua durante vix in eos descendisset spiritus Domini. Neque, si viri humiles aut negotiis legitime praepediti in castris prophetassent, Iosue in eos exarsisset, quasi rem attentassent Moysis auctoritati contrariam. Sensus narrationis obvius is est, *noluisse* illos viros adesse, fuisse Moysis rebus infensos neque ab eo gratiae quid vel honoris acceptaturos. — Porro circa illud tempus erant in ipsa Moysis familia dissidia, Aarone et Maria sua charismata iactantibus, in Moysis uxorem Madianitiden invehentibus, quam ipsi probrose Cuschitam (12,1) dictitabant, fortasse etiam in Hobabum generum eiusque Madianitas (10,29 sqq.). Potuere Eldad etiam et Medad earum partium esse socii, maxime si, quod Ps. Ion. vult, Mariae et Aaroni essent sanguine iuncti. Neque mirandum est, Iosuen factum v. 26 aegerrime tulisse. Viros conciliaturus Moyses in album septuaginta virorum retulerat; ipsi eius favorem publice repudiaverant; nihilominus propheticum spiritum etiam ipsi accipiebant. Augebatur adversae factionis auctoritas, si non Maria solum et Aaron, sed alii item eius factionis viri, qui Moysis partibus se tam publice infensos esse demonstraverant, nihilominus charismatis prophetiae participes effecti esse deprehenderentur. Iosue igitur, ut cohiberentur, continuo postulavit. Moyses, gnarus violentia turbas non compesci sed roborari, sapienter postulatis annuere recusavit remque Domini providentiae permisit. Haec coniectura e verbis quidem Ps. Ion. leve tantummodo derivat robur, sed e contextu sacrae narrationis aliquam accipit confirmationem : intimius connectit narrationem 11,26-29 cum actis cap. 12; explicat Iosue indignationem 11,28; sicut, quae populus 11,4 sqq. insolenter petita Moysis v. 13 intercessione a Domino extorserat, populo occasio fuere plagae v. 33, ita quae Moyses v. 11 sq. 14 sq. importunius sibi impetraverat, ei facta sunt maiorum cap. 12 angustiarum ansa.

V. 26 « *Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad et alter Medad, super quos requievit spiritus; nam et ipsi descripti fuerant et non exierant ad tabernaculum* ». Secundum Num. 2 erant quatuor castra maiora circa tabernaculum disposita : illi viri non *exierant* e castris *suis* ad tabernaculum; perperam ex ea voce infert *Dillm.*, narratorem supponere tabernaculum, uti illud Ex. 33,7, constitutum fuisse « extra castra procul », Moyses septua-

ginta virorum nomina *descripsit* aut describi curavit, ut ille elenchus esset documentum authenticum non pro ipso solum, sed pro aliis etiam : erant igitur qui artem legendi callerent. v. 27 « *Cumque prophetarent in castris, currit puer et nuntiavit Moysi dicens : Eldad et Medad prophetant in castris* ». v. 28 « [*Statim*] *Iosue, filius Nun* » (Ex. 33,11), « *minister Moysi et electus* [*e pluribus*] », — sed *Hebr. : minister Moysi de bellatoribus eius* (cf. quae dicebamus ad Ex. 24,13), dux custodum corporis — « *ait : Domine mi Moyses, prohibe eos* ». Perpende viri animum fidum et fortem, qui paratus esset armis etiam, si oportuisset, prophetae auctoritatem tueri. v. 29 « *At ille : Quid, inquit, aemularis pro me?* » Num tu intuitu mei invidia moveris neque vis aliis partem charismatum concedere, quae ego habeo? « *Quis tribuat, ut omnis populus* » Iahve « *prophetet et det eis Dominus spiritum suum?* » v. 30 « *Reversusque est Moyses et maiores natu Israel* » sexaginta octo « *in castra* ». Neque hic eventus utili carebat pro Hebraeis doctrina. Quoscunque v. 26 Moyses in suo elencho descripserat, sive boni essent sive mali, charisma prophetiae nacti sunt; independens illud erat a probitate recipientis, nec poterat plebs recusare quem Moyses designaverat magistrum, praetendens viri indignitatem. — Quaeres, quid acciderit huic prophetarum instituto, cuius nulla postmodum mentio habetur? Videtur illud absorptum esse magnis illis et diuturnis turbis, quae ad Aquas Contradictionis initium sumpsere. Viri illi, qui ante eas turbas omnes erant vere seniores, credendi sunt durantibus illis turbis esse mortui (14,29 sq.), neque ullos temporibus agitatissimis habuisse successores. Videtur institutum illud a Deo non tam fuisse permanenter conditum, quin potius Moysis importunitati concessum : eo ad puriorem fidem reverso, non erat ei instituto restaurando locus.

Deus Moysis petita v. 13 implet, quin tamen populo poenam insolentiae condonet. Carnium magnam quidem copiam procurat, sed ante elapsum mensem v. 20 plagam infligit iis, qui deliquerant. Qualis ea fuerit, distincte non enuntiat; neque enim, ut id enuntiaretur, eius argumentum postulabat, sed solum ut plaga sciretur reapse esse inflicta. V. 31 « *Ventus autem egrediens a Domino* [*arreptas*] *trans mare coturnices detulit et demisit in castra, itinere quantum uno die confici potest* », — *Hebr. : iter diei in hac* (directione), *et iter diei in illa* — « *ex omni parte castrorum per circuitum* ». Ventus ille, quod decretum divinum exsequatur, merito dicitur *egressus a Iahve*, licet coturnices attulerit *de mari* (*Hebr.*), et secundum Ps. 77 (78), 26 fuerit auster vel africus. Tamen, quod Ps. affirmat, potest etiam esse poetica traditi facti amplificatio. « *Volabantque in aere duobus cubitis*

altitudine super terram ». Cf. Ex. 16,13. Coturnicum ingens quandoque multitudo in regionibus orientis vento circumfertur, ut facile aves baculo prosterni vel etiam manu prehendi queant. v. 32 « *Surgens ergo populus toto die illo et nocte ac die altero, congregavit coturnicum, qui parum, decem coros, et siccaverunt eas per gyrum castrorum* ». Cum avium copia non soleat definiri mensura aliqua, quae ad vasorum capacitatem refertur (*Est.*); cum sit plane incredibile, singulos viros aut singulas familias tantam avium copiam procurasse, quae 3.900 « litris » aequipararetur; cum nativa vocis חמר significatio sit *acervus :* ideo haec vox h. l. non est vertenda *coros*, sed *acervos* (cf. Ex. 8,14 [10]). Narrator avium copiam non adhibitis ponderibus vasisve determinavit, sed oculorum obtutu : circa singula tentoria conspiciebantur saltem decem acervi coturnicum, quas ardor solis exsiccabat. Neque erant isti acervi necessario ubique aequales inter se. v. 33 « *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defererat* [*huiuscemodi cibus*] », cf. Ios. 3,13. 16; 9,23; 2 Reg. 3,29 etc. : expressio id edicit, illum cibum nondum defecisse, licet populus sine dubio copiose eo vesceretur, ergo tempus mensis v. 20 nondum plene esse elapsum; expressio item edicere videtur, populum eum cibum intemperantius comedisse — « *et ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis* », quae pluribus causa mortis fuit (*sepulcra* v. 34). v. 34 « *Vocatusque est ille locus Sepulcra Concupiscentiae* », Qibroth ha-Taawa; « *ibi enim sepelierunt populum, qui desideraverat* ». An ergo, qui mortui sunt, potissimum erant ex illa « colluvie » populi v. 4?

Potuit illa plaga esse aliquid cum carnibus istis nequaquam connexum : ignis, etc. Interpretes plures suspicantur morbum obortum vel ex intemperantia, vel e putrefactis carnibus acervatim collectis. Silente scriptura, prudentius silet etiam interpres.

B. De Qibroth ha-Taawa in Haseroth Num. 11,34ᵇ-12,15.

Arg. — Maria et Aaron, quod aegre ferrent Moysis cum unica muliere non hebraea nuptias, ita tandem ab illo alienati sunt animis, ut sibi aequalem cum illo propheticam auctoritatem arrogaverint. Quos illico ad tabernaculum evocatos edocet Iahve, quantopere Moyses alios prophetas aequales suos antecellat dignitate. Maria pro punitione lepra infecta apparet, sed Moyse intercedente permittitur elapso septiduo ad suos redire.

« [*Egressi*] *autem de Sepulcris Concupiscentiae* », Qibroth ha-Taawa, « *venerunt in Haseroth, et manserunt ibi* », castra posuerunt.

Locus (cf. 33,17) ignoratur, praeter nominum quasdam similitudines nihil proferunt auctores. *Cap. XII* v. 1 « *Locutaque est Maria et Aaron contra Moysen propter uxorem eius Aethiopissam* », v. 2 « *et dixerunt* » : — *Hebr. : propter uxorem Cuschitam, quam duxerat : quia uxorem Cuschitam duxit. Et dixerunt :* — Noli imaginari mulierem nigri coloris. Cuschitae, qui ad meridiem Aegypti incolebant, erant coloris parumper obscurioris ipsis Aegyptiis; Cuschitae, qui Asiam vel prope Asiam incolebant, erant fere eiusdem cum Aegyptiis coloris.

Igitur *Ios.* (Ant. II. 10.2) narrat Moysen, cum adhuc inter aulicos Pharaonis versaretur, Aegyptiorum exercitum duxisse contra Aethiopas (CEL p. 40) atque Tharbin, Aethiopum reginam, duxisse uxorem. De hac sermonem esse v. 1 censet *Ps. Ion.* E contra *Targ. Hier.* audacter interpretatur Sephoram (Ex. 2,21), unicam quam novimus Moysis uxorem. *Chald. : propter uxorem pulchram, quam duxerat : quia uxorem pulchram, quam acceperat, repudiaverat.* Chald. evidenter intelligit Sephoram, ludit in similitudine vocum שפירא, pulchra, et צפרה; supponit Sephoram tum a Moyse esse repudiatam, Mariam vero et Aaronem infelicis mulieris miseratos sequentes ad Moysen sermones habuisse. Interpretes inde ab *Aug.* et *Theodoret.* vix non omnes Cuschitam illam censent esse Sephoram.

Qui aliam a Sephora censent esse illam Cuschitam, habent hic alteram Moysis uxorem, cuius neque nomen neque liberi recensentur ulli; tam ante quam post Num. 12,1 ab omnibus scripturis sacris penitus ea ignoratur. Videntur ipsi sentire, secundum suam interpretationem aliquid obscuritatis et admirationis habere illa verba *propter uxorem Cuschitam, quam duxerat.* Cui ut medeantur, sequens incisum cum *LXX* construunt sententiam causalem : *nam uxorem Cuschitam duxerat.* Quibus tamen obscuritas et admiratio non plene tolluntur. An non longe planius erat, omisso hoc altero inciso, priori inciso inserere nomen secundae uxoris? Perspiciebat tum unusquisque Moysen reapse alteram praeter Sephoram duxisse uxorem. Otiosa profecto est illa sententia causalis, quae fere supponere videtur, lectori de veritate prioris incisi aliquod in mente haerere dubium; quare totidem verbis istud incisum repetit sententia illa.

Nos ipsam Sephoram statuimus esse hanc uxorem Cuschitam : quam compertam habemus fuisse Moysis uxorem eique genuisse filios. Ubi nobis reddenda primum est ratio, cur Cuschita dicatur, quae Ex. 2,21 describatur viri Madianitae filia. Madianitae vero Gen. 25,2 ab Abraham derivantur. Sed patriarchis attribuuntur eae etiam gentes, quarum aliqua tantum pars ab ipsis est progenita et alienigenis commixta in unam cum illis nationem effloruit : cf. quae dicebamus ad Gen. 25,2; 36,12. Nequit unus homo nasci duobus patribus, sed potest una gens a duobus procreari progenitoribus. Nos illud igitur e Num. 12,1 eruimus, fuisse Madianitas gentem ex Abrahamidis et Cuschitis mixtam. Reddenda nobis praeterea est ratio, cur Sephorae nomen 12,1 non exprimatur. Mulieri, quae fortasse ex Abraham magis quam e Cusch traheret originem, affigitur Cuschitae probrum : auctor, sive is Moyses fuerit sive aliquis Moysis familiaris, noluit nomen uxoris prophetae copulare probrosae illi appellationi *Cuschitae.* Despectui habebantur Cuschitae apud Aegyptios tamquam « stirps vilis* », despectui item habebantur a fanaticis istis Hebraeis, qui unam norant excellentiam, carnalem e patriarchis originem.

Vocem porro *locuta est* intelligimus, uti alias, de locutione interna seu cogita-

tione : *cogitabat contra Moysen*, dum sequens *dixerunt* exprimit verba prolata. Quid cogitaverit, enuntiat sententia illa non causalis sed independens : *Quia uxorem Cuschitam duxit.* Primum pectora torsit indignatio de uxore non hebraea, dein prorupere apertae in prophetae principatum murmurationes.

Erat igitur inter Hebraeos tum factio aliqua ultra modum hebraea, nationalis, pharisaeismi prima semina, quae prophetae stomachabatur uxorem non hebraeam. Haud dubium, Sephoram ad sacra Hebraeorum sincero animo transiisse : at originem illi, non indolem stomachabantur. Moysen ut Iahve prophetam verebantur : verum, num Iahve prophetam decebat habere uxorem origine non hebraeam, sed proselytam tantum? Acceperat Aaron uxorem Elisabeth, principis tribus Iuda sororem (*Theodoret.*) : Moyses, cui nulla non venustissimarum atque nobilissimarum virginum hebraearum libentissima nupsisset, una continebatur uxore Madianita, quae semel ab ipso sponte recessisset (*Calm.;* Ex. 4,26), quaeque post duos primos partus videtur liberis caruisse. Erant eius factionis Maria et Aaron, solliciti de familiae honore atque de numerosa et illustri prole fratri prophetae procuranda; erant utique puellarum nobilium et formosarum plures, quae prophetae nuptias ambirent; erant puellarum matres et fortasse etiam patres. Erat factio nata inter prophetae propinquos, aucta eius fidissimis amicis. Erat factio imprimis mulierum, linguis dimicans atque muliebribus artibus. Unum considera linguarum iaculum : Sephorae nomen non iam pronuntiabant, mulierem *Cuschitam* appellitabant. O tanti viri probrosam vesaniam, quod Cuschitam duxerit! quod sponte recedentem non repudiaverit! quod receptae non alteram adiunxerit atque praetulerit uxorem! Cf. *Rup.*

Moyses e contra verus Hebraeus. Semini Abrahae sciebat promissiones esse factas, de lumbis Iudae nasciturum servatorem mundi. Generosius tamen de semine electo sentiebat, alienigenas dociles iudicabat ad sacra et privilegia Hebraeorum posse admitti. Eorum multitudinem passus erat Hebraeorum ex Aegypto emigrantium agmini adhaerere; eos, ut circumcisione aequa cum Hebraeis iura nanciscerentur, hortabatur (Ex. 12,48). Neque vituperandus homo, quod datam uxori fidem Ex. 18 servaverit, licet eam tum fortasse non iniuste repudiare potuisset. Videtur fuisse homo non uxorius, qui una contentus uxore polygamia abstineret. Sapienter idem secundis cum hebraea nuptiis ineundis supersedebat, quae et eius tribus, cuius esset ea mulier, auctoritatem exaggerassent, et aliarum tribuum invidias suscitassent, ipsiusque Moysis fortasse auctoritatem labefactassent, eius natis quaedam minus recte agentibus (cf. 1 Reg. 2,12 sqq.; 8,3). Fatendum tamen est, his turbis Moysen poenas etiam

tulisse nimii in uxorem affectus. Quam inconsulto Domino secum in Aegyptum adducere fuerat conatus (Ex. 4,20; cf. CEL p. 60 sqq.); fortasse imprudentius, Domino item non consulto, Hobabum (Num. 10,20 sqq.) cum suis Madianitis sibi adsciverat eisque sedes in terra promissa pactus erat.

Igitur v. 1 nota formam prioris verbi femininam *locuta est*, cuius sc. cogitationis Maria fuerit auctor (*Cai.*), sicut ipsa item, non Aaron poenam tulit (*Est.*). Verbum autem *dixerunt* est plur. masc., quod Aaron sine dubio pro se et sorore locutus sit, uti etiam divinum v. 4 responsum ad eum ante Mariam dirigitur. Prima Maria aegre tulerat illud *Quia uxorem Cuschitam duxit*, cogitationem cum Aarone communicaverat, rem fortasse cum Moyse fratre ambo contulere, nullo secuto effectu; hinc ad aliud consilium dilabuntur. Cur primum inter omnes Hebraeos locum unus Moyses obtineat? Cur familiae honor illi soli credatur? Propheta est : prophetae sunt item Maria et Aaron. Habeat sibi Cuschitam uxorem, sed primatum dividat cum Maria et Aarone eosque agnoscat aequales. « *Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne et nobis similiter est locutus?* » Maria iam Ex. 15,20 vocatur prophetissa; Aaron (Ex. 28,30) gestabat oraculum Urim et Thummim, quandoque Deum sibi immediate loquentem audiebat (Lev. 10,8), pluries fortasse audierat, dum Moyses cum Deo versabatur in monte (Ex. 24,14). Occasio aliqua querelae esse potuit charisma prophetiae Num. 11 septuaginta viris concessum : noluerint Maria et Aaron novis hisce prophetis vulgi opinione aequiparari, altiorem sibi atque eundem cum Moyse gradum vindicaverint. « *Quod cum audisset Dominus* », — *Hebr.* absolute : *et audivit Dominus*. Quae contra superiores a Deo constitutos fiunt et dicuntur, Deus, etiam antequam precibus a superioribus invocetur, videt et audit, quia suae ipse invigilat auctoritati. v. 3 « *Erat enim Moyses vir mitissimus* » — verte : *et vir Moyses depressus erat multum, magis quam etc.* — « *super omnes homines, qui morabantur in terra* ».

Vulg. nostra sententiam scribit parenthesin. Auctores haud pauci monuere, hanc sententiam nunquam potuisse scribi ab ipso Moyse. Sed voci ענו immerito tribuitur significatio *mitis*. Quam explicat *Ps. Ion.* : « neque curabat sermonem eorum »; at sermonem v. 2 non curare non erat mansuetudinis, sed pusillanimitatis et segnitiei. Gratuito item Moysi affigitur eximia illa mansuetudo : cf. Ex. 32; Num. 11,10 sqq. ענו (cf. *A. Rahlfs* : עָנִי und עָנָו in den Psalmen, Göttingen 1892) designat aliquem *se demittentem*; designat non permanentem conditionem, sed singulare factum. At coram quo erat Moyses *se demittens?* utrum coram Domino humilitate, an coram populo abiectione? Quorum si aliquod Hebraeus exprimere volebat, non deerant modi exprimendi multo simpliciores et clariores. — *Keri* עניו sensu caret. Sed

corrige עָנוּי, participium passivum verbi עָנָה, cuius significatio est *demitti, curvari, deprimi* (cf. Ex. 10,3). Ita intellectus textus praecise illud edicit, quod h. l. narrari exspectabas : sc. postquam didicimus v. 2, quae adversarii in Moysen effutierint, itemque Iahven ea audivisse, edocendi eramus, quid tum Moyses egerit senseritve. Agit nihil, ne clamasse quidem ad Iahven scribitur, experitur autem imae abiectionis et depressionis sensus. Qui populi modo 11,10 sqq. murmura impatientius tulerat, ubi maxime necessarios contra se obfirmatos comperit atque in suam auctoritatem involantes, deiicitur animo penitus; nullus in universis castris brevi antea videbatur fidentior, nullus iam ita depressus atque abiectus. Tantum abest, ut v. 3 a Moyse conscribi nequiverit, ut Moysis sensus perquam vere exprimat. Qui enim ita inexspectato eventu deiicitur, facile imaginatur, nullum esse in universo mundo se miserabiliorem. *Smith* p. 560 sqq.

Longe aliter agit Iahve. Suam in Moyse auctoritatem addubitari gnarus, *statim* procedit ad iudicium. Aaronem et Mariam, qui se Moysi aequiparaverant, vocat non per Moysen, sed pariter atque illum; alloquitur non Moysen, uti 11,17. 25, sed Aaronem et Mariam solos, severe illos reprehendens et puniens. Bis v. 4 scribitur *illi tres*, et semel v. 5 *illi duo*. Perperam *Vulg.* vocem *tantum* inserit : textus non insistit ei, tantum tres illos, sed illos omnino tres debuisse accedere. v. 4 « *Statim locutus est ad eum* » — *Hebr. Moysen* — « *et ad Aaron et Mariam : Egredimini vos* [*tantum*] *tres ad tabernaculum foederis. Cumque fuissent egressi* », v. 5 « *descendit Dominus in columna nubis et stetit in introitu tabernaculi, vocans Aaron et Mariam. Qui cum issent* », v. 6 « *dixit ad eos : Audite sermones meos. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei vel per somnium loquar ad illum* ». Qui supra septuaginta prophetas se ambitione extulerant, eos Deus illico in eundem cum illis gradum relegat. Ambigi potest, edicantne haec verba *duo* favorum genera Deum illis prophetis elargiri consuevisse, ut aliquando illis vigilantibus formae quaedam aenigmaticae (v. 8) ostenderentur sine verbis, alias dormientibus fierent divina alloquia; an omnes illae divinae manifestationes, tam visionum quam alloquiorum, factae sint somniantibus. In Moyse certe duo manifestationum genera saepe in unum conspirabant, ut simul ille (v. 8) et « formam Iahve » contueretur eiusque verba audiret. Cf. *R. Cornely :* Introd. II. 2. 291 sq. v. 7 « *At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est* ».

v. 6 נביאכם יהוה non potest verti *propheta Iahve inter vos*; id non fert grammatica. Textus evidenter est mancus, excidit sc. (*Chald. Syr.*) inter utramque vocem pronomen אני. Ergo : *si fuerit propheta vester, ego Iahve in visione apparebo ei.* Fuit sane in stirpe electa etiam ante Moysen prophetia, sed ubi semel Deus avitus nomine proprio voluit appellari Iahve, iam non potuit in stirpe electa esse verus pro-

pheta, qui non esset idem propheta Iahve et per quem se Iahve manifestaret. Verum nota oppositionem inter *propheta vester*, expressionem veluti rem privatam demonstrantem, et v. 7 *servus meus*. Videntur illi prophetae potius ad privatorum de rebus suis quæstiones quasdam respondisse (cf. Ex. 33,7; 1 Reg. 9,6), dum Moyses res *domus Iahve* animadvertebat, i. e. res populi Israel (*Bonfr.*) vel generatim oeconomiam salutis (Hebr. 3,5). — Sed cur Moysis v. 7 *fidelitas* effertur, cum orationis argumentum requirat, ut ipsius respectu aliorum prophetarum non tam maior *virtus* quam potior *dignitas* efferatur? Placet, quod suggerit *Calm.*, vocem נאמן sonare oeconomum; *Kn.* der Oberknecht. 1 Reg. 3,20 Samuel vocatur נאמן quoad prophetiam, velut archipropheta; David 22,14 « נאמן et gener regis ». Fuisse נאמנים viros in aliqua dignitate constitutos suadent Iob 12,20; Prov. 13,17; 25,13. Item אמונה quandoque non tam fidem edicit, quam officium, munus. Cf. 4 Reg. 12,15; 1 Par. 9,22. 26. 31; 2 Par. 31,12. 15; 34,12; 2 Esdr. 11,23. Videtur tandem explicatio confirmari a S. Paulo Hebr. 3,5 sq. Christum Moysi comparante : καὶ Μωϋσῆς μεν πιστὸς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, ὡς θεράπων, εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων· Χριστὸς δὲ ὡς υἱὸς ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ. Ubi πιστός et θεράπων sunt voces, quibus LXX Num. 12,7 reddunt נאמן et עבד; εἰς μαρτύριον etc. dependet a θεράπων. Opponuntur inter se πιστός et Χριστός, θεράπων et υἱός : sicut Χριστός non edicit virtutem aliquam Christi acquisitam, sed dignitatem messiae, ita πιστός non edicit virtutem aliquam Moysis acquisitam, sed describit dignitatem quam ipse obtinet *in domo Dei*. Verte igitur : *at non talis servus meus Moyses : in omni domo mea maiordomus est ipse.*

v. 8 « *Ore enim ad os loquor ei, et palam et non per aenigmata et figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi?* »

Aliquos interpretes (v. g. *Cai.*, *Bonfr.*) in his versibus exponendis decepere praeiudicia de rebus ad prophetiam spectantibus : putabant aliorum prophetarum visiones fuisse in parte animae imaginativa solum, Moysis in parte intellectiva. Contra quae merito monet *Est.*, Deum a Moyse visum esse corporali specie tantum, et *Sylv.*, Moysen non vidisse divinam essentiam. Textus Moysen comparat prophetis aequalibus, non antiquioribus neque necessario diu post Moysen futuris : de his quidquam definire alienum erat a contextu cap. 12. Illis prophetis duo se concedere v. 6 affirmat Deus : *in visione me ei manifestabo, et* (copulam *Sam. LXX Vulg. Syr.* habent) *in somnio loquar ad eum.* Quibus respondent duo, quae v. 8 chiastice scribuntur : Moysi *ore ad os loquar,* ergo sicut vigilantes colloqui assueverunt, *et visionem, sed non per aenigmata, et formam Iahve contuebitur.* Contuebitur *visionem*, quae visio consistet *forma Iahve*, corporali aliqua specie, cuius tamen secundum Ex. 33 neque *faciem* distincte contuebitur Moyses. Talis *visio formae*, licet sit incompleta, non est *visio per aenigmata :* non enim aenigma aliquod Moyses contuetur, uti rubum ardentem Ex. 3,3, sed ipsam Iahve formam. Loco v. 8 ומראה (*Masor.*) legunt *Sam. LXX Chald. Syr.* et codices hebraei plures במראה, *Vulg.* fortasse ובמראה, *et palam :* nota, quam facile e praecedente voce בו copula efformari potuerit. Sensus manet substantialiter idem : *in visione, sed quae non habeat aenigmata, contuebitur*, et quidem *formam Iahve.* Intelligitur autem *visio* quilibet aspectus, sive quis videat rem vel personam in eius propria forma, sive in aenigmate, in symbolo aliquo. Ex eo, quod Moysi in oppositione ad alios illos prophetas tribuatur *visio, sed non per aenigmata,* merito concluditur eam, quae illis prophetis concedebatur, fuisse *visionem*

per aenigmata tantum; certe *formam Iahve* non contuebantur. Ergo utrique *verba* percipiunt : illi solummodo, sicut verba somniator in somnio exaudit, Moyses auditu externo verba Iahve ore ad os loquentis. Utrique *visionem* vident : illi symbolicam tantum, Moyses imprimis ipsam *formam Iahve*, eius apparentis humanam speciem. Haec vero Moysi conceduntur ob excellentem eius dignitatem : non solum pertinet Moyses ad domum Iahve, sed *super totam hanc domum* est ipse נאמן, *post Iahven primus*.

V. 9 « *Iratusque contra eos abiit* ». Non movet admirationem (*Dillm.*) iram Dei nunc tandem, non v. 2 recenseri. Recensetur, ubi irae aliquis effectus prodit : atqui non erat irae indicium, quando illos v. 4 Deus propius ad se accedere iussit; erat autem, quando ipse cum nube se retraxit. v. 10 « *Nubes quoque recessit, quae erat super tabernaculum* ». *Hebr. : de super;* ergo non iam erat supra tabernaculum; an intra tabernaculum se receperit, nescimus; annon verba v. 14 rursum Deus locutus est de nube? « *Et ecce, Maria* [*apparuit candens*] *lepra quasi nix* ». Non punitur Aaron, quod esset « radix et columen sacerdotum », et quod in totum sacerdotum genus transiisset eius probrum (*Theodoret.*). « *Cumque respexisset eam Aaron, et vidisset* [*perfusam*] *lepra* », — bene punitionis effectus in Aaronem describitur, qui pro officio iam tenebatur, eam leprosam declarare et separare. Recordatur illico, non solius Mariae fuisse peccatum, sed item suum — v. 11 « *ait ad Moysen : Obsecro, domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum* », eius peccati poenam plagam (cf. Ex. 15,26), « *quod stulte commisimus* ». v. 12 « *Ne fiat haec quasi mortua et ut abortivum, quod proiicitur de vulva matris suae :* [*ecce iam*] *medium carnis eius devoratum est a lepra* ». Ultimum incisum *Vulg.* retulit ad *Mariam*, sed referri ad *abortivum* e suffixo perspicitur (*Cai.*). Comparat Mariam Aaron abortui, qui corrosis magna ex parte carnibus ex utero prodit. v. 13 « *Clamavitque Moyses ad Dominum dicens : Deus, obsecro, sana eam* ». Ostendit iam Deus, et quantum valeat Moysis intercessio, seque Mariam punivisse « non ut iudicem, sed ut patrem » (*Theodoret.*). Lepram comparat sputo a se in filiae faciem immisso (*Sa*); supponit patrem iuste conspuentem filiam (*Calm.*) ob gravem sibi illatam iniuriam. v. 14 « *Cui respondit Dominus : Si pater eius spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi?* » « Nonne debuisset prae pudore aliquot diebus vitare conspectum patris, quem ita graviter offenderat? » (*Bonfr.*). « *Separetur septem diebus extra castra, et postea revocabitur* ». Utrum autem illico, an elapso tandem septiduo lepra evanuerit, non docemur. Non utique observatae fuerunt ceremoniae Lev. 14 praescriptae, quibus quis a lepra mundatus esse declararetur (*Men.*), quod ipse Dominus eam declaras-

set post septiduum certe fore mundam. v. 15 « *Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus; et populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria* ».

Textum, uti iacet, exposuimus. Factum Mariae lepra percussae scandalo fuit quibusdam rabbinis. *Targ.* exprimunt v. 12 paraphrasi. *Syr.* ib. pro תהי videtur legisse נהי, *ne fiamus.* Hinc audacius intulit *Geiger* p. 384 sq., narrationem id primitus habuisse, tam Aaron quam Mariam percussos esse lepra, id vero in Aarone pontifice haud tulisse pios rabbinos ideoque textum torsisse. Coniecturae fundamentum leve est. Tamen comparatio v. 12 longius petitur, quam vir summo affectu abreptus eam petiturus fuisse facile credatur. An textus emendationem admittat, aut quam, definire non ausim.

C. De Haseroth in desertum Pharan Num. 13-15.

Narratur cap. 13 sq. occasione missorum exploratorum oborta seditio. In cuius poenam Deus commorationem in deserto ad quadraginta annorum spatium extendit, quoad sc. adulti omnes, qui tum erant, paucis exceptis e vivis cessissent. Quod decretum quidam sera audacia irritare conati ab hostibus funduntur. Cap. 15 Moyses, intuitu diuturnae illius in tractu minus fertili futurae commorationis, a Deo iussus suspendit obligationem minchae addendae holocaustis et pacificis, item offerendi primitias alicae, i. e. frumenti ad usus hominum proxime praeparati; lex item de sacrificiis pro peccato mutatur et completur; homo sabbato ligna colligens lapidatur; praescribuntur, quae leges in memoriam revocent, vestimentorum fimbriae.

I. SEDITIO OCCASIONE MISSORUM EXPLORATORUM OBORTA NUM. 13,1-14,39.

Arg. — Id Deus Hebraeorum pusillanimitati concedit, ut, antequam Chanaanitiden adoriantur, illam per speculatores explorent. Designat igitur Moyses viros duodecim, qui de incolis, urbibus, imprimis vero de soli fertilitate referant. Lustrata universa regione revertuntur secum portantes fructuum excellentia specimina; terram referunt esse fertilem, urbes validas, habitatores robustissimos. Haud mirum populum, qui 11,1 laborem resumendae peregrinationis esset aversatus, ubi iam de bello arduo suscipiendo ageretur, in murmura prorupisse. Quae compescere conatus Caleb auxit potius, reliquis exploratoribus rei difficultatem exaggerantibus et populo contra Moysen rebellante aliumque reditus in Aegyptum ducem exposcente. Iam in eo erant Iosue et Caleb, ut lapidarentur, cum ecce gloria Domini omnibus visibilis apparuit. Deum protestantem se velle populum perimere placat Moyses demonstrans, eam ruinam Deo in probrum esse cessuram

apud Aegyptios neque constare cum eius Ex. 34 promissis. Decernit igitur Deus, ut, quod populus questus sit melius sibi fore mori in deserto quam terram promissam ingredi tam valide munitam, adulti omnes in deserto moriantur, ingressus terrae promissae triginta octo annis postponatur. Omnes, praeter Iosue et Caleb, exploratores illico divino iudicio e vivis sublati sunt.

Aila seu Elath, in summo Sinu Aelanitico sita, *desertum Pharan* attingebat Gen. 14,6 (cf. CG p. 378). Ismael (21,21; 25,18) sedes obtinuit in eodem deserto ab Hevila (?) usque ad fines Aegypti. Idumaei e suis finibus Aegyptum petentes 3 Reg. 11,18 transeunt per idem desertum. Pertingit igitur illud fere ab Idumaea et Elath ad fines Aegypti, ubi ab urbe Etham et a munitionibus nomen mutuatur desertum Etham et desertum Sur. Desertum Pharan videntur Hebraei ingressi esse 10,12, brevi postquam a monte Sinai discesserant; videntur Tabera et Qibroth ha-Taawa (11,3. 34) in eodem deserto fuisse. Illud Num. 33 inter stationes non numeratur. Erat undecim dierum iter (Deut. 1,2) per illud desertum a Sinai usque Cades Barnea. Pars meridionalis montana Sinai attingens erat « desertum magnum et horribile » (Deut. 1,19), quod sane Hebraei citatis itineribus traiecere. Sed pars septentrionalis seu *desertum Pharan Cadesam versus* (Num. 13,27) erat florentior. Urbs (20,16) *Cades* (Gen. 14,6; Num. 20,1 etc.; Iud. 11,17) seu *Cades Barnea* (Gen. 20,1; Num. 13,27; 34,4; Deut. 1,2.19; 2,14) sita erat non in deserto Pharan, sed in *deserto Sin* (צִן) 20,1; 27,14; 33,36; Deut. 32,51 (cf. Num. 13,22), « quod erat iuxta Edom » (34,3). Sita videtur fuisse ea urbs in valle, quae Wadi Kadis audit, medio fere itinere a Gaza ad Sinum Aelaniticum. Cf. *H. C. Trumbull :* Kadesh Barnea etc., New-York 1884. Gratuito *I. G. Vaihinger* (Theol. Studien u. Kritiken, Gotha 1870 p. 454 sqq.) duas diversas adstruit Cades. Cf. dicenda ad Num. 33.

Tribus v. 5-16 eodem fere atque Num. 1,5-15 ordine recensentur : tamen Zabulon filiis Rachelis, Manasse Beniamino, Gad Nephthali anteponitur. Silente scriptura non iuvat tam levis discriminis rationem rimari. — *Virorum* secus, praeter Iosue et Caleb, non habetur mentio, quod mortui sint in deserto. Nullus e tribuum summis principibus (Num. 1; 7) deputatur, quos oportebat in castris praesentes adesse. Seligendi erant viri robustiores (Iosue, Caleb), prudentes, imo versuti : exploratorum quippe vitae in discrimine versantur, ubi primum itineris consilium incolis regionis subolet. An forte aliqui ex Hobabi Madianitis se exploratoribus iunxere? Cum *Phalti* 1 Reg. 25,44 idem 2 Reg. 3,15 vocetur Phaltiel, vix non est certum Phalti h. l. v. 10 etiam esse e Phaltiel contractum. Nomen Iosue v. 17 est primum nomen eorum, qui cum Moyse proficiscebantur, cuius pars sit sacrosanctum nomen *Iahve*, utique forma breviori. Videntur ante illud tempus Hebraei circa Moysen reverenter abstinuisse ab eo nomine nominibus propriis inserendo.

Deut. 1,19-23 supplet aliqua nostram narrationem spectantia, quae quidem h. l. *Sam.* textui assuit. Cum Hebraei prope Cades Barnea devenissent, monuit eos Moyses, ut abdicato omni timore incolas terrae promissae adorirentur. Illi vero timidi rogaverunt exploratores praemitti. « Placuit hic sermo in oculis Moysis » : an post vel ante consultum Iahve, nescimus; Num. 13,3 narratur Deus, ut exploratores

mitterentur, iussisse : id ergo Deus Hebraeorum pusillanimitati, fortasse etiam Moysis indulgentiae, concedebat. At non caruit severa punitione pusillanimitas : exploratores occasio fuere rebellionis, rebellio divini decreti, ne quis eorum, qui tum vigesimum annum attigissent, terram promissam ingrederetur. Moyses in narratione Ex. — Num. non omnia refert populi delicta.

Cap. XIII. Sensu obvio ingressi sunt Hebraei desertum Pharan 10,13 relicto monte Sinai; Tabera et Haseroth in illo deserto fuere, fortasse non in eius parte maxime « terribili ». Nunc altius in idem desertum penetrant, atque in loco antea nomine carente, sed fortasse ab ipsis nomen nacto, castra ponunt. Est hic locus adhuc a Cades remotior, cum non dicatur uti v. 27 fuisse *Cadesam versus;* sed inde progressi exploratores reduces obvios habuere in ea deserti Pharan parte, quae proxime aberat a Cades.

v. 1 « *Profectusque est populus de Haseroth fixis tentoriis in deserto Pharan* », v. 2 « *ibique locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 3 « *Mitte* » *tibi* « *viros* », — illoque *tibi* censet *Cai.* illud exprimi, concedere Deum exploratores populi importunitati Deut. 1,22 — « *qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus, ex principibus* » *mittes* (*Sam. LXX Syr.*), contra *Hebr. Chald. mittetis.* Viros Moysi Deus commisit designandos. Designavit is 11,27 duos suis rebus minus addictos, dum duodecim virorum h. l. designatorum decem postea rebellibus iunguntur. An forte tum Moyses movebatur spiritu quodam politico, ut designaret non viros tantummodo cultui Iahve sibique plene addictos, sed alterius item factionis viros, quorum sibi animos ea honoris et fiduciae significatione devinciret? v. 4 « *Fecit Moyses, quod Dominus imperaverat, de deserto Pharan mittens principes viros, quorum ista sunt nomina* » : v. 5 « *De tribu Ruben Sammua* » (cf. 2 Esdr. 11,17; 12, 18. LXX Σαμουήλ), « *filium Zechur* » (nomen sat frequens : 1 Par. 4,26 etc.). v. 6 « *De tribu Simeon Saphat* » (3 Reg. 19,16. 19 etc.), « *filium Huri* » (Gen. 36,22 etc.). v. 7 « *De tribu Iuda Caleb* », de quo plura vide 26,65; 32,12; 34,19; Deut. 1,36; Ios. 14,6. 14; 15; 21,12; Iud. 1, « *filium Iephone* » (1 Par. 7,38). v. 8 « *De tribu Issachar Igal* » (2 Reg. 23,36; 1 Par. 3,22), « *filium Joseph* ». v. 9 « *De tribu Ephraim Osee* » (4 Reg. 15,30 etc.), « *filium Nun* » (Ex. 33,11. LXX Ναυή). v. 10 « *De tribu Beniamin Phalti* » (v. s.), « *filium Raphu* ». v. 11 « *De tribu Zabulon Geddiel, filium Sodi* ». v. 12 « *De tribu Ioseph sceptri Manasse Gaddi, filium Susi* ». v. 13 « *De tribu Dan Ammiel* » (2 Reg. 9,4 sq.; etc.), « *filium Gemalli* ». v. 14 « *De tribu Aser Sthur, filium Michael* » (1 Par. 5,13 sq.; etc.; Dan. 10,13. 21; 12,1). v. 15 « *De tri-*

bu Nephthali Nahabi, filium Vapsi ». v. 16 « *De tribu Gad Guel, filium Machi* ». v. 17 « *Haec sunt nomina virorum, quos misit Moyses ad considerandam terram, vocavitque Osee filium Nun Iosue* ». v. 18 « *Misit ergo eos Moyses ad considerandam terram Chanaan, et dixit ad eos : Ascendite per meridianam plagam* », i. e. ad *Negeb*, tractum terrae promissae meridianum et planum, *et ascendite in montana*, quae ad septentrionem Negeb protenduntur, seu : « *Cumque veneritis ad montes* », v. 19 « *considerate terram, qualis sit, et populum qui habitator est eius, utrum fortis sit an infirmus, si pauci* [*numero*] *an plures* » ; v. 20 « *ipsa terra, bona an mala; urbes quales, muratae an absque muris* » ; v. 21 « *humus, pinguis an sterilis, nemorosa an absque arboribus* ». *Hebr. : an arbores in ea an fontes.* « *Confortamini, et afferte nobis de fructibus terrae. Erat autem tempus,* [*quando*] *iam praecoquae uvae* [*vesci possunt*] ». Populus Deut. 1,22 ad hoc potissimum exploratores videtur suggessisse, ut renuntiarent *viam*, qua recessura iam columna nubis Hebraeis foret incedendum, et *urbes*. Moyses viam tacet; incolas, urbes commemorat; verum ter insistit, ut considerent *fertilitatem terrae* eiusque referant argumenta, confirmationes futuras tot divinarum promissionum et vacillantis fidei munimenta.

Nomen הושע *salus* mutatur in יהושע *Iahve salvator.* Levis specie mutatio, qualis ab Abram ad Abraham, a Sarai ad Sara, a Iau in Iahve. Putabant cum *Theodoret.* aliqui, nomen Iosue viro impositum esse illico post victoriam Ex. 17 de Amalecitis reportatam, factum hoc tandem loco suppleri et v. 17[b] vertendum esse plus quam perfecto. E contra *Or.* (Hom. 1 in Ios.; *M.* 12. 827) et *Aug.* (Sermo 352; *M.* 39. 1553) censent, nomen nunc primum esse impositum paucisque antea textibus scriptum esse proleptice. Idque tanto facilius adstrui potest quod, cum toties in Genesi nomen Iahve suffectum sit in locum alterius nominis divini, non est cur negemus, octo omnino textibus (Ex. 17,9.10.13.14; 24,13; 32,17; 33,11; Num. 11,28) nomini Osee proleptice suffectum esse nomen Iosue. Ergo narratio Num. 13,1-21 censenda est esse continua : primum Moyses illos viros deputabat, dein Osee nomen mutabat, tandem quae agenda essent explicabat. Cur unius prae ceteris Osee mutatum nomen? Significat ea mutatio Oseen speciali ratione sub auctoritate Moysis et Dei esse constitutum (cf. CG p. 94 sq.), speciali item a Deo auctoritate instructum. Designatur ille dux primum quidem exploratorum; at, cum nomen Iosue permansurum sit etiam post completam explorationem, designatur idem Israelitarum in occupanda terra promissa futurus dux. Cum his componas, quaeso, eorum aliqua, quae in Exodo videbamus. Promiserat Deus Ex. 19,6 Hebraeis, si foederi starent, perfectam monarchiam, qua reipublicae praeesset unus, rex idem atque sacerdos. Foederis confirmationem a Deo iam impetraturus Moyses, secum in montem deducit 24,13 Oseen, principem militiae, ibique secum quadraginta diebus detinet. At interim populi superstitione confunduntur omnia. Moyses foederis documentum, tabulas Dei digito conscriptas Ex. 31,18, confringit; ad redintegrandum postmodum foedus in montem conscensurus Ex. 34,3 quemquam secum adducere

prohibetur; sacerdotio a Manassaeis in Aaronitas translato, nulla iam regni sacerdotalis fit mentio. Nunc tandem, in ipso terrae promissae limine, Osee mutato nomine auctoritas aliqua confertur, non regia, non ad posteros transmittenda.

v. 22 « *Cumque ascendissent, exploraverunt terram a deserto Sin* » (v. s.), qui limes 34,3 futurus erat terrae sanctae meridiem versus, « *usque Rohob intrantibus Emath* ». Non omnes sane una, sed fortasse bini incedebant. De *Rohob* dicebamus ad Iud. 18,28 et 2 Reg. 10,6; erat pagus ad septentrionem Lacus Merom situs, in quo erat urbs Dan Lais Iud. 18,28. Longo itinere distabat ab Emath seu Hamath. Expressio לבוא חמת saepe recurrit (Num., 34,8; Ios. 13,5; Iud. 3,3; 3 Reg. 8,65; 4 Reg. 14.25; 1 Par. 13,5; 2 Par. 7,8; Am. 6,15), iis etiam locis, ubi de accessu prope Emath minime est sermo; videtur angustiis montium Libanum inter atque Hermonem, haud procul a Dan Lais, nomen fuisse *Introitus Emath*. (Cf. *E. Robinson* : Neuere biblische Forschungen in Palästina, Berlin 1857, p. 741 sq.). Expressio prodit, aliam florentiorem urbem inter Emath et Rohob non intercessisse, et Emath fuisse tum urbem celebrem atque florentem, imprimis mercatorum undique confluentium concursu. Descripto v. 22 summatim toto exploratorum itinere, duo loca speciatim efferuntur : Hebron, ubi patriarcharum erant sepulcra, et Nahal Eschol, locus e fertilioribus, unde ipsi fructus fertilitatis argumenta asportarunt. v. 23 « *Ascenderuntque ad meridiem* », i. e. *in Negeb;* erat illud tractus terrae sanctae maxime meridionalis, et quasi pars septentrionalis ipsius deserti Sin; « *et venerunt* » — pluralem merito punctavere *Keri Sam. LXX Vulg. Syr.* contra *Kethib Chald.* — « *in Hebron, ubi erant Achiman et Sisai et Tholmai* », — nomina (Ios. 15,14; Iud. 1,10) sunt vere semitica. Achiman vocatur etiam levita aliquis 1 Par. 9,17; Tholmai rex Gessur socer Davidis 2 Reg. 3,3; 13,37; praeterea nomen Bartholomaeus explicant, ut sonet idem atque « filius Tholmai » — « *filii Enac* ». Primum h. l. in V. T. leguntur Enacitae. Incolae Hebronis tempore Abraham vocantur Hethaei (Gen. 23) et Amorrhaei (14,13); reapse Amorrhaeorum nomen quandoque latius adhibebatur (cf. CG p. 326). Hethaei illi non describuntur fuisse gigantes, neque ulla est ratio affirmandi Enacitas fuisse Hethaeos : diversa nomina suggerunt agi de diversis gentibus. Iud. 1,10 Enacitae vocantur Chananaei; sed neque id certo probat originem e Chanaan, cum Chananaeorum etiam quandoque nomen latius sumatur pro quibuslibet gentibus Chanaanitiden incolentibus. Tempore exodi tres Enacitarum tribus Hebrone consederant; praeterea obtinebant tum Enacitae alias in montanis non solum Iuda sed etiam Israel urbes, imo Gazam, Geth et Azotum

(Ios. 11,22). Gloriabantur antecessore Arbe (Ios. 14,15; 15,13; 21, 11), viro famoso, qui scribitur fuisse « homo magnus inter Enacitas ».

Narratur Sara mortua esse in Urbe Arbe, « in Cariath Arbe, quae est Hebron » (Gen. 23,2; cf. 35,27). Sensus obvius est iam tum urbi nomen fuisse ab Arbe Enacita. In libro Iosue urbs plerumque vocatur Hebron (10,3. 23. 36. 39; 11,21; 12,10; 14,13 sqq.); sed e Ios. 14,15; 15,13. 54; 20,7; 21,11 reapse effici videtur urbem etiam tum fuisse binomiam. Memento, unam eandemque urbem aevo Abrahae nomen habuisse Salem (Gen. 14,18; cf. C G. p. 382), postea a Iebusaeis nomen mutuatam esse Iebus, tandem a Davide captam ad nomen Salem vel Ierusalem rediisse. Similiter fieri potuit, ut Hebron modo ab Enacitis, modo ab Hethaeis aliisve occuparetur, ab illis Cariath Arbe, ab his Hebron vocaretur. — Fere duobus saeculis ante Hebraeorum in Chanaanitiden adventum gens aliqua *Chabiri* urbes ib. plures, quae sub Aegyptiorum ditione fuerant, arripuit: Gath, Gazer etc. Hos aliqui ob nominis similitudinem Hebraeos interpretabantur; nunc alii ab eorum nomine nomen Hebron derivant, ut sit Chabirorum urbs; Rub' uti, qua urbe Chabiri potiebantur, censent esse idem nomen atque (Cariath) Arbe. Sunt haec quidem valde ingeniosa, sed mera coniectura. Cf. *Hommel* p. 230 sqq.

« *Nam Hebron septem annis ante Tanim urbem Aegypti condita est* ». Urbs tam in V. T. quam apud alios antiquos orientis populos *condita* dicitur, non solum quando primum fundatur, sed quando augetur, ornatur, regni caput efficitur. Sic Iudith 1,1 Arphaxad Ecbatanam aedificasse scribitur, quae testibus documentis cuneiformibus antea iam exsistebat. Tanis iam exstabat tempore sextae dynastiae aegyptiacae. Sed 19ae dynastiae rex Ramesses II, Hebraeorum oppressor, illam plurimum auxit, sumptuosissimis instruxit aedificiis, regni sedem fecit. Crediderim equidem *annum conditae Taneos* h. l. scribi annum illum nunquam de Hebraeorum mentibus oblivione delendum, quo Ramesses exornandae Taneos initium facturus decreto edito Hebraeos durissimis angariis addixit. Urbem Ramesses Ex. 1,11 probabilissime intelligi ipsam Tanin, demonstrabamus C E L p. 33.

Verba textus non exprimunt Hebraeorum de tanta urbis Taneos antiquitate admirationem (*G. Ebers:* Durch Gosen zum Sinai, Leipzig 1872, p. 504). Non consuevit textus sacer notas tradere mere archaeologicas; neque est probabile Hebronem, urbem seorsum in montibus sitam, antiquiorem exstitisse aut Tani aut civitatibus Phoenicum, quae item Hebraeis erant oppido notae. Cur non ea antiquitatis admiratio in vitis patriarcharum exprimebatur, qui Hebronem non furtim tamquam exploratores inviserant, sed ib. vixerant et sepulcra habebant? — Verba scribi censet *Est.*, ne miretur lector Hebronem incoluisse Enacitas gigantum postdiluvianorum Gen. 10,9 progeniem: erat sc. urbs antiquissima Hebron, vel ipsa Tani antiquior, attingebatque diluvii tempora. At gratuito supponit Est., et Enacitas inde a diluvio fere constanter Hebrone consedisse, et esse gigantum Gen. 10,9 progeniem: nihil horum probari potest. — Putat *Calm.*, velle Moysen confundere Aegyptios de sua antiquitate gloriantes. Respondeo, inde a transitu Maris Rubri

Moysen non commemorare Aegyptios, nisi ut ab eorum moribus imitandis dehortetur Hebraeos; hi utique semper proni sunt ad Aegyptum, eius carnes, pisces etc. commemorandum.

Quod in textu potissimum est, non tam est antiquitas Taneos, sed maior antiquitas Hebronis, nobisque ratio reddenda est, quae induxerit Hebraeos exploratores ad duarum urbium tempora comparanda inter se. Ubi certa quaeque argumenta deficiunt, liceat probabilem in medium proferre coniecturam. Subegerant Enacitae cum aliis pluribus, qui Pastorum nomine veniunt, Aegyptum; indidem cum iisdem pedem referre compulsi haeserunt aliquamdiu in Chanaanitide vagi atque incerti, donec tandem antiquas suas Hebrone sedes recuperaverunt, urbem munierunt, amplificarunt, *condiderunt.* Ex certis temporum rationibus, quas ipsi in tabulariis suis asservabant, efficiebatur initium *condendae* Hebronis factum esse *septennio* ante Ramessis decretum Hebraeos ad angarias adigens. — Diu ante Moysis et Ramessis tempora initium sumpserat Pastorum ex Aegypto expulsio, quando Ahmes, 18[ae] dynastiae primus rex, eorum munitionem Avarim expugnaverat. Erant tum sane Hebraeorum aliqui, qui suggererent, ut Hebraei Pastoribus amicis excedentibus iungerentur et promissas a Deo in Chanaanitide sedes occuparent. Sed maluere tum Hebraei tempora a Deo praesignata exspectare (Gen. 15,13). Ubi iam exploratores Hebraei Hebronem ab Enacitis praeoccupatam ac munitam reperere, conquerebantur maiorum tarditatem, *serius* se ad Chanaanitidis fines advectos reputabant. Haec si tibi, lector benevole, coniectura non sapit, aptiorem quaeso in medium profer.

v. 24 « *Pergentesque usque ad Torrentem Botri, absciderunt palmitem cum uva sua* », *Hebr. : palmitem et racemum uvae unum,* unicam uvam e palmite pendulam, « *quem portaverunt in vecte duo viri* »; non ideo, quod unus vir pondus sustinere non posset, sed « ne ab uno vectus tunderetur atque vitiaretur » (*Calm.*). « *De malis quoque granatis et de ficis loci illius* [*tulerunt*] ». v. 25 « *Qui appellatus est Nehel Escol,* [*i. e. Torrens Botri,*] *eo quod botrum portassent inde filii Israel* ».

Gen. 14,13 recensetur Eschol, frater Mambre, qui, quod ab Abraham brevissimo tempore ad proelium sit evocatus, censendus est haud longe ab Hebrone incoluisse. Potuit igitur Wadi Bet Iskahil prope Hebron, septentrionem versus, reapse ab illo viro nomen accipere idemque esse cum Nahal Eschol h. l. Cui non obstat v. 25 loci nomen derivans non a viro illo, sed ab uva ab exploratoribus asportata : quandoque enim unum nomen proprium duobus eventibus in memoriam revocandis adhibebatur (cf. Gen. 21,31; 26,33). — Regio imprimis circa Hebron ob excellentes fructus celebratur : cf. *E. Robinson :* Palästina u. die südlich angrenzenden Länder, Halle 1841, I. 354. 356, II. 717. « Tantae magnitudinis botri etiamnum nascuntur in Palaestina. Sic *Schulzius* (Leitungen des Hoechsten P. V. p. 285) testatur se vidisse uvas duodecim librarum pondere. Anno 1780 Dux Portlandensis aliquem donavit botro syriaco, qui decem libras et viginti semuncias pendebat. *Relandus* etiam (Palaest. p. 351) refert, narratum sibi esse a mercatore, qui aliquot annos Ramae in Palaestina moratus erat, inveniri ibi botros decem librarum pondere. *Neizschizius* affirmat, se sub finem mensis Augusti in Palaestina vidisse botros dimidiae ulnae longitudinis, baccas autem duos digiti articulos aequasse. *P. Ign.*

a Rheinfelden anno 1656 in Syria vidit uvas, quae integrae ulnae longitudinem habuerunt » (*Ros.*). « Princeps *Radzvillius* (Epist. III) affirmat, sibi Alexandriae versanti oblatos Rhodiarum uvarum racemos tribus ulnae quadrantibus longos, quorum singuli acini prunum aequabant » (*Calm.*).

v. 26 « *Reversique exploratores terrae post quadraginta dies,* [*omni regione circuita,*] » v. 27 « *venerunt ad Moysen et Aaron et ad omnem coetum filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades* », — *Hebr. : versus Cades.* ה locale sensu maxime proprio non designat locum quo, sed directionem versus quam tenditur : ea deserti pars vocabatur *desertum Pharan Cadesam versus.* Certe desertum non erat *in* Cades, neque Cades erat in deserto Pharan, cum fuerit in deserto Sin — « *locutique eis et omni multitudini ostenderunt fructus terrae* » v. 28 « *et narraverunt dicentes : Venimus in terram, ad quam misisti nos, quae revera fluit lacte et melle, ut ex his fructibus* [*cognosci potest*] »; — v. 29 « *sed cultores fortissimos habet et urbes grandes atque muratas; stirpem Enac vidimus ibi* ». Vituperant exploratores *Est., Sylv.* ob verba v. 29, quasi his subdole populi fidem subvertere conentur; sed reapse illi fideliter respondent ad quaesita v. 20 sq., neque video qua alia ratione vere respondere potuerint. v. 30 « *Amalec habitat in meridie, Hethaeus et Iebusaeus et Amorrhaeus in montanis; Chananaeus vero moratur iuxta mare* » mediterraneum « *et circa fluenta Iordanis* ». De his gentibus dicebamus ad Gen. 10,15 sq. (CG p. 325 sq.).

v. 23.29 (22.28), vocantur Enacitae ילידי הענק, et 2 Reg. 21,16.18; 1 Par. 20,4 Rephaitae ילידי הרפה; secus יליד scribitur de servis in domo heri natis (Gen. 14,14; Lev. 22,11 etc.). Dum *filiis* vel *domui* adnumerabantur ii etiam, qui aliunde oriundi genti cuidam se iunxerant, *nati* ii vocantur, qui vera generatione genti accesserunt. Reapse statura gigantea erat in Enacitis generatione, non emptione etc. — Viderant sat *magnas* urbes in Aegypto Hebraei; et magnae sane urbes erant etiam Gath, Gaza, Ierusalem, itemque Hebron.

Per quadraginta dies (v. 26) exspectaverant Hebraei in Cades Barnea reditum exploratorum. Quosvis rumores de terrae promissae indole avide captaverant homines desides. Haud mirum eos iam esse ad murmura pronos et, omissis penitus quae de fertilitate terrae renuntiata fuerant, exaggerare incolarum et urbium robur. Hanc quippe fuisse murmurum rationem principalem, produnt Calebi verba. Penitus ignorabant illa sexcenta hominum millia uvam unam pauculosque fructus. v. 31 « *Inter haec Caleb compescens* [*murmur*] *populi,* [*qui oriebatur*] *contra Moysen, ait : Ascendamus et possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam* ». ויהס ἅπαξ λεγόμενον. הסה verbum

imitativum soni, derivatum a הס, sono inculcante silentium (Iud. 3, 19; Am. 6,11 [10]), uti nos dicimus *pst!* vel *st!* Ergo : *silere fecit populum quoad Moysen* (*Hebr. LXX Chald.*), seu *contra Moysen* (*Sam. Vulg. Syr.*), i. e. fecit silere a murmure contra Moysen. Caleb, vir pius et fidus, dum illud *poterimus* proloquebatur, cogitabat sane (*Cai.*) de promisso toties Hebraeis divino auxilio Hebraeorum infirmitatem iuvaturo. At in verbis v. 31, dummodo ea integrum eius sermonem reddere supponantur, id non expressit. Hinc ansam dedit exploratoribus aliis eius vocis carpendae atque dicendi v. 32 *non poterimus*; ipsi vero, ignorato divino auxilio, solas vires humanas in mente habebant. v. 32 « *Alii vero, qui fuerant cum eo, dicebant : Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est* » statura, arte bellandi, numeris. Et nunc exploratores, qui v. 28-30 moderate loquebantur, ardore abripiuntur et v. 32-34 exaggerationibus indulgent, quibus et regioni et incolis detrahant. v. 33 « *Detraxeruntque terrae, quam inspexerant, apud filios Israel dicentes : Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos* ». Variis modis terra devorat habitatores suos : si coelum est insalubre (*Bonfr.*), si bella assidua (*Calm.*), si annonae penuria. Non hoc ultimum volebant edicere exploratores, cum modo terrae fertilitatem laudassent et coram oculis essent fructus excellentes. Volebant autem nunc terrae detrahere quibuscunque modis possent, neque ullum excludere sensum qui eam in oculis populi extenuaret. « *Populus, quem aspeximus, procerae staturae est* ». Id iam ad omnes universim Chanaanitidis incolas extendunt, quos v. 29 « gentem robustam » appellarant. v. 34 « *Ibi vidimus monstra quaedam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustae videbamur* ». Cum reliquis omnibus *proceram staturam* attribuerint, quid restat nisi ut hos *monstra* fuisse effingant? *Hebr. : Ibi vidimus Nephilim istos, filios Enac de inter Nephilim, et fuimus in oculis nostris sicut locustae, et ita fuimus in oculis eorum.* Exaggerationis sibi conscii sunt. Interrogaverit quis, an revera tanto minores *sibi* visi sint Enacitis illis, quanto locusta differt ab homine : respondent, id ipsis etiam *Enacitis* debuisse ita videri. Incisum *filios Enac de inter Nephilim* ignorant quidem *LXX Itala*, tamen genuinum iudico : prodiit quippe illud etiam e desiderio confirmandae modo enuntiatae exaggerationis. Dixerant : *Vidimus Nephilim.* Obiecerit quis : Quomodo potuistis videre Nephilim, qui diluvio omnes oppressi sunt? Respondent : Vidimus *filios Enac* qui, credite nobis, sunt *de numero Nephilim.* Dicebamus ad Gen. 6,4, non posse demonstrari *Nephilim* fuisse nomen gentilicium gigantum ante diluvium. Multo minus e nostro textu quidquam erui potest

quoad fata illorum Nephilim, vel quoad origines Enacitarum. Exploratorum affirmatio, se vidisse *ipsissimos Nephilim*, tantum valet, ac si quis dicat : Vidi hodie verum Goliath.

v. 1 sq. subiectum scribitur bis *omnis ecclesia*, semel *populus*, item semel *omnes filii Israel*; tria etiam habentur verba *elevaverunt et ediderunt vocem suam*, *fleverunt*, *murmuraverunt* : videsne, quomodo R ex A, B et C textum consuerit (*Dillm.*)? Tria verba tres diversas actiones exprimunt. Hebraei 13,27 in *ecclesiam* adunati exploratores audierant, sed nocte ingruente ecclesiam solverunt, erantque simpliciter *populus* seu *filii Israel*. At mane *ecclesia* rursum coacta est, quae primum nuntium v. 3 ad Moysen misit, at mox v. 4 Moyse neglecto rem publicam ipsa administrare decrevit. Totius obiectionis hoc unum remanet, eosdem v. 1 dici *populum*, qui v. 2 dicantur *omnes filii Israel*.

Cap. XIV v. 1 « *Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa* », v. 2 « *et murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israel dicentes* » : v. 3 « *Utinam mortui essemus in Aegypto, et in hac* [*vasta*] *solitudine utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio et uxores ac liberi nostri ducantur captivi* ». « Voti compotes facti sunt; eandem quam postulaverant poenam Domino illis irrogante v. 28 : omnes enim confecit et sepelivit in deserto » (*Men.*). « *Nonne melius est reverti in Aegyptum?* » Verba sunt nuntii, quod ecclesia submittit ad Moysen et Aaron; eos invitant ad considerandum, annon sapienter prioribus nova consilia sufficiant. At ne Moysis quidem exspectato responso, eum principatu privare aliumque seligere ducem decernunt. v. 4 « *Dixeruntque alter ad alterum : Constituamus nobis ducem et revertamur in Aegyptum* ». In tam subita et universali rebellione quid faciat Moyses? Non exauditūri sunt loquentem. Unum superest, ut coram tabernaculo (*Cai.*), quod erat in medio castrorum, « cunctis videntibus » (*Bonfr.*) prosternatur divinam opem implorans : v. 5 « [*Quo audito*] *Moyses et Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel* ».

v. 6 « *At vero Iosue, filius Nun, et Caleb, filius Iephone, qui et ipsi lustraverant terram, sciderunt vestimenta sua* » (cf. Eccli. 46, 9 sq.; 1 Mach. 2,55 sq.). Hoc externo ritu luctum et indignationem testificati sunt, itemque desiderium, ut ipsis alloquendae multitudinis facultas concederetur. v. 7 « *Et ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt : Terra, quam circuivimus, valde* », *valde* « *bona est* ». Duplici *valde* fertilitatem terrae inculcant, v. 8 Dei potentiam in memoriam revocant, v. 9 a rebellione contra Iahven tamquam a summo malo dehortantur, promittuntque facilem Iahve propitio

victoriam. Ita pulchre eorum oratio opponitur exploratorum 13, 32 sqq. exaggerationibus. v. 8 « *Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem* ». v. 9 *Tantummodo* « *nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terrae* [*huius*], *quia sicut panem ita eos possumus devorare* », — *Hebr. : quia panis noster :* pulchra allusio ad 13,33 terram devorantem habitatores suos — « *recessit ab eis* [*omne*] *praesidium* ». *Hebr. : recessit umbra eorum de super ipsis*, ubi erit fere cogitandum de nube aliqua eorum capitibus impendente radiosque solis intercipiente. *Umbra* quandoque ad significationem *protectionis* transfertur (*Vulg. Chald. Syr. Symm.*). Admirationem facit, in tam breviloqua oratione reperiri hunc tropum, qui aliqua fere explicatione videatur indigere. *LXX* ὁ καιρός : legebant עתם pro צלם : *transivit tempus eorum.* Concesserat illis Deus tempus eorum, quo ipsi Chanaanitide potiti sunt; sed iam adest Hebraeorum tempus, quo ipsi vicissim Chanaanitide potientur. « *Dominus nobiscum est; nolite metuere* ».

Quaeritur, ad quos pronomen *eos* v. 10 referatur, utrum ad solos Iosue et Caleb, an etiam ad Moysen et Aaron v. 5. Populus, qui furore abripitur, cito ad extrema gressum facit. v. 3 nuntium insolentem ad Moysen mittunt, v. 4 sine illo quid agendum sit decernunt : quid facturi erant de Moyse et Aarone, alio itineris duce v. 4 electo? v. 10 « *Cumque clamaret omnis multitudo et lapidibus eos vellet opprimere* », quos *Cai.* putat in tanto periculo ad tabernaculum confugisse, « *apparuit gloria Domini super tectum* », i. e. tabernaculum, « *foederis cunctis filiis Israel* ». Portentum, uti illud Ex. 16, 10, omnium oculis conspiciebatur. v. 11 « *Et dixit Dominus ad Moysen : Usquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis, quae feci coram eis?* » v. 12 « *Feriam igitur eos pestilentia atque consumam, te autem faciam principem super gentem magnam et fortiorem, quam haec est* ». Simile consilium Ex. 32,10 enuntiaverat Deus.

Ambigitur, utrum in oratione v. 13-16 verba regentia formae praeteritae cum copula vertenda sint temporibus perfectis an futuris. v. 15 *Et dicent* nequit verti perfecto : ergo melius omnia haec verba pro futuris accipias. v. 13 *Et audient Aegyptii, de quorum medio ascendere fecisti populum tuum hunc,* v. 14 *et narrabunt incolis terrae huius* (Palaestinae) : — iam quid audituri et narraturi sint explicatur : *audient*, tam illi quam hi, *quia tu Iahve es in medio populi huius, ita ut oculo ad oculum conspiciaris tu Iahve, et quia nubes tua stat super illos, et quia in columna nubis incedis ante illos die et in columna ignis noctu.* Sequitur apodosis : v. 15 *et occides populum hunc quasi virum unum? ut dicant gentes, quae audierunt nomen tuum :* v. 16 *Non poterat etc.*

In extremo hoc gentis suae periculo assurgit Moyses plenus fidei in Deum et amoris in suos. Non est depressus animo, uti 12,3; non queritur de onere sibi uni imposito, uti 11,14; Dei conditionem v. 12, se ipsum faciendum esse in gentem magnam loco Israelis, uti Ex. 32,11 ignorat : unus universi populi causam sustinet, de Deo altissime sentiens. Argumentum Moysis simile est eius Ex. 32,12. Deus minas v. 12 pronuntiatas exsequi non potest, ob necessarias eius rei consequentias, quas belle introducit *Vulg.* vertens v. 13 primam copulam *ut* consecutivo. v. 13 « *Et ait Moyses ad Dominum : Ut audiant Aegyptii, de quorum medio eduxisti* » in virtute « *populum istum* », v. 14 « [*et*] *habitatores terrae huius*, [*qui*] *audierunt, quod tu, Domine, in populo isto sis, et facie videaris ad faciem, et nubes tua protegat illos, et in columna nubis praecedas eos per diem, et in columna ignis per noctem* »; v. 15 « *quod occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, et dicant* » : v. 16 « *Non poterat introducere populum* » *istum* « *in terram, pro qua iuraverat, idcirco occidit eos in solitudine* ». Portenta Aegypti ideo potissimum patraverat Iahve, ut scirent gentes *quia ipse Iahve :* at ludibrio esset Iahve inter gentes, si post tot portenta gentem destrueret, si *iuramentum* tot portentis firmatum pro conditionato haberet, si post tantam *virtutem* tantam proderet impotentiam. Cum igitur Deus nequeat minas v. 12 effectui mandare populumque delere, id unum restat ut alia ratione suum robur exserat v. 17 : « *Magnificetur ergo fortitudo Domini* », — אדני potest verti *Domini*, multis codicibus hebraeis substituentibus יהוה; sed potest etiam verti *domini mei* (cf. *LXX Syr.*) — « *sicut iurasti* » (*Hebr. dixisti*) « *dicens* » : v. 18 « *Dominus patiens et multae misericordiae, auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem* ». Omnino in hac rebellione debet *robur suum magnificare Deus*, eius argumenta edere : argumentum porro edat illud, ut infidelitate populi minime concussus promissis stet Ex. 34,6 sq., quae cum aliqua abbreviatione v. 18 verbotenus repetuntur. Est quippe etiam illud roboris signum, aliorum inconstantia a promissis non retrahi. v. 19 « *Dimitte, obsecro, peccatum populi huius secundum magnitudinem misericordiae tuae, sicut propitius fuisti egredientibus de Aegypto usque ad locum istum* ».

Argumentis cedit Iahve. v. 20 « *Dixitque Dominus : Dimisi iuxta verbum tuum* ». Petierat autem Moyses (*Est.*), non ut populus ab omni poena liber discederet, sed ne omnino deleretur; hinc illico adiicitur limitatio v. 21 : *Verumtamen* « *vivo ego et implebitur gloria Domini universa terra* », « quam certum est me vivere et gloriam

meam implere terram » (*Vat.*) — sequiturque ipsum divinum iuramentum : v. 22 « *Attamen omnes homines, qui viderunt maiestatem meam* », nunc (v. 10) et antea, « *et signa quae feci in Aegypto et in solitudine, et tentaverunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meae* », v. 23 « *non videbunt terram, pro qua iuravi patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam* ». Etiam secus *decem* scribitur pro numero indefinito (*Calm.*) : Gen. 31,7; Lev. 26,26; Iob 19,3; Eccle. 7,20. Ergo non est necessarium cum *Cai.* expiscari decem facta inde ab initio Exodi. v. 24 « *Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me* », — *Hebr. : implevit post me,* quod praedicatur de Caleb Deut. 1, 36; Ios. 14,8 sq. 14; de Caleb et Iosue Num. 32,12; dum 3 Reg. 11,6 Salomo dicitur non implevisse post Iahve, sicut David pater eius. Sensus expressionis est plene sequi Iahven, ei perfecte servire — « *inducam in terram hanc, quam circuivit, et semen eius possidebit eam* ». Duplex favor Calebo confertur : superstes erit; possidebunt ipse et posteri eum praecise regionis tractum, quem ipse lustraverat (Ios. 14,12). Hinc videtur confirmari, quod supra dicebamus estque de se perquam probabile, duodecim exploratores non una processisse, sed alios alias regionis partes lustrasse. v. 25 « [*Quoniam*] *Amalecites et Chananaeus habitant in vallibus* ». Haec sententia torsit interpretes. Si accipiatur ut sententia causalis (*quoniam*), non perspicitur cuius rei causam exprimat, praecedentium an sequentium. *Bonfr.* aliique iungunt sequentibus : quod illae gentes valles adiacentes obtinerent Deusque nondum in animo haberet, Hebraeis tam parum sibi fidentibus victoriam de illis largiri, benigne Deus monuit Hebraeos ut ad tempus recederent. Cui explicationi merito illud obiicitur, Chananaeis qui prope Cades Barnea versarentur, v. 25 attribui valles, v. 5 montes. Iunge intime versui 24. Caleb potietur terra quam lustravit, ergo certe Hebrone et montanis Iudae, tamen neque totis suis finibus Caleb superstite potietur tribus Iuda, sed Amalecitae et Chananaei aliquanto diutius retinebunt planitiem (Iud. 1,19), quae inter montana Iuda et Mare Mediterraneum interiacet. Ne in Calebi quidem diebus perfecta habebitur victoria. « *Cras movete castra et revertimini in solitudinem per viam Maris Rubri* ». דרך, *via* etiam significationem induit *directionis :* cf. Deut. 1,19; Ez. 8,5. Itineris, quod Hebraei tum prosequebantur, duae erant *viae* seu *directiones,* « via montis Amorrhaei » (Deut. 1,19) et « via Maris Suph » (h. l.). Illa hucusque incesserant Hebraei, iubentur iam pedem referre retro. Non iubentur ipsum litus Maris Rubri petere, licet fecerint etiam hoc aliquando Num. 33,35.

Dedimus eam v. 25ª expositionem, quae nobis videbatur probabilior; ceterum, si quis sententiam ut adiectitiam confodiat, non repugnamus. — Promissio haec semper (Deut. 1,36; Ios. 14) ad *solum Caleb* dirigitur. Sc. agitur de punienda rebellione *populi*. Moderatores populi Moyses, Aaron et Iosue (cf. 13,17), per se a poena hac eximuntur, cui Moyses et Aaron postmodum (20,24;27,13 sq.) ob deliquium serius admissum et ipsi subiiciuntur. At e *populo* exceptionem nactus est solus Caleb. Alia est ratio v. 38 : cum ibi non de populo, sed de duodecim *exploratoribus* ageretur, oportuit dici non solum Caleb, sed etiam Iosue esse servatum. Restat v. 30, ubi omnes quidem textus nomen Iosue adscribunt. Crediderim illud adscriptum esse a scriba aliquo, qui intuitu v. 38 censeret, nomen Iosue v. 30 omitti non debere : eiusmodi « pia » additamenta, temporibus etiam antiquissimis, textui accrevisse etiam aliis locis observatur.

Priora privato ad Moysen eloquio dixerat Deus. Nunc Moysi et Aaron, quorum duorum auctoritatem impetiverat populus, eloquium tradit populo communicandum de eadem re, aliqua penitius explicans. Et primum quidem, eloquii causa vel potius causis breviter v. 27 commemoratis, orditur v. 28 iuramento *vivo ego,* cui sigilli instar adscribitur formula hac primum vice recurrens נאם יהוה, *effatum Iahve;* claudit v. 35 altero sigillo *ego Iahve locutus sum,* addito altero iuramento *nisi ita fecero etc.* Est igitur documentum hoc maxime solemne, quod sc. populi electi per 38 annos fata sanciat. Poenam Iahve v. 28 infligit eam, ut, quod ipsi stulte expetiissent, id profecto nanciscantur (*Bonfr.*), alia utique quam expetiissent ratione. Limitatur poena v. 29 ad eos, qui 20ᵘᵐ annum excesserint. Liberis v. 31 sqq. promittitur ingressus in terram promissam, quo simul implebitur id, quod v. 20 Deus Moysi promiserat. Tempus v. 34 ad 40 annos limitatur.

v. 26 « *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron dicens* » : v. 27 « *Usquequo multitudo haec pessima murmurat contra me? Querelas filiorum Israel audivi* ». *Hebr.* : *murmurationes, quas murmurant contra me.* Verba suggerunt, poenam infligi non pro una hac rebellione, sed simul pro prioribus, infligi poenam illam Ex. 32,34 conditionate praemonstratam. Ergo melius contra *LXX Vulg. Syr.* v. 33 pluralem *fornicationes* verte (*Bonfr.*). v. 28 « *Dic ergo eis : Vivo ego, ait Dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis* ». v. 29 « *In solitudine hac iacebunt cadavera vestra. Omnes, qui numerati estis a viginti annis et supra et murmurastis contra me* », — pro ultimo *et* habet *Hebr. qui* : nulli relinquuntur in populo adulti, qui non murmuraverint — v. 30 « *non intrabitis terram, super quam levavi manum meam* », *Chald. iuravi,* « *ut habitare vos facerem, praeter Caleb, filium Iephone, et Iosue, filium Nun* ». v. 31 « *Parvulos autem vestros, de quibus dixistis, quod praedae* [*hostibus*] *forent, introducam; ut videant terram, quae vobis displicuit* ». Non sequitur e

generali hac assertione, nullos integris 38 annis mortuos esse parvulos (cf. 16,27) : tamen specialis gratia robustae sanitatis parvulis universim promitti videtur. Qui tum 20um annum paulo excesserant, omnes morituri erant ante expletum annum 60um : ea certe erat extraordinaria mortalitas, eo imprimis aevo, quo senes octoginta et etiam centum annorum non videntur fuisse rari. Ubi primum gens, quae in Aegypto fixas sedes habuisset, condemnabatur sub coelo deserti 40 annis vagam vitam ducere, exspectanda fortasse erat etiam secundum naturae leges maior aliqua mortalitas : at mortalitas universalis, qualis h. l. describitur, utique erat inauditum quid. v. 32 « *Vestra cadavera iacebunt in solitudine* » *hac :* non revertemini (v. 4) in Aegyptum. v. 33 « *Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta* », inde ab exodo numerandis (Deut. 2,14), « *et portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto* ». *Hebr. Sam. LXX Syr.* רעים, *pascentes*, pastorum vitam agentes. An *Vulg.* et *Ps. Ion. vagi* sit liberior versio tantum, an fluxerit e lectione נעים vel תעים non liquet; cf. *Chald. morantes.* Licuit omnino effectum vertere pro causa. v. 34 « *Iuxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram, annus pro anno imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras et scietis ultionem meam* ». Cf. Ps. 94 (95), 10; Ez. 4,6. v. 35 « confirmatio est definitivae sententiae, epilogans auctoritatem iudicis, malitiam populi, speciem delicti, et locum ac speciem poenae » (*Cai.*) : « *Quoniam sicut locutus sum* » (v. s.), « *ita faciam omni multitudini huic pessimae, quae consurrexit adversum me* » : — *coniuravit :* ludit in עדה et נועדים, vocibus ab eadem radice derivatis — « *in solitudine hac deficiet et morietur* ».

Poenam universo populo indictam factis esse impletam, sequens pandit narratio : v. 36-38 *exploratorum* poenam recenset. Ii brevi interierunt plaga aliqua (מגפה cf. Ex. 9,14) *coram Iahve* inflicta, ergo sane morte subita ante absolutam v. 10 apparitionem. v. 36 « *Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram, et qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terrae quod esset mala* », v. 37 « *mortui sunt atque percussi in conspectu Domini* ». v. 38 « *Iosue autem, filius Nun, et Caleb, filius Iephone, vixerunt ex omnibus, qui perrexerant ad considerandam terram* ». Effectus etiam, quem hi eventus in populo habuere, recensetur v. 39 : « *Locutusque est Moyses universa verba haec ad omnes filios Israel, et luxit populus nimis* ».

Qui v. 39 primum *filii Israel* audiunt, statim eodem versu vocantur *populus.* Sed an plane iidem h. l. sunt *filii Israel* atque *populus?* Divinum v. 26 sqq. alloquium

Moyses utique omnibus tredecim tribubus, i. e. *omnibus filiis Israel* enarravit. Num vero omnes ex aequo tredecim tribus in illam rebellionem conspiraverant? Levitarum nullus exploratoribus accensitus est. Erant levitis rationes gravissimae, cur eam rebellionem aversarentur. Illos Moyses ad insignem prae ceteris tribubus honorem evexerat, a tributis etc. exemerat : putasne, eos facile accessuros fuisse consiliis eorum, qui v. 4 dicebant : Constituamus nobis ducem et revertamur in Aegyptum? Equidem crediderim viros districtis gladiis (Ex. 32,27) tabernaculum Moysenque sepsisse. Eleazar certe non est mortuus in deserto. Morti a Iahve addicuntur v. 29 ii soli, qui *numerati* fuerant : levitae autem non fuerant numerati. *Populum* igitur v. 39 sqq. intelligo duodecim tribus, exceptis levitis, *filios Israel* omnes tredecim tribus.

II. CLADES REBELLIONEM SECUTA NUM. 14,40-45.

Arg. — Populus facti poenitens putavit se posse, ignorato ingrato Dei v. 25 edicto, suis rebus mederi, dummodo quod ante declinaverat bellum, illud nunc sponte aggrederetur. Verum sine Iahve ad proelium progressi misere funduntur.

v. 40 « *Et ecce primo mane surgentes ascenderunt verticem montis atque dixerunt : Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est; quia peccavimus* ». v. 41 « *Quibus Moyses : Cur, inquit, transgredimini verbum Domini* » (cf. 22,18; 24,13), « *quod vobis non cedet in prosperum?* » v. 42 « *Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum* », — *Hebr. : in medio vestri* — « *ne corruatis coram inimicis vestris* ». Cf. Deut. 1,41 sqq. v. 43 *Etenim* « *Amalecites et Chananaeus ante vos sunt* », et Deus, cuius os praetergredimini (v. 41), erit contra vos, « *quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino; nec erit Dominus vobiscum* ». v. 44 « *At illi contenebrati* » — pro עפל ex Hab. 2,4 probabilis fit significatio *tumens;* videtur h. l. verbum correspondere aut voci הזיד *intumuit, superbe egit* Deut. 1,43, aut voci תהינו *flocci facere* Deut. 1,41 — « *ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini et Moyses non recesserunt de castris* ». v. 45 « *Descenditque Amalecites et Chananaeus, qui habitabat in monte, et percutiens eos atque concidens persecutus est eos usque Horma* », proleptice hoc nomine appellatam (21,3), nam antea vocabatur Sephaath (Iud. 1,17). Cf. quae dicebamus ib.; situs urbis incertior. Addunt *Sam. LXX : et reversi sunt in castra.*

Primum v. 40 Hebraei narrantur *ascendisse*, postea, quae ante eum ascensum inter ipsos et Moysen acta fuere, referuntur, hebraei sc. narratores quandoque summam eventus enuntiant primum, deinde totam rem enarrant ab ovo. Intendunt igitur Hebraei illi *ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est,* i. e. in Chanaanitiden, in quam semper *ascendunt* venientes ex Aegypto seu via Maris Suph; qui au-

tem his ascendentibus occurrunt, v. 45 *descendunt*. Amalecites et Chananaeus *habitantes in monte* v. 45 evidenter non sunt iidem atque v. 25 Amalecitae et Chananaei *habitantes in valle*, aut 13,30 Amalecita *habitans in Negeb*. Memento, hebraeorum virorum armatorum plures sexcentis millibus, consilio subigendae Chanaanitidis, amplius quadraginta diebus in deserto Pharan consedisse. Putasne Amalecitas Negeb, quorum res in proximum discrimen vocabantur, nihil omnino egisse? Miserunt nuntios ad *Chananaeos habitantes in monte*, armis et curribus praepotentes, ad quos solos, non ad Amalecitas illud היֹשֵׁב v. 45 refertur. Putavere Hebraei illi sibi cum solis Amalecitis rem esse, quibus se praevalituros esse confidebant, et en obvios habent cum Amalecitis Chananaeos. Fregit hoc eorum recens natam audaciam. Verum nobis superest explicandum, quis sit ille *montis vertex* v. 40. 44, qui Deut. 1,41. 43 simpliciter scribitur *mons*. Vix puto aliquem e monticulis pagi Negeb hoc nomine designari. Et si eiusmodi cuiusdam monticuli verticem conscendere Hebraei, quomodo scribuntur in eodem vertice Amalecitae in illos *descendisse? Mons* ille sunt ipsa montana Iudaeae, ubi Hebron etc., quorum *verticem* de longinquo Hebraei e castris prospiciebant atque nunc ipsum conscendere agressi sunt; ibi montes et valles plurimae, ut facile potuerint hostes in illos descendere. Quorsum porro in eos montes Hebraei penetraverint, quorumdam ad Num. 33 afferemus coniecturas.

III. LEGES POST SEDITIONEM LATAE ETC., NUM. 15.

Num. 15 habet duo divina eloquia v. 1-15 (16) et v. 16 (17)-31 de sacrificiis, primitiis etc., factumque v. 32-36 viri colligentis ligna die sabbati, cum annexa lege v. 37-41 de fimbriis palliis adhibendis. Ratio, cur h. l. haec adscribantur, ea profecto esse videtur, quod promulgata et acta sint inter ea, quae cap. 14 et quae cap. 16 narrantur. Etenim reliquam item narrationem temporum rationem sequi comperimus.

Eloquia illa v. 1-31 sunt de rebus v. 2. 18 *post ingressum terrae promissae* observandis. Admirationem facit eiusmodi leges ferri immediate post editum divinum decretum eum ingressum ad annum 38[um] postponens. Tamen res alio etiam modo concipi potest. Credi potest fuisse apud Hebraeos mos antiquitus receptus, ut holocausta et pacifica omnia suam annexam haberent mincham. Habentur praeterea Ex. 29,40; Lev. 7,12 vestigia aliqua, eum morem approbante Iahve in deserto etiam quadamtenus esse observatum. At ubi ad 38 annorum commorationem in deserto frumenti vitiumque avaro condemnabantur Hebraei, censuit Deus eius moris ad illud tempus concedendam

esse *dispensationem*. At quomodo concedenda ea dispensatio? In Exodo et Levitico cernebamus antiquarum legum textum, quantum fieri poterat, intactum esse servatum, earum nullam explicite esse revocatam : id etiam h. l. factum est. Praefixis vocibus « Cum ingressi fueritis etc. », lex antiqua pro tempore futuro sanciebatur, pro tempore praesente tacite *suspendebatur*.

Cui explicationi illud opponi potest, legi v. 17-21 de primitiis statutae individue adscribi aliam v. 22-31 de luendis peccatis ex ignorantia aut e malitia commissis; hanc autem etiam in deserto fuisse observandam patere cum e natura rei et e Lev. 4, tum e facto v. 32-36, quo lex v. 22-31 etiam in deserto observata esse demonstretur.

Ad quae responderi potest, factum v. 32-36 non esse confirmationem totius legis v. 22-31 de luendis peccatis ignorantiae editae, sed solius eius appendicis v. 30 sq., qui est de peccatis e malitia commissis. Eiusmodi quippe peccatum fuere ligna sabbato collecta. Neque eam appendicem habuisse tum vim legis, indubie demonstrat illud factum. Etenim v. 34 dicuntur Israelitae « nescivisse », quid faciendum esset de homine, qui sciens et e malitia sabbatum laesisset : atqui, si vim legis tum habebat illa appendix, non erat dubio locus, secundum v. 30 morte civili mulctandus erat ille vir. Suggeres, etiamsi tum v. 30 vim legis haberet, potuisse Hebraeos ambigere in ea re atque de ea divinum requirere oraculum, quod ageretur de malitiose violata lege omnium sanctissima, lege sabbati, videreturque poenae etiam severiori esse locus. Et reapse v. 35 Deus poenam non mortis civilis, sed mortis corporalis infligit. Urget *Smith* p. 414 sq. ideo v. 32 dici rem factam esse « in deserto », quod, cum lex v. 22-31 lata fuerit pro terra sancta tantum, dubitaretur quid agendum esset in transgressione in deserto commissa. De ea expressione v. infra. Sed dubitare non licet, omnium tum Hebraeorum opinione legem sabbati fuisse in deserto etiam stricte servandam, neque formula v. 18 fuisse suspensam.

Mihi profecto omnino videtur factum v. 32-36 adscribi tamquam confirmationem aliquam praecedentis legis v. 30 sq.; legem de luendis peccatis ignorantiae non fuisse in deserto abrogandam, infero cum e natura rei tum e Lev. 4, neque ulla erat ratio peccatorum e malitia commissorum lenius habendorum in deserto quam postea. Censeo, legem v. 22-31 iam in deserto, leges v. 1-15 et v. 16-21 nonnisi in terra sancta fuisse observandas. Verba v. 18 « Cum veneritis etc. » immediate respiciunt legem v. 19-21, non vero respiciunt legem v. 22-31. Exinde, quod ea verba initio v. 22 non repetantur, neque fas est concludere legem v. 22-31 pro deserto etiam valuisse, neque fas

est concludere eam pro deserto non valuisse, sed pro terra promissa tantum. Textus rem non dirimit. Dices : ergo ignorabant in deserto Hebraei, eamne legem in deserto observare tenerentur. Ignorabant solo spectato legis textu : sed habebant Moysen vivum legum interpretem. Eum autem, seu Deum per illum, omnino voluisse legem illam in deserto etiam servari, certum est. Legis Lev. 4 revocandae nulla erat ratio. Erat autem post seditionem cap. 13 sq. specialis ratio decernendae appendicis v. 30 sq. Commiserant in ea seditione plures, imprimis exploratores decem, ea peccata, quae deliberate et e malitia patrata esse evidens erat. Hi quidem divino portento e vivis fuerant sublati. Requirebatur autem omnino complementum aliquod legis Lev. 4, quo in posterum eiusmodi facinora lege etiam plecterentur. Non cogeris igitur supponere, ante v. 22 excidisse verba « Et locutus est Dominus ad Moysen ».

Tria eloquia v. 1-15. 16-31. 37-44 traduntur Moysi communicanda cum *filiis Israel*. Tam eloquium v. 1-15 quam eloquium v. 16-31 pronuntiatur esse תורה v. 15. 29, clauditurque formula « lex una erit tam indigenae quam advenae ». Post quam formulam appendicis instar eloquio alteri adscribitur v. 30 sq. Aliis consuetis clausulis haec eloquia carent, dum parva lex v. 37-41 obsignatur v. 41 clausula « Ego Iahve etc. », quae clausula simul totum cap. 15 veluti unum quid absolvit. Leges v. 1-15 et 16-21, quae leges Lev. 4 et Ex. 22,29; 23,19; 34,26 mutant et complent, contra quorumdam sententiam (CEL p. 21) rursum demonstrant, etiam in deserto et ante terrae sanctae ingressum Hebraeos sacrificia obtulisse.

1. *Lex de minchis cum victimis offerendis Num.* 15,1-15 (16).

Arg. — Post terrae sanctae ingressum, quando pecora pro holocaustis vel pacificis immolantur, addatur mincha similae cum oleo et vino, diversae pro diversis victimis mensurae.

Mincha haec non addebatur holocaustis avium Lev. 1,14 sqq., quae certe reputabantur minus solemnia; neque victimis pro peccato et pro delicto. Mensura autem similae, olei, vini erat haec :

pro agno vel hoedo (v. 12)	:	1/10 ephi, 1/4 hin, 1/4 hin,
pro ariete	:	2/10 ephi, 1/3 hin, 1/3 hin,
pro bove	:	3/10 ephi, 1/2 hin, 1/2 hin,

seu, cum ephi aequet sex hin,

pro agno vel hoedo	:	3/5 + 1/4 + 1/4 = lit. 3.88 + 1.62 + 1.62,
pro ariete	:	6/5 + 1/3 + 1/3 = lit. 7.76 + 2.16 + 2.16,
pro bove	:	9/5 + 1/2 + 1/2 = lit. 11.64 + 3.24 + 3.24.

Ergo proportio similae ad liquida erat 6 : 5,9 : 5,9 : 5. Habebatur massa crassa, liquida, ex qua haud poterat sacerdos « tollere pugillum » (Lev. 2,2). Sc. mincha Lev. 2 offerebatur seorsim tamquam « panis Dei », erat farina vel pistum oleo leviter conspersum; mincha vero, quae victimam comitabatur, potius habebat rationem condimenti alicuius.

Lex haec supponit leges Lev. 1.3. Cum v. 3 מן הבקר או מן הצאן cf. Lev. 1,2; cum v. 3 ריח ניחח ליהוה (item v. 7.10 et — v. 4 brevius ליהוה) cf. Lev. 1,9.13.17 etc. Differt vero nostra lex ab illis legibus eo, quod illae a maxima ad minores victimas descendant, haec a minimis ad maiores ascendat. v. 2 sq. est introductio, v. 4 sq. agit de agnis, v. 6 sq. de arietibus, v. 8-10 de bobus, v. 11-15 est clausula generalis inculcans hanc legem esse perpetuo valituram tam pro indigenis quam pro peregrinis.

Cap. XV v. 1 « *Locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Loquere ad filios Israel et dices ad eos : Cum ingressi fueritis terram habitationis vestrae, quam ego dabo vobis* », — cf. Ex. 12,25 (24); Lev. 14,34; 19,23; 23,10; 25,2 — v. 3 « *et feceritis oblationem Domino* », seu verius *combustionem*, cuius duo recensentur genera : « *in holocaustum aut victimam* », זבח mactationem pacificorum (cf. CEL p. 372). Harum porro mactationum duae rursus species distinguuntur, mactationes privatae et publicae : « *vota solventes vel sponte offerentes munera* » (cf. Lev. 22, 18. 21; 23,38), « *aut in solemnitatibus vestris* » (Lev. 23,2) « *adolentes odorem suavitatis Domino de bobus sive de ovibus* » : — has quippe solas victimas sequens lex spectat.

Sequitur de agnis : v. 4 « *offeret, quicunque immolaverit victimam, sacrificium* » — *Hebr. mincham Domino* — « *similae, decimam partem ephi, conspersae oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin* », v. 5 « *et vinum ad liba* [*fundenda*] *eiusdem mensurae dabit in holocaustum sive in victimam per agnos singulos* ». Quod Ex. 29,40 pro agnis quotidianis statuebatur, id iam ad omnes agnos extenditur.

v. 6 « *Et* » *quoad* « *arietes erit sacrificium similae duarum decimarum, quae conspersa sit oleo tertiae partis hin* », v. 7 « *et vinum ad libamentum tertiae partis eiusdem mensurae offeret in odorem suavitatis Domino* ».

v. 8 « *Quando vero de bobus feceris holocaustum aut hostiam, ut impleas votum vel pacificas victimas* », — « sponte oblata » (v. 3) h. l. includuntur voce *pacifica*, pertinebant quippe eorum certe pleraque ad pacifica — v. 9 « *dabis per singulos boves similae tres decimas conspersae oleo, quod habeat medium mensurae hin* », v. 10 « *et vinum ad liba* [*fundenda*] *eiusdem mensurae in oblationem suavissimi odoris Domino* ».

Clausula. v. 11 « *Sic facies* » v. 12 « *per singulos boves et arietes et*

agnos et hoedos ». Monebat *Cai.* textum *Vulg.* in sequentibus plura omittere; h. l. excidit integer versus priora explicans : *secundum numerum* victimarum, *quas offeretis, ita facietis singulis secundum numerum earum.* v. 13 « *Tam indigenae quam peregrini* » v. 14 « *eodem ritu offerent sacrificia* ». *Hebr.* effert *peregrinum, qui peregrinatus fuerit vobiscum* (*LXX in terra vestra*), et peregrinum, *qui fuerit in medio vestri* permanenter, et clarius exprimit, peregrinis etiam licitum fuisse victimas offerre Iahve. Post quae habet versum, quem ignorat *Vulg.*, quique idem quod v. 15 distinctius effert: *Ecclesia — lex una erit vobis et peregrino peregrinanti apud vos, lex perpetua in generationibus vestris : sicut vos, ita peregrinus erit coram Iahve.* v. 15 « *Unum praeceptum erit atque iudicium* » *unum* « *tam vobis quam advenis terrae* ».

Sententia, quam inter v. 14 et 15 habet Hebr., esset omnino plana, nisi praefixam haberet vocem הקהל. Quam *Cai.* ad priora trahit : sed praecedentis verbi יעשה subiectum evidenter non est ecclesia, sed peregrinus. *LXX* legebant הקהל ליהוה, ergo fere : *ecclesia* solius *Iahve erit*, seu potius solorum indigenarum Israelitarum; sed *lex etc.* Dure Iahve scribitur pro Israelitis; desideratur copula adversativa; illud *Iahve* soli norunt LXX. Trahendum igitur הקהל cum *Masor. Sam. Chald.* ad sequentia. Quae v. 13 sq. quoad sacrificia statuebatur peregrinorum cum indigenis aequalitas, ea iam ad totam civilem consuetudinem extenditur : lex erit una etiam quoad ecclesiam. Ita tollitur apparens ille pleonasmus, quem apud Hebr. videntur habere v. 14 sqq.

2. *Lex de primitiis alicae offerendis Num.* 15,16 (17)-21.

Arg. — Post terrae sanctae ingressum, uti frugum, ita alicae offerendae primitiae, placenta una.

v. 16 « *Locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 17 « *Loquere filiis Israel et dices ad eos* » : v. 18 « *Cum veneritis in terram, quam dabo vobis* », v. 19 « *et comederitis de panibus regionis* [*illius*], *separabitis primitias Domino* ». Sed *Hebr.* h. l. non habet *primitias*, sed : *elevabitis elevationem Iahve,* תרומה cf. Lev. 7,32. v. 20 « *De cibis vestris sicut de areis primitias separatis* », v. 21 « *ita et de pulmentis dabitis primitiva Domino* ». Sed haec minus accurata : *Primitias alicae vestrae placentam* (Lev. 2,4) *elevabitis elevationem; sicut elevationem areae, sic elevabitis ipsam. De primitiis alicae vestrae offeretis Iahve elevationem in generationibus vestris.* Lex haec ab ingressu terrae sanctae perpetuo valebit : offerantur primitiae alicae, uti offeruntur primitiae areae seu granorum in area excutiendorum.

עריסה habes etiam Ez. 44,30; 2 Esdr. 10,38. *LXX* φυράματος, ergo massa farinacea. *Chald. Syr.* vertunt *mactram*, in qua sc. massa pinsitur. *Alica* est farina

grossior. Ez. 44,30: Primitiae primogenitorum omnium et omnis elevationis omnium elevationum vestrarum sacerdotum erunt; et primitias alicae vestrae dabitis sacerdoti, ut requiescat benedictio super domum tuam.

3. *Lex de reddendis pro peccato Num.* 15,22-31.

Arg. — Pro peccato *ignoranter* commisso *a populo* offerendus praescribitur bos in holocaustum cum mincha et libamento, et hircus pro peccato. Ita simul mincha determinatur, de qua Lev. 4 silebat, et poena ib. v. 13 sqq. statuta augetur, cum duae victimae in locum unius succedant, victima vero pro peccato, accedente bovis holocausto, minuatur, pro bove hircus. — Pro peccato *ignoranter* commisso *ab individuo* victima eadem manet, quae Lev. 4,27 sqq. assignabatur, neque mentio habetur minchae. Eadem item sine dubio manebat victima Lev. 4,3 sqq. 22 sqq. pro peccato pontificis vel principis statuta. — Pro peccato vero *ab individuo* non ignoranter sed *e malitia* patrato legi adscribitur v. 30 sq. poena mortis civilis. Pro eiusmodi peccato *ab universo populo* committendo explicite poenam non statuit Deus, ob priores promissiones non poterat totum populum plectere morte neque civili neque corporali : poenam sibi reservat Deus pro singulis casibus statuendam, uti fecit v. g. in exsilio babylonico.

Haec igitur lex legem Lev. 4 complet. Non totam illam repetit, omittit ea quae solos pontificem et principes spectabant; illud de peccato individui repetit ideo fortasse, ne populares in opinionem inciderent suis etiam pro peccato victimis adhibendam esse mincham. Verum post tot *totius populi* rebelliones severiori poena peccata ab universo populo commissa plectit. Apte utique hoc praecise tempore haec lex severior lata est. Praeterea thorae (v. 29) absolutae adscribitur v. 30 sq. aliquid omnino novum, poena peccati *malitiose* commissi. Ubi recolas, quae CEL p. 377 dicebamus de peccato ignoranter aut malitiose commisso : ignorantia praesumebatur, quoad de malitia iuridice constaret. Verum, poteratne ignorantiam praetendere ille vir, qui toto populo sabbatizante exibat ad colligenda ligna? vel ii, qui contra Moysen tot portentis et revelationibus a Deo commendatum duces exsistebant rebellionum? Convenienter igitur hoc item tempore poena ferebatur in peccata e malitia perpetrata, ne nulla certa statuta poena illa invalescerent.

v. 22 sq. statum quaestionis universim explicat orditurque a וְכִי. Sequuntur duo membra (אִם), de peccato ignoranter v. 24-26 a populo, v. 27 sq. ab uno aliquo commisso. v. 29 haec thora affirmatur valere tam pro indigenis quam pro pere-

grinis (cf. v. 26). Tandem adscribitur v. 30 sq. de peccato malitiose commisso.
Quam affinis ipse textus sit textui Lev. 4, sequentia demonstrant. v. 23 idem repetit, quod v. 22 enuntiabat, et uterque versus idem est cum Lev. 4,2. — v. 24 *Si de coram (Syr.) oculis conventus fiat ignoranter* est constructio durior, מעיני secus (Lev. 4,13; Num. 5,13; Iob 28,21) solum verbo נעלם iunctum reperitur. Constructio orta esse videtur contractione eius, quae Lev. 4,13 habetur : *Si omnis conventus Israel ignorantia deliquit, et res latuerit ab oculis ecclesiae.* — Ad v. 24 *offeret omnis conventus vitulum masculum unum* cf. Lev. 4,14[b]. *In odorem etc.* habetur Lev. 4,31 et, quoad sensum, merito suppletur 4,19. — v. 25[a] (cf. v. 26[a]) = Lev. 4,20[b]. — v. 27[a] = Lev. 4,27[a]. — v. 27[b] = Lev. 4,28[b] : pro *immaculatam* nunc scribitur *anniculam*, quae minime pugnant inter se. — v. 28 = Lev. 4,23[b].

v. 22 « *Quodsi per ignorantiam praeterieritis quidquam horum, quae locutus est Dominus ad Moysen* » v. 23 « *et mandavit per eum ad vos, a die qua coepit iubere et ultra* », *per generationes vestras* (cf. v. 21), — refertur id ad verbum *praeterieritis :* lex est perpetuo valitura v. 24 « *oblitaque fuerit facere multitudo : offeret vitulum de armento holocaustum in odorem suavissimum Domino, et sacrificium eius ac liba, ut ceremoniae postulant* », — *uti statutum est,* cf. v. 9 sq. — « *hircumque pro peccato* ». Victima pro peccato *minor,* ubi accedit holocaustum, etiam Lev. 9,3 praescribitur. *Duas* pro luendo peccato victimas, quarum secunda ut holocaustum offeratur, habes etiam Lev. 5,7 sqq. : an noster textus exigat, ut holocaustum praemitteretur sacrificio pro peccato, disquisiere plures, quos vide ap. Dillm. Minime dubito, religiosiores Hebraeos mox reputasse, se nostro textu adigi ad holocaustum illud sacrificio pro peccato praemittendum. v. 25 « *Et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel, et dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt,* [*nihilominus*] *offerentes incensum* » — *combustionem* — « *Domino pro se et pro peccato atque errore suo* ». v. 26 « *Et dimittetur universae plebi filiorum Israel et advenis, qui peregrinantur inter eos ; quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam* ».

Antiquiores interpretes leviter tantummodo attigere quaestionem, quomodo haec statuta se habeant ad Lev. 4. Gratuito censebat *Cai.*, nostram legem ferri in peccata contra ius divinum positivum, priorem in peccata contra ius naturale. *Bonfr.* autumat Lev. 4 reticeri holocaustum, quod illud caput non sit de holocaustis, et solam afferri victimam pro peccato : at non explicat, cur h. l. vitulo pro peccato substituatur hircus. Plures cum *Tost.* utramque legem confundunt : aiunt pro peccato populi offerendum fuisse primum vitulum in holocaustum, dein alterum vitulum et hircum pro peccato. Recentiores has duas leges invicem contradicere lubentissimi concedunt. *Dillm.* nostram legem pronuntiat esse antiquiorem illa Lev. 4.

v. 27 « *Quodsi anima una nesciens peccaverit, offeret capram an-*

niculam pro peccato suo », v. 28 « *et deprecabitur pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino, impetrabitque ei veniam et dimittetur illi* ». v. 29 « *Tam indigenis quam advenis una lex erit omnium, qui peccaverint ignorantes* ».

v. 22-29 agi de peccato *ignorantiae* inculcatur v. 22. 24. 25 bis. 26. 27. 28 bis. 29, utique in oppositione ad v. 30 sq., ubi pluribus exaggeratur foeditas peccati *malitiose* commissi. v. 24-26 habetur quater עדה et semel עם, in oppositione ad v. 27 נפש אחת. Ita argumenti summa facile oculos percellit.

v. 30 « *Anima vero, quae per superbiam aliquid commiserit* », — *Hebr. : in manu excelsa*, renuens subiici legi, « tamquam operatio eius sit tam excelsa, quod non subiiciatur statutis legis » (*Cai.*) — « *sive civis sit ille sive peregrinus, quoniam adversus Dominum rebellis fuit* », — *Hebr. Iahven ipse blasphemavit* — « *peribit de populo suo* », morietur morte civili. v. 31 « *Verbum enim Domini contempsit et praeceptum illius fecit irritum : idcirco* » certissime « *delebitur* » *anima illa*, « *et portabit iniquitatem suam* ». *Hebr. : iniquitas eius super eum* maneat, nullo oblato sacrificio tolli potest (*Aug.*).

4. *Sabbati neglecti poena Num.* 15,32-36.

Quando et ubi haec acta sunt? *Cum essent filii Israel in deserto.* Quod explicat *Philo* (De vita Moysis III. 27; M. 167) : « cum aliqui extra » castrorum « portas progressi essent in desertum ». Tamen non de « aliquibus » textus agit, sed de « filiis Israel « universim. E voce *in deserto* inferebat *Cai.*, rem actam esse in Cades Barnea. Alias narrator noster, dum ordini eventuum historico adhaeret, eventuum loca *accuratius* describere consuevit (cf. 1,1. 19; 3,14; 9,1; 10,12 etc.) : ergo hic e loco *obiter* tantum descripto fortasse inferre licebit, rem narrari ordine non stricte historico (*Calm.*), factum hic inseri ob affinitatem cum lege v. 30 sq. Neque tamen crediderim (*Calm.*), legem natam esse occasione eius facti, cum lex neque sabbati neque extremi supplicii mentionem habeat. Dicitur res acta esse *in deserto*, ergo post sententiam 14,29 Hebraeos in desertum relegantem, et ante Hebraeorum in terram promissam ingressum.

v. 32 « *Factum est autem, cum essent filii Israel in solitudine, et invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati* », v. 33 « *obtulerunt eum Moysi et Aaron et universae multitudini* ». v. 34 « *Qui recluserunt eum in carcerem* », primo quod extremum supplicium non

esset sabbato sumendum (*Bonfr.*), sed potissimum « *nescientes, quid super eo facere deberent* ». At, nonne Ex. 31,14 in illud scelus statuta fuerat poena mortis? Suggerit igitur *Philo* (l. c. M. 168), ancipites illos haesisse, quo praecise supplicio ille esset plectendus; *Cai.*, an collectorum aliquorum lignorum materia reapse esset gravis. Adverte, haberi de eadem re expressionem vix non eandem Lev. 24,12 : לפרש להם על פי יהוה, *ad clare indicandum ipsis per os Iahve*, h. l. כי לא פרש מה יעשה לו, *quia non clare indicatum fuerat, quid faciendum esset ipsi*. Suis iudiciis in rebus gravioris momenti non fidebant, sed divinum oraculum consulebant, quo certius omnes quid agendum esset perspicerent. Praeterea post decretum Ex. 31, 14 solo divino oraculo venia reo concedi poterat. v. 35 « *Dixitque Dominus ad Moysen : Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra* ». v. 36 « *Cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus et mortuus est, sicut praeceperat Dominus* ».

5. *Lex de fimbriis in palliis gestandis Num.* 15,37-41.

Arg. — Ne divina mandata, imprimis lex sabbati, facilius negligantur, iubentur Hebraei caerulea fila in oris palliorum gestare, quorum aspectu mandatorum commonefiant.

Deut. 22,12 una voce גדלים illud exprimitur, quod h. l. duabus vocibus ציצת et פתיל describitur. גדלים (cf. 3 Reg. 7,17) videtur esse aliquid *contortum* ad instar catenae : *Vulg. funiculi*, *LXX* στρεπτά. ציצת *Vulg.* vertit *fimbrias*, *LXX* κράσπεδα i. e. *oram* (vestimenti), quacum graeca voce consonat *Chald.* כרוספדין. Vox item habetur Ez. 8,3, ubi *Vulg. cincinnus*, *LXX* κορυφῆς, *Chald. capilli*, *Syr.* עדקא *filum* (cf. Chald. Ez. 27,19). Videntur sane versiones tentantes procedere. פתיל ex Iud. 16,9 est *tenuis funiculus* seu *filum*. Haec fila v. 38 sunt hyacinthina, non vero illud ציצת; non sunt eiusdem pars aliqua, sed illi *imponuntur*. Aliqui igitur intelligunt *cirros* (houppe, tassel, Quaste), quos eiusdem cum filis coloris fuisse exspectaveris. Si adhaereas versioni LXX h. l., habebis ipsius vestis *oram* seu limbum retortum (bord, hem, Saum), cui illa fila adaptabantur. *Sam.* v. 38 primum scribit ציציות, qui est pluralis vocis ציצה *flos* (Is. 28,4); quae lectio si v. 38 sq. pro genuina sufficiatur, habebitur flos e quo illa fila protrudantur, ergo rursum *cirrus*. — Quos e monumentis Persarum *E. Riehm* (Handwörterbuch des bibl. Altertums, 2. Aufl. I. 898, Bielefeld u. Leipzig 1893) cirros comparat, ii longius petuntur, quam ut nostro textui lucem afferant.

v. 37 « *Dixit quoque Dominus ad Moysen* » : v. 38 « *Loquere filiis Israel et dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas* ». Is color praecipitur, non ut eis in memoriam revocet coelum, unde mandata prodiere (*Bonfr.*),

sed quod is plurimum sacris vestibus adhibeatur (Ex. 25,4 et passim) ideoque sit quodammodo *sacer;* praeterea quod, cum pretiosior sit, supponatur a colore vestium esse *diversus,* ideoque facilius attentionem contuentis perculsurus. v. 39 « *Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas et oculos per res varias fornicantes* »; v. 40 « *sed magis memores praeceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo* ». En, quam constanter *sanctitas* inculcatur! v. 41 « *Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti, ut essem Deus vester* ».

D. De deserto Pharan in Cades Num. 16,1-20,13.

Non habetur formula « Profectique filii Israel etc. », nos docens statim Hebraeos castra in deserto Pharan, ubi cap. 13 sq. acta fuerant, reliquisse; 20,1 narrantur advenisse in Cades. Crediderim equidem, Moysen divino mandato 14,25 obsequentem *illico* versus Mare Suph retulisse pedem, cum quod explicitum esset illud mandatum, tum quod illud nullo alio tempore securius exsecutioni daretur, quam quo recens in hominum mentibus esset memoria eventuum cap. 14 narratorum. Suscepere igitur Hebraei peregrinationem illam, qua per varias stationes pervenere in Asiongaber (Num. 33,35) atque inde pedem referentes tandem Cadesam delati sunt. Cf. tamen dicenda ad Num. 33. Specie tenus erant difficultates compositae, Moysis auctoritas firmiter stabilita; sed latebat sub cineribus ignis. Ab ipso limine terrae fluentis lacte et melle, cuius excellentes fructus oculis conspexerant coram, reiiciebantur in desertum. Post duram peregrinationem non plane 18 mensium, manebat eos durior 38 annorum peregrinatio. Neque peregrinatio tantum, sed omnium paucis exceptis luctuosa mors. Eius sententiae Moysen non ministrum tantum habebant, sed imo auctorem (cf. 16,13 sq.; 17,12 sq. et *Ios.* Ant. IV. 4. 1.). Non potuerat, qui tantum apud Iahven valebat, hanc exitialem poenam ab eorum devotis capitibus sua intercessione avertere? Potuisse non ambigebant; sed noluisse senem supremae auctoritatis mordicus tenacem, obloquii impatientem. Hinc ipse propheta illis iam factus est invisus, exosus; liberatoris auctoritatem aversabantur. Minime abdicaverant inanem 14,4 spem, alio duce, alio propheta effici posse, ut omnia sibi prospere cederent. Invidiae socius Aaron, qui individuus Moysis in actis cap. 13 sq. socius fuerat. Hinc ortae mox seditiones, prima illa quam Core suscitavit, altera postridie 16,41 sqq., tandem fatalis illa ad Aquas Contradictionis.

I. SEDITIO CORE NUM. 16,1-40.

Arg. — Orta est in Moysen et Aaron multorum principum seditio, quorum maior pars levitae sacerdotium, Rubenitae quidam principatum ambibant, omnes Moysis et Aaronis auctoritatem recusabant. *Satis* iam hos sibi viros imperasse dictitabant. Moyses accepto a Iahve oraculo indicit, ut sequenti mane levitae rebelles sua quique thuribula gestantes ad tabernaculum accedant; Iahven, quos sibi elegerit sacerdotes, manifestaturum; id illis *satis* esse debere. Dein amico alloquio ex illis quaerit, an non *satis* honoris, etiam sine sacerdotio, in levitas contulerit Iahve. Et hi quidem pertinaci silentio ei respondere, Dathan et Abiron vocati accedere recusavere, *satis* se eius auctoritatem expertos esse protestati. Quare Moyses suam innocentiam asseverans ad Dei arbitrium provocat. Cum porro magna populi multitudo rebellibus faveret et Deus videretur omnes velle perimere, Moyses, ne omnes perderentur, impetravit et populum a rebellibus recedere mandavit. Dathan et Abiron cum familiis terra absorbuit, Core vero cum factione igne divinitus immisso interiit. Iubetur Eleazar collecta interemptorum thuribula in laminas producere altari holocaustorum affigendas, quae populo haec divina iudicia iugiter in memoriam revocent.

Dum cap. 12 ipse Aaron Moysi adversabatur, seditio haec 16,3 dirigitur *contra Moysen et Aaron*. Cuius duces sunt tres viri, quorum v. 1 natales accurate describuntur, reliquis v. 2 summatim expeditis. Caput omnium omnino est *Core*, ut reliqui simpliciter « conventus Core » vocentur (v. 5 sq. 11.16.40;26,9;27,3). Is, nobilissimae inter levitas Caathitarum stirpis homo, aegre v. 10 se sacerdotio exclusum ferebat. Suggerunt aliqui, aegre eundem tulisse Caathitarum principem creatum esse non se Isaare natum, sed Elisaphan (3,30), iunioris stirpis Oziel hominem. « Querebatur, Moysen et Aaronem una veluti conspiratione inter se divisisse praerogativas omnes, quas fratribus suis communes esse par erat; ad haec, ambitioni suae obsecundaturas potissimas familias tribus Levi coegisse veluti in servitium Aaronis et filiorum ipsius » (*Calm.*). — *Dathan* et *Abiron* fratres erant stirpis Phallu de tribu *Ruben*. De qua Rubenitarum stirpe fueritne Elisur, a Moyse 1,5 constitutus totius tribus princeps, aut Elisuri tum forte defuncti successor, ignoramus. Fortasse Dathan et Abiron illo nobilioris inter Rubenitas erant originis. Cum *Proc.* probabiliter censent plures illos, quod a Iacobi primogenito ortum ducerent, totius populi principatum ambiisse. « Ad quos in Moysen exasperandos etiam alia nonnulla accedere potuerunt, ut quod potior locus et priores partes deferrentur tribui Iuda; quod tribus Ioseph in duas partes scissa esset et duplicem in terrae promissae divisione portionem habitura esset, cum tamen haec omnia primogeniturae iure sibi potius quam illis deberentur » (*Bonfr.*). Eos sacerdotium etiam sibi tamquam primogenitis debitum ambivisse (*Theodoret.*), haud puto. Incensum oblaturi ad tabernaculum ipsi non accedunt. Fortasse a Core seducti fuerant illi duo viri, qui dum sibi

sacerdotium ambibat, neque tribus Ephraim et Iuda ad suas partes se pellicere posse confidebat, cogitabat Rubenis primogeniti Iacobi principatum restituere, suffectis in locum Elisur duobus principibus stirpis Phallu. Notant cum *Bonfr.* plures, castra Rubenitarum fuisse castrorum Caathitarum contermina (v. s. p. 23). — Venio ad *ducentos quinquaginta principes* 16,2. Hos *omnes* fuisse *Levitas* haud affirmaverim, cum quod dicantur fuisse *de filiis Israel*, dum eorum duces Levitae et Rubenitae fuisse scribantur, tum quod numerus videatur esse nimius pro una tribu Levi. Cui 3,39 tribuuntur viri 22,000 ab uno mense et supra : debuere igitur inter illos esse non solum chiliarchae et centuriones omnes, sed imo quinquagenariorum (Ex. 18,25) plures : num hi omnes vocabantur ad concilium? At magnam, imo *maiorem partem* fuisse Levitas, infero ex iterato alloquio *filii Levi* v. 7 sq. 10 et quod rebellionis narrationem concludant cap. 18 quatuor leges, quibus levitarum officia et iura definiantur. Censeo igitur rebellionem Core *potissimum fuisse levitarum contra Moysis et Aaronitarum principatum seditionem.*

Seditionum aliae nascuntur ex mera insolentia, aliae ex gravibus vexationibus. Habebantne levitae illi, quod non immerito quererentur? Liceat nobis perpensis legibus cap. 18 ad hanc quaestionem probabili coniectura respondere. Quae leges non illud solum videntur intendisse, ut levitarum insolentiam reprimerent, sed ut eorum simul iura tuerentur. Habent rationem « compromissi » cuiusdam aequo arbitrio inter partes litigantes, Aaronitas (16,11) inquam et levitas, sanciti.

Igitur Aaronitae fortasse superbius egerant, levitas non habuerant ut fratres (18,2. 6), sed ut servos; levitae vicissim stomachabantur Aaronitarum principatum eodem sanguine natorum (16,3). Num. 3 sq. non fuerat totidem verbis sancitum, ut *soli* levitae sacris ministeriis adhiberentur (18,4. 22 sq.); fortasse aliquando alii admittebantur, ut levitae sacra ministeria iam aestimarent non tam honorem sibi prae reliquis attributum, sed angariam ad quam ipsi prae ceteris semper deberent esse parati. Quo tempore Lev. 27,30 sqq. levitae nondum fuerant ad sacra ministeria deputati, Aaronitae decimas iure merito considerabant tamquam rem suam, eorum postmodum partem tantummodo aliquam, non pro iure sed pro favore levitis concedebant; levitae autem querebantur sibi certos labores imponi sine certa mercede. Fortasse ab ipsis tum levitis, uti a reliquis, sacerdotes decimas exigebant omnium, quae possiderent. Deus igitur legibus cap. 18 levitarum iura et officia circumscripsit. Illos uti Aaronitas a decimis eorum, quae possidebant, pendendis exemit; decimas populi omnes eis attribuit; simul, ut pensis decimarum decimis Aaronitarum primatum agnoscerent, adegit; qui proventus ad solos pertinerent sacerdotes, definivit; vetuit, ne levitae sacerdotum, non levitae levitarum officiis se immiscerent; decrevit, levitas habendos esse tamquam ministros fratres.

Cap. XVI v. 1 « *Ecce autem Core filius Isaar, filii Caath, filii Levi, et Dathan atque Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben* », v. 2 « *surrexerunt contra Moysen* », — *Hebr. : coram* seu *in facie Moysis.* Belle comparat *Malv.* hispanum « saltaronle a la cara », veluti in faciem eius insiluerunt, in apertam rebellionem, non meram secretam coniurationem prorupere — « *aliique filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagogae* », נשיא principes (cf. 1,16, ubi de his virorum epithetis agebamus), « *et qui tempore concilii per nomina vocabantur* »; sed *Hebr. : vocati ad concilium, viri famosi.* Minime viri obscuri erant rebelles hi.

v. 1 certe iam antiquitus est corruptus. ויקח in hoc contextu non habet sensum. Versiones tentavere explicationes : *LXX et locutus est, Chald. Syr. et divisi sunt, Vulg. ecce autem.* Facillima est correctio, quam suggerit *F. Böttcher* (Neue exegetisch-kritische Aehrenlese zum A. T., Leipzig 1863), ויקם : ita insurrectio v. 1 generatim indicatur, v. 2 sq. fusius explicatur. *Hon* secus toto hoc capite tacetur, uti etiam 26,9; Deut. 11,6 sq.; Ps. 105 (106), 17. *Pheleth* Ex. 6,14 inter filios Ruben non recensetur, bene vero *Phallu* פלוא. Pro בני ראובן habent *Sam. LXX* בן ראובן : ergo corrige *filii Eliab, filii Phallu, filii Ruben,* habenturque tres tantum archirebelles. Loco ואון legebatur fortasse primitus והוא : et ipse Eliab filius erat Phallu etc. In hac voce deformata scriba aliquis subodoratus est nomen quarti cuiusdam archirebellis. Quam quomodo reformaret cum non satis perspiceret, scripsit און *perversitas* : en quomodo aliqua in V. T. nomina propria nata sunt. An אבירם forte idem nomen est atque אברם, atque inserto iod effectum est, ne archirebellis ille idem plane atque magnus patriarcha nomen haberet? Idem nomen 3 Reg. 16,34 habuit filius Hiel, viri illius qui Ierichontem destructam reaedificavit. — De aliis nominibus vide Ex. 6,14.18. Nomen *Eliab* frequens (cf. Num. 1,9).

v. 3 « *Cumque stetissent adversum Moysen et Aaron* », — ויקהלו, coegissent ecclesiam Moysis ecclesiae oppositam, schisma fecissent — « *dixerunt* » : רב לכם, *multum sit vobis* neque ulterius quidquam petatis, ergo : « *sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est* », neque specialiorem vobis prae reliquis vindicetis sanctitatem (cf. Lev. 21 sq.). Illud autem *multum sit vobis* non est absolute sumendum neque cum *Ians.* supplendum « quod hactenus egistis, quod sc. vos prae ceteris extuleritis », sed est iungendum sequentibus : « sufficere vobis deberet, quod sitis pares aliis » (*Bonfr.*), « *et in ipsis est Dominus* ». Iahve in sanctuario habitat in medio Israelis : hic insignis est honor. Non alium praeter Iahven Deum hi rebelles norunt, non petunt deos fictiles, solum Amramitarum principatum respuunt : « *Cur elevamini super populum Domini?* » Vides hos viros omnino adhaerere cultui Iahve ; sunt quippe plerique Levitae, quorum in eo cultu specialis honor. Non Aegyptum in votis habent (cf. 14, 3), sed potius Chanaanitiden (cf. v. 14). Unam Moysis et Aaronis respuunt auctoritatem.

v. 4 « *Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem* » (cf. 14,5), divinum oraculum quaerens et pro rebellium salute intercedens. Oraculum nactus est, v. 5 « *locutusque est ad Core et ad omnem multitudinem* » *eius* : « *Mane, inquit, notum faciet Dominus, qui ad se pertineant* » tamquam sacerdotes. *LXX* aliam secuti punctationem, ἐπέσκεπται καὶ ἔγνω, ergo fere *notos habet et notos faciet.* Sed aptius verti *mane* suadet cum Lev. 13,36, tum vox *cras*, infra v. 7. *Mane* interpretatur *Cai.* « horam sacrificii » matutini. Ad hunc textum alludit S. Paulus 2 Tim. 2,19. « *Et sanctos applicabit sibi* », appropinquare faciet sibi « sacerdotio fungentes » (*Men.*), eorum sacrificia acceptabit. *Hebr.* idem h. l. habet verbum, atque sequente inciso; pro והקריב melius *Sam. Vulg. Syr.* יקריב. « *Et quos elegerit, appropinquabunt ei* », appropinquare faciet sibi. Aliquis habetur pleonasmus, tria incisa idem edicunt : fortasse lectiones duae in unum textum coaluere, aut ultimum incisum, pridem negationes habens, ab aliquo pie corrigebatur : « et quem non elegerit, eum non appropinquare faciet sibi ». « Proposuit itaque Moyses Core et congregationi eius, absque tumultu definitionem quaestionis ex electione divina exspectandam crastino mane. Nec solum tempus et iudicem proposuit, sed etiam modum exquirendi divinae electionis iudicium, subiungens » (*Cai.*) v. 6 : « *Hoc igitur facite : Tollat unusquisque thuribula sua, tu Core et omne concilium tuum* ».

Unde tot subito thuribula? Erant illa formae simplicissimae, lancium instar, quibus ignis et super ignem thus imponebatur. Thuri coram Iahve adolendo certe non adhibebantur lances, quae profanis antea usibus inserviissent. Non licebat Hebraeis, privato domi cultu thymiama adolere Iahve (Ex. 30,37), neque ad talem privatum cultum lances habebant penes se. Haud dubium tamen, illos viros sacerdotium ambientes suam quemque iam antea lancem aeneam procurasse (*Calm.*).

v. 7 « *Et hausto cras igne* », utique sacro (*Cai.*), cum profanum nequaquam admissurus fuisset Iahve (Lev. 10), « *ponite desuper thymiama coram Domino* », cuius usum hac vice non sacerdotibus concedebat Iahve. « *Et quemcunque elegerit, ipse erit sanctus* » atque legitimus sacerdos habebitur. « *Multum erigimini, filii Levi* ». רב לכם uti v. 3, « eadem enim verba Moyses regerit in ipsum Core, quae Core ipse exprobrarat ei » (*Vat.*). *Sufficiat vobis*, ipso Iahve arbitrio, quae vestra sint iura edoceri. Acerba est in eos ironia, qui illo mox divino arbitrio e vivis essent tollendi. E vocibus *filii Levi* non sequitur textum esse recusum : aut rebellium numerus longe maior erat levitarum, aut qui v. 3 ad Moysen accesserant oratores levitae erant aut, quod est probabilissimum, levitae illi constanter taberna-

culo circumfundebantur suaque obtrudebant in sacris officia, dum non levitae rebelles suis potius tabernaculis continebantur.

Promulgata v. 5-7 Iahve sententia, Moyses nomine non Iahve sed suo rebelles demulcere conatur : levitas rebelles tabernaculum assidue obsidentes praesentes alloquitur v. 9-11, Rubenitas e suis tabernaculis frustra v. 12-14 arcessit. v. 8 « *Dixitque* [*rursum*] *ad Core : Audite, filii Levi* ». v. 9 « *Num parum vobis est* », — המעט מכם opponitur v. 3. 7 vocibus רב לכם — « *quod separavit vos Deus Israel ab omni populo et iunxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi* » *Iahve*, « *et staretis coram frequentia populi et ministraretis ei?* » *Hebr. in cultu eorum*. v. 10 « [*Idcirco*] *ad se fecit accedere te et omnes fratres tuos, filios Levi* ». Hoc incisum sec. *Hebr.* potest etiam construi dependenter a *Num parum vobis est* — « *ut vobis etiam sacerdotium vindicetis?* » Exaggerat beneficia Num. 3 sq. 8 levitis collata, quo praesentis arrogantiae conscii fiant — v. 11 « *et omnis globus tuus stet contra Dominum? Quid est enim Aaron, ut murmuretis contra eum?* » *Hebr. : Et idcirco tu et omnis conventus tuus, qui convenitis in condictum contra Iahven* — supple : non Moysen et Aaronem impetitis, sed ipsum Iahve. Hac vero illatione suppressa retunditur veluti excusatio, quam ipsi obiicere queant, rem sibi esse non cum Iahve sed cum Aarone : *Quis enim est Aaron?* Τίς ἐστιν; non « quid fecit? » (*Vat.*), aut « quid culpae (!) habet Aaron, quod sacerdotium admiserit, quandoquidem non se ipse ultro ingesserit, sed a Deo vocatus et electus? » (*Bonfr.*), sed : Quis est? Est ab ipso Iahve constitutus sacerdos : ergo, quae in ipsum eduntur querelae, recta Iahven impetunt.

Quid Core levitaeque rebelles responderint, nescimus; Moysi utique non sunt obsecuti. A Rubenitis mox impudentissimum tulit responsum, quod vocibus *non venimus* et inchoatur et concluditur. v. 12 « *Misit ergo Moyses, ut vocaret Dathan et Abiron, filios Eliab. Qui responderunt : Non venimus* ». Sequens *numquid parum est?* (cf. v. 9) eundem sensum habet atque affirmatio v. 3 (cf. v. 7) *multum est :* profitentur isti homines, *satis* sibi esse dominationis Moysis. v. 13 « *Numquid parum est* [*tibi*], *quod eduxisti nos de terra, quae lacte et melle manabat* », — ironice his vocibus (cf. Ex. 3,8 etc.) Aegyptum designant. Tamen non reditum in Aegyptum postulant; fortasse de maturando potius (cf. 14,40 sqq.) terrae promissae ingressu cogitabant — « *ut occideres in deserto* », quod reapse eis Moyses 14,29 futurum praedixerat, « *nisi et dominatus fueris nostri?* » *Hebr. : nisi te imperatorem feceris super nos : profecto imperatorem agis* (cf. Gen. 31, 15; 46,4). « Geminatio illa hoc ipsum indicat, quod temere nimium

et arroganter et imperium sibi sumeret Moyses et exerceret » (*Malv.*). Agnoscunt quidem v. 3, Moysen vere apud ipsos cultum Iahve instituisse ac Iahven vere habitare in sanctuario per Moysen exstructo : fingunt autem Moysen inique omnem sibi deinceps auctoritatem arrogasse suisque sacerdotium reservasse. v. 14 « *Revera induxisti nos in terram, quae fluit* [*rivis*] *lactis et mellis, et dedisti nobis possessiones agrorum et vinearum* ». « Diversa eis, quae nobis promisisti, nobis evenerunt » (*Proc.*). Secundum *LXX Vulg.* est ironia, induxerat quippe eousque in desertum tantum, quod ironice describitur esse terra fertilissima. Sed *Hebr. Sam. Chald. Syr.* negationem habent : *Revera non induxisti etc.* Promissa non implevisti; non es ita bene meritus de nobis, ut decenter ad imperium aspirare queas (*Dillm.*). Duarum vocum simillimarum לא אל facillime altera aut afformari aut excidere potuit. « *An* [*et*] *oculos nostros* [*vis*] *eruere?* » Voculas *et* et *vis* minus feliciter inseruit *Vulg.*, cuius sensus hic esse videtur : Te imperante nihil nisi mala experti sumus : quodnam ulterius malum continuato imperio nobis infliges? nihil superest nisi ut oculos eruas. Sed reliqui textus : *Numquid oculos virorum istorum erues?* Quos *viros* intellige universum populum, explicatque *Malv.* : « An existimas, totam hanc multitudinem caecam esse? » Verum huic sensui non quadrat verbum temporis futuri *erues*. Melius *Cai.* : « Num etiam excaecabis viros istos, ut non videant ambitionem tuam, qua principatum super populum tibi vindicasti, pollicendo tot et tanta, sicut nos videmus illam? » Caecum affirmant debere esse eum, qui Moysis deceptionem non perspiciat. Blandiuntur populo, qui minime sit caecus neque a viro tam inhabili se decipi patiatur. « *Non venimus* ».

Videtur prope adstante Core (cf. v. 16) Moyses et nuntium v. 12 ad Rubenitas misisse et insolens ab illis responsum accepisse. Quare conciliandorum animorum omnem dimisit spem. v. 15 « *Iratusque Moyses valde ait ad Dominum : Ne respicias sacrificia eorum* », *mincham*, quae vox non semper ad stricte dictum sacrificium restringitur. « Certabatur de sacerdotio et, cum utrique incensum essent oblaturi, iudice utebantur Domino Deo. Contristatus ergo propheta propter auctores seditionis, iudicem obtestatur, ne suscipiat quod a seditiosis contra legem offerebatur, eumque vocat in testimonium aequitatis suae » (*Theodoret.*). « [*Tu scis,*] *quod ne asellum quidem* » — pro חמור *Sam. LXX* חמוד — « *unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum* ». Cum Moyses v. 13 sq. non sit accusatus avaritiae sed ambitionis, h. l. sermone figurato suam integritatem effert : neque mea quaesivi emolumenta, neque aliorum iura laesi. v. 16 « *Dixitque ad Core : Tu et omnis congregatio tua state seorsum coram*

Domino », — in atrio (*Bonfr.*) vel etiam extra illud, ubi tot viris sufficeret locus et res a populo conspici posset — « *et Aaron die crastino separatim* ». v. 17 « *Tollite singuli thuribula vestra et ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula; Aaron quoque teneat thuribulum suum* ».

Non desperabant illi viri, secundum aut certe non plane adversum se a Iahve obtenturos esse arbitrium; non novum aliquod atque terribile videntur opperti esse portentum; secus cum suis thuribulis nequaquam adfuissent, aut certe post amica v. 8 sqq. verba rem cum Moyse composuissent. Cap. 14 acta fuerat causa populi contra Iahven, qui noluissent ipso iubente Chanaanitiden adoriri reditumque in Aegyptum (v. 4) proposuissent; at Core eiusque sociis causa erat, ut ipsi praetendebant, non contra Iahven sed contra Moysen et Aaron. Iahven suum illi profitebantur esse Deum, in eius cultu suas sibi partes vindicabant : sed alios requirebant sacerdotes, ducem alium. Ante Moysen fuerant sacerdotes et duces ab hominibus instituti : nondum plane perspexerant Core et socii hos iam instituendos fore sola auctoritate divina. Fidebant *iuri*, quod ante Moysen viguerat, quodque pro Hebraeis in pluribus esse abrogatum, non satis ipsi perspiciebant : cur non Rubeno primogenito concederetur principatus? cur postponendus Isaar Amramo aut Gerson Caatho? Fiduciam addebat *numerus* et *dignitas* actorum : non erat sane reiecturus Iahve tot viros principes; neque populus tot suos principes deserturus erat. Tumebant animi *praeiudiciis* in Moysen undique coactis : senem querebantur exsanguem, pertinacem, rebus administrandis imparem, fratrum interemptorem, infortuniorum suorum omnium unum auctorem. Plura fortasse illum pridem praestigiis effecisse suspicabantur, cuiusmodi a magis aegyptiis effici conspexerant. His aliisque obcaecati ad divinum arbitrium prodiere.

v. 18 « *Quod cum fecissent, stantibus Moyse et Aaron* », v. 19 « *et coacervassent adversum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini* ». Toto iam fere populo ad Core partes deficiente Moysen protectura nubes apparet (*Cai.*), praesentis iudicis insigne. Sed Vulg. textum compendio refert : *Et sumpserunt quisque thuribulum suum et imposuerunt eis ignem et super eum posuerunt incensum, et steterunt ad ostium tabernaculi testimonii, etiam Moyses et Aaron; et coegit contra eos Core universum conventum ad ostium tabernaculi testimonii etc.* v. 20 « *Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron ait* » : v. 21 « *Separamini de medio congregationis huius, ut eos repente disperdam* ». Haec comminatio, uti altera Ex. 32,9 sqq., Moysen ad intercedendum pro populo sollicitat; non poterat salvis promissionibus Deus totum populum delere. v. 22 « *Qui ceciderunt proni in faciem atque dixerunt : Fortissime Deus spirituum universae carnis* », — mendose *LXX* hic et 27,16 *spirituum et etc.* Igitur *El* dicitur *spirituum Deus*, quia omnem animam humanam, quae carnem animat, condidit (*Men.*).

Quia Deus, intima spirituum scrutatur; quia conditor, est etiam dominus. Creatos spiritus omni perfectione excellit : sanctitate, iustitia etc. Qua spirituum Deus potest pro lubitu spiritus universae carnis auferre; sed quando cum illis agit ut iudex, illud debet suae iustitiae, ut solos sontes plectat, innoxios aut minus sontes dimittat — « *num uno peccante contra omnes ira tua desaeviet?* » Putat *Est.*, voce *uno* designari solum Core, qui reliquos unus seduxerit. Id gratuito supponitur, tota narratione 250 viri etiam ut sontes exhibentur et tandem plectuntur. *Cai.* suggerit, tantulos numero fuisse illos 251 toti populo comparatos, ut veluti unus tantae multitudini opponantur. Faciliorem explanationem suggerunt *LXX* : εἰ ἄνθρωπος εἷς ἥμαρτεν, ἐπὶ πᾶσαν τὴν συναγωγὴν ὀργὴ κυρίου; Est axioma iustitiae, ne multi plectantur pro uno; ergo neque 660,000 pro 251.

Sequentium sensum obscuravere *Vulg. LXX* non distinguentes inter מִשְׁכַּן *locum* (cf. 9,17.22) et אֹהֶל *tabernaculum*. v. 24 iubetur populus recedere a *loco* Core, Dathan et Abiron, idque praestat v. 27; sed v. 26 idem iubetur recedere a *tabernaculis* Dathan et Abiron, qui v. 27 dicuntur stare in ostio *tabernaculorum* suorum cum familiis suis. De *tabernaculo* Core nulla habetur mentio. Familia Core superstes fuit 26,11, et sine dubio item familiae 250 virorum, dum Dathan et Abiron cum familiis absorbentur v. 32. Horum nulla recensetur posteritas, dum Core posteritas 26,58 etc. habetur. Sc. Core cum 250 viris igne absumptus (cf. v. 40), non a terra absorptus est. — Duorum auctorum vestigium cernunt aliqui in eo, quod v. 19 totus populus dicatur circa sanctuarium fuisse coactus, dum v. 26 turba prope tabernacula Dathan et Abiron versetur. Respondeo, tam prope erant tabernacula illa sanctuario tantaque erat populi multitudo, ut haec eadem multitudo sanctuario simul illisque tabernaculis circumfunderetur.

v. 23 « *Et ait Dominus ad Moysen* » : v. 24 « *Praecipe universo populo, ut separetur a tabernaculis* » — *a loco* — « *Core et Dathan et Abiron* ». v. 25 « *Surrexitque Moyses* », relicto utique prope sanctuarium Aarone (*Cai.*), seorsim a conventu Core (v. 21), « *et abiit ad Dathan et Abiron et, sequentibus eum senioribus Israel* », v. 26 « *dixit ad turbam : Recedite a tabernaculis hominum impiorum* » *istorum*, « *et nolite tangere quae ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum* ». Erat autem *recedere* signum quoddam fidei in Moysen et poenitentiae. v. 27 « *Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan et Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum cum uxoribus et liberis omnique frequentia* ». *Hebr.* initio habet *Et recesserunt de loco Core, Dathan et Abiron; et egressi Dathan et Abiron etc.*; et in fine *cum uxoribus et filiis et parvulis suis*. v. 28 « *Et ait Moyses : In hoc scietis, quod Dominus miserit me, ut facerem universa quae cernitis, et non ex proprio ea corde*

protulerim » : v. 29 « *Si consueta hominum morte interierint, et visitaverit eos plaga, qua et ceteri visitari solent, non misit me Dominus* »; v. 30 « *sin autem novam rem fecerit Dominus* », — *LXX* φάσμα, portentum. *Hebr.* ואם בריאה יברא, *si creationem creaverit*, a radice ברא significante actionem stricte divinam — « *ut aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia, quae ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum* ». *Infernum Lap.* intellexit proprie dictum, sed monet *Bonfr.* parvulos etiam innocentes esse absorptos; *Aug.* loca inferiora terrae, quocum consonat *Tost.* sepulcrum : *Hebr.* שאול. Dicuntur *descendere vivi*, sicut (*Cai.*) aliqui dicuntur sepeliri vivi : dum incipiunt descendere, vivunt, sed non dicuntur vivis adhuc corporibus in ipsum Haden devenire. v. 31 « *Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum* », v. 32 « *et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis et* » — reliqui : *et omni homine factionis Core;* intellige de iis, qui prope tentoria versabantur, non de ipso Core — « *universa substantia eorum* ». « Consurgit creatura contra eos, qui contra Deum insurrexerunt » (*Proc.*). v. 33 « *Descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis* ». v. 34 « *At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium dicens : Ne forte et nos terra deglutiat* ». v. 35 « *Sed et ignis egressus a Domino* « — *Bonfr.* a nube — « *interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum* » — non, qui offerre volebant (*Lap.*) : iam v. 18 inceperant offerre.

v. 36 (17,1) « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 37 (17,2) « *Praecipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti* », — cf. v. 39 : verti tamen aeque potest *pontificis* — « *ut tollat thuribula, quae iacent in incendio* », inter corpora adusta, « *et ignem huc illucque dispergat, quoniam sanctificata sunt* » v. 38 (17,3) « *in mortibus peccatorum* ». Mendose *LXX locutus est ad Moysen et Eleazarum : Tollite etc.* Cur mittitur *Eleazar?* Ut vindicato iam Aaronis sacerdotio, inquit *Aug.*, demonstraretur Eleazar Aaronis futurus successor. Est alia planior et fortasse verior ratio. Oportebat unum aliquem sacerdotum in medium cadaverum prodire ad sanctificata illa thuribula colligenda : at minus decebat eo mitti pontificem, cui magis quam reliquis sacerdotibus (Lev. 21,2. 11) cavendum erat a contaminatione cadaverum (*Calm.*). *Dispergendi* erant carbones igniti thuribulorum, ne latius incendium serperet; ignis in terram delapsus, multoque magis cadaverum contactu foedatus non poterat in altare reponi. *LXX* videntur bis legisse vocem זרה : *ignem alienum;* sed ignem thu-

ribulorum non fuisse alienum, qualis fuerat ignis Lev. 10,1, monebamus supra v. 7. Merito versiones ultimas v. 37 voces iungunt sequentibus : *quoniam sanctificata sunt thuribula delinquentium istorum* (puncta participium pro substantivo) *contra vitas suas* seu, ut *Chald.* explicat : *delinquentium istorum, qui deliquerunt contra vitas suas,* qui ob rebellionem exanimati sunt igne divinitus immisso. Videntur quidem initio v. 38 *Vulg. LXX* ignorasse vocem את, qua retenta cum *Calm.* vertes : *quia sanctificarunt thuribula delinquentes isti in vitis suis. Sanctificata* erant thuribula illa primo, « quod in eis incensum est thymiama Domino » (*Cai.*), cultu non quidem ordinario, sed a Deo tum explicite approbato : quod ita adhibitum fuerat cultui divino, non debebat ad usus redire profanos. Dein, quod in illis combustum esset thymiama (*Tost.*) divino cultui unice reservatum (Ex. 30,37). Voluit Deus, ut magis attenderetur in cuius cultum, quam quorum hominum manibus adhibita fuissent illa thuribula : homines illi sacrilegi, sed cultus sacer (*Aug.*). « *Producatque ea in laminas et affigat altari* » holocaustorum, quod omnium obtutibus patebat, — *Hebr. : et faciant ea,* sane opifices ad hoc deputati, qui fortasse post opus lavari debuere ob contactum rei sanctificatae, *in laminas productas, operimentum altaris* — « *eo quod oblatum sit in eis [incensum] Domino et sanctificata sint, ut cernant ea pro signo [et monimento] filii Israel* ». v. 39 (17,4) « *Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula aenea, in quibus obtulerant hi, quos incendium devoravit, et produxit ea in laminas affigens altari* », v. 40 (17,5) « *ut haberent [postea] filii Israel, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena et, qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core et omnis congregatio eius* », 250 viri, « *loquente Domino ad Moysen* ». Sed reliqui *sicut locutus est Dominus per manum Moysis* et, praeter *Syr.*, addunt *ipsi.* Cui? Aaroni, inquit *Cai.,* cui Deus per Moysen attribuit sacerdotium. Quia tamen in fine pericoparum persaepe auctor affirmat, rem actam esse, sicut a Deo praecipiebatur, ideo melius *Vat.* Eleazarum suggerit, cuius quidem nomen duobus versibus interiectis habetur v. 39; ei v. 37 per Moysen mandaverat Deus.

In textu *LXX* Ex. 38,22 laminae aeneae, quibus primum Beseleel altare holocaustorum operuit, affirmantur eaedem fuisse laminae, quae e thuribulis Core et sociorum confectae sunt. Idem sentit *Aug.* Quo concesso iam nequit defendi in Ex. Lev. Num. eventus eo ordine narrari, quo acta sunt. At narrari ordine chronologico ex hucusque disputatis abunde probatum habemus. Longius progressus *Dillm.* deprehendit h. l. alteram et ab Ex. 38 diversam narrationem, quomodo primum confectum fuerit altare holocaustorum. An est ita mirum, laminis Ex. 38,2 affixis alias Num. 16 su-

perinductas esse laminas? Debebat illud aes sanctificatum alicui usui sacro attribui; apte altari attribuebatur illud aes, quod erat veri sacerdotii irrefragabile argumentum; futurum ibi erat revera Hebraeis memoriale perpetuum.

II. SEDITIO POSTRIDIE INTERITUS CORE OBORTA NUM. 16,41-50.

Arg. — Sequenti die totus populus in Moysen et Aaron invehuntur, fuisse ipsos auctores ruinae tot Iahve cultorum, atque in eos impetum faciunt. Apparente gloria Dei incipit strages saevire in populo. Moyses vero fide firmus, ne exspectato quidem Iahve responso, Aaronem in medium populum mittit, qui oblato thymiamate Deum placet. Deus insigni Moysis et Aaronis fide, ut populo parcat, inducitur.

« Mirum est, tot manifestis visis miraculis heri, attribuere hodie mortem illorum Moysi et Aaron » (*Cai.*). Arbitrabantur sane, nonnisi in gratiam Moysis ab eoque sollicitatum Iahven illas inflixisse plagas virosque suo cultui ceteroqui addictos interemisse. Censebant haec omnia Moysen a Iahve impetrare, quo suum et Aaronis principatum stabiliret (*Ios.*). Imo haud inepte *Cai.* suggerit, populum rudem arbitratum esse Moysen *magicis* quibusdam artibus illas plagas effecisse. Ad quanta autem praestigia magicae artes pertingerent, experti ipsi fuerant in Aegypto. Ceterum perpende, quanta illorum in Moysen debuit esse indignatio, qui postridie interitus Core violentas illi inferre manus conarentur.

Paucorum seditionem iam excipit universi populi commotio. v. 41 (17,6) « *Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen et Aaron dicens : Vos interfecistis populum Domini* ». Unum Iahve norunt isti Deum, se populum esse Iahve gloriantur. v. 42 (17,7) « *Cumque oriretur seditio [et tumultus incresceret]* », v. 43 « *Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum foederis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes et apparuit gloria Domini* ». Sed aliter *Hebr. : Et factum est, cum congregaretur conventus contra Moysen et Aaron, converterunt se ad tabernaculum testimonii, et ecce operuit illud nubes et apparuit gloria Domini.* (17,8) *Et iverunt Moyses et Aaron ante tabernaculum testimonii.* Iam subiectum verbi *converterunt se Vulg.* adstruxit Moysen et Aaron : *fugerunt;* sed פנה nunquam ad fugiendi significationem deflectit; et si illi fugiebant ad tabernaculum, quomodo illico indidem procedunt *ante* vel *extra* tabernaculum? Ergo melius cum *Cai.* subiectum retine *conventum :* coniuratione facta « ruebant » (*Malv.*) versus tabernaculum, in quo Moyses et Aaron versabantur: in quorum simul defensionem apparebat gloria Domini. Tumultuantibus obviam progressi Moyses et Aaron ex interiore tabernaculo prodiere in vel ante atrium. v. 44 (17,9) « *Dixitque Dominus ad Moysen* » : v. 45 (17,10) « *Recedite de medio*

huius multitudinis, etiam nunc », i. e. repente v. 21, « *delebo eos. Cumque iacerent in terra* », — sed *Hebr.* : *Et ceciderunt in facies suas.* « Ecce diligit Moyses inimicos et orat pro persecutoribus suis : audite enim, quomodo cadentes in faciem super terram orant pro illis, qui ad interficiendos eos insurrexerant » (*Or.*) — v. 46 (17,11) « *dixit Moyses ad Aaron* », non recedens (v. 45), sed fratrem in medios rebelles mittens : « *Tolle thuribulum et, hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges* », *expies*, « *pro eis : iam enim egressa est ira a Domino et plaga desaevit* », *incepit.* Locutus est haec inspirante Deo (*Men.*), sed non praecipiente : Deum, ut populo parceret, veluti coegit; fidei Moysis et Aaronis obsecutus est Dominus. v. 47 (17,12) « *Quod cum fecisset Aaron et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama* ». Erat, uti videtur, plaga subito prosternens homines. *Hebr.* : *Et sumpsit Aaron, sicut locutus ei fuerat Moyses, et cucurrit in medium conventum, et ecce inceperat plaga in populo, et imposuit thymiama.* v. 48 (17,13) « *Et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est* », *expiavit*, « *et plaga cessavit* ». « Thymiamate separat vivos a mortuis Aaron, et testatur reipsa ad propitiationem populi a Deo se electum esse » (*Proc.*). Sap. 18,21 : « Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suae scutum orationem et per incensum deprecationem allegans, restitit irae et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus », typus factus Christi (*Or.*). v. 49 (17,14) « *Fuerunt autem, qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum et septingenti, absque his qui perierant in seditione Core* ». Secundum 14,29 sqq. coniecerim, hanc plagam adultos potissimum absumpsisse. v. 50 (17,15) « *Reversusque est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi foederis, postquam quievit interitus* ».

III. VIRGA AARON FLORENS NUM. 17.

Arg. — Una florente Aaronis virga prae reliquis duodecim, quae principum aliarum duodecim tribuum nomina inscripta habebant, ostendit Deus Aaroni obtingere cum prae reliquis tribubus sacerdotium, tum in tribu Levi principatum. Quorum permanens argumentum futura illa virga reponitur in tabernaculo perpetuo asservanda.

Patroeciae h. l. sumuntur (C E L p. 76) pro tribubus, ut patet e numero virgarum. Quibus virgis, ne deceptioni esset locus (*Bonfr.*), non affigebantur sed inscribebantur nomina, non tribuum (*Ios.*), sed *principum* tribuum (ergo fere nomina 1,5-15). Ad hos quippe refertur v. 2 suffixum singulare in שְׁמוֹ, et pro tribu Levi scribitur no-

men principis Aaron. Cf. *Bonfr.* Erant virgae non duodecim sed *tredecim.* Illud sentiebat *Cai.* reputans Ephraim et Manasse unam effecisse patroeciam Ioseph : at Iacob Gen. 48,9 illos declaraverat duas efficere patroecias, erantque ii in deserto utique tribus distinctae. Hoc cum *Vulg.* (v. 6) sentiunt interpretes plerique.

Miraculum virgae Aaron florentis indirecte quidem attingit etiam *Moysis* auctoritatem, quatenus in hac tota Aaronis auctoritas innitebatur; non vero directe : virga illa futura erat asservanda tamquam perpetuum sacerdotii aaronici argumentum, dum Moysis auctoritas futura non erat perpetua, sed eo moriente cessatura. *Aaronis* auctoritas demonstratur primum eo, quod reliquas tribus ille in sacris antecellere ostendatur. Putabat *Est.*, nostrum factum nihil conferre ad Aaronis super levitas auctoritatem stabiliendam, fuisse eam sufficienter stabilitam eventibus cap. 16. At, cur non iisdem sufficienter item stabilita esse dicatur Aaronis super reliquas tribus auctoritas? Reapse facto cap. 17 utraque auctoritas confirmatur. Una Aaronis *virga* florente demonstratur Aaronis auctoritas super ceteras tribus ceteris virgis repraesentatas; et florente *Aaronis* virga demonstratur Aaron esse princeps tribus Levi prae Gersonitis (Ex. 6,16), eius tribus familia uti videtur natu maiore. Quodsi vero princeps ille erat, poterant levitae nulli cum eo de sacerdotio contendere. Cur tandem Aaroni opponuntur *principes?* Disceptabatur cap. 16 inter sacerdotium divinitus institutum aaronicum et inter sacerdotium naturale humanum, quo capita familiarum vel rerum publicarum fungi consueverant (CEL p. 6). Si Aaron non erat sacerdos, natura sua redibat sacerdotium ad principes.

Cap. XVII v. 1 (16) « *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 (17) « *Loquere ad filios Israel, et accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas* » seu patroecias, « *a cunctis* » supremis « *principibus tribuum, virgas duodecim, et uniuscuiusque* » principis « *nomen superscribes virgae suae* »; v. 3 (18) « *nomen autem Aaron erit in tribu Levi, et una virga cunctas seorsum familias continebit* ». Cum *patroecia* v. 2 bis *tribum* designet, minus apte h. l. *Vulg. familias* scribit. *Hebr. : quoniam virga una erit capiti patroeciae eorum.* Suffixum plurale videtur referri ad *Levi* i. e. levitas; ita clare exprimitur id, quod Moyses inculcare volebat, Aaron esse caput seu principem tribus Levi (non v. g. Eliasaph 3,24); et nota, praegnanter Aaron scribi non *principem*, sed *caput;* erant enim in tribu quaque plures principes (cf. 16,2), sed unicum caput seu princeps supremus. Posset suffixum, uti idem suffixum v. 2, ad tribus omnes referri, sensu haud mutato : virga Levi habebit nomen Aaron, quia cuique virgae inscribitur nomen capitis eius tribus; ergo Aaron est caput tribus Levi. v. 4 (19). « *Ponesque eas in tabernaculo foederis coram testimonio* », tabulis lapideis, « *ubi loquar ad te* ». Eadem expressio habetur Ex. 25,22, ubi etiam non לכם sed לך, quod h. l. habent *Sam. LXX Vulg. :* reapse in sancto sanctorum communicabat Deus immediate non cum populo, sed cum Moyse vel Aaron. Forma verbi futura indicat actionem permanentem, consuetam; ergo *ubi convenire consuevi tecum.* Aaron semel in anno ingrediebatur sanctum sanctorum,

Moyses fortasse saepius. v. 5 (20) « *Quem ex his elegero, germinabit virga eius, et cohibebo a me* », *Chald. quiescere faciam*, « *querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant* ». Querelae in Moysen et Aaronem factae ad Deum pertingunt, illum afficiunt ac eius veluti quietem dispellunt. Videtur illud in verbis latere, nisi post hoc portentum a querelis desistant, certissime poenas laturos.

v. 6 (21) « *Locutusque est Moyses ad filios Israel, et dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus, fueruntque virgae duodecim absque virga Aaron* ». Sed reliqui textus id solum habent, hanc virgam fuisse *in medio* reliquarum. v. 7 (22) « *Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii* », v. 8 (23) « *sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, et turgentibus gemmis eruperant flores, qui* [*foliis dilatatis*] *in amygdalas deformati sunt* », *maturuerunt*, insigni sane miraculo. v. 9 (24) « *Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel, videruntque et receperunt singuli virgas suas* ». v. 10 (25) « *Dixitque Dominus ad Moysen : Refer virgam Aaron in* [*tabernaculum*] *testimonii* », *coram testimonium*, « *ut servetur ibi in signum rebellium filiorum* [*Israel*], *et quiescant querelae eorum a me, ne moriantur* ». Cf. v. 5. v. 11 (26) « *Fecitque Moyses, sicut praeceperat Dominus* ». v. 12 (27) « *Dixerunt autem filii Israel ad Moysen : Ecce consumpti sumus* », *perivimus*, « *omnes perivimus* », non facto sed iure (*Malv.*); etenim v. 13 (28) « *quicunque accedit ad tabernaculum Domini* », quique accedendi non habet ius, « *moritur* »; nos id fecimus 16,43, mortis rei sumus : « *num usque ad internecionem* [*cuncti*] *delendi sumus?* » Veluti plenae divinae veniae haud certi Moysen rogant ut, si quod eos maneat exitium, sua intercessione illud avertat. Nota, qui haec verba pronuntient, fuisse e numero eorum, quibus 14,29 mors in deserto praenuntiata fuerat. Eam praedictionem ex parte impletam cernebant clade cap. 16. Quaerunt iam timidi, nullumne sit perfectae internecionis remedium; debentne *penitus occidi*, i. e. occidi *revera* et *cuncti?* His utique Moyses nullum poterat praebere solatium. Hinc futurarum turbarum (cap. 20 etc.) relicta semina. Ii, quibus Moyses nullum offerebat remedium, facile postmodum inducebant animos, ut Moysen penitus desererent. Non ita levitae, ad quos secundum ea, quae p. 118 dicebamus, divina 14, 29 sqq. sententia non extendebatur.

IV. LEGES DE SACERDOTIBUS ET LEVITIS NUM. 18.

Legibus quatuor concordia sacerdotes inter et levitas stabilitur

Quarum priores tres ad Aaron profatur Deus, mutuam sacerdotum et levitarum rationem definiens atque utrorumque reditus; quartam per Moysen Deus profatur ad levitas, iubens ut sacerdotibus decimarum decimas solvant.

1. *Lex de mutua sacerdotum et levitarum ratione Num.* 18,1-7.

Arg. — Definiuntur officia sacerdotum et levitarum, et quidem v. 1 universim. Dein v. 2-4 describuntur *levitarum* officia, alludendo ad nominis etymon לוה *adhaerere* (v. 2. 4; cf. Gen. 29,34; *Vat.*), ut adhaereant sacerdotibus, eis serviant *extra tabernaculum*, eos adiuvent res tamen sacras minime attingant. Non levita vetatur levitarum officiis se immiscere, poena tamen mortis ei non intentatur. Postea v. 5-7 describitur *sacerdotum* prae levitis honor, ut servientes *altari* iram Dei a se et a populo cohibeant funganturque *sacerdotio*. Non sacerdos intentata etiam mortis poena, quominus in sacerdotum officium se ingerat, deterretur.

Putabat *Bonfr.*, hanc pericopen respondere ad populi verba 17,13 : petiisse ibi populum remedium a plagis, quibus accedentes ad sanctuarium essent plectendi; hic tale remedium indicari. At remedium peti non est necessarius sensus verborum 17,13; pericope non agit de populo, sed de sacerdotibus et levitis; si ea tradebat responsum ad verba populi 17,13, dirigenda erat v. 1 non ad solum Aaron, sed etiam ad populum. Pericope igitur connectitur non cum solis verbis 17,13, sed cum tota narratione cap. 16 sq.

Cap. XVIII v. 1 « *Dixitque Dominus ad Aaron : Tu et filii tui et domus patris tui tecum* », non soli Caathitae (*Kn.*), sed levitae omnes (*Cai.;* cf. 17,2 sq., et h. l. v. 2 « fratres tui levitae »), « *portabitis iniquitatem sanctuarii* », quatenus ea non est *iniquitas sacerdotii vestri*, hanc quippe portabunt Aaronitae soli exclusis levitis. « Vobis imputabitur » (*Tir.*) omnibus, « rei eritis et culpae et poenae » (*Malv.*). Sacerdotes rei habebuntur delictorum non solum ab ipsis sed etiam a levitis in sanctuario vel in sanctuarium commissis, quae illi docendo, monendo praevenire debuerant; imo etiam a laicis. Sed perperam *Bonfr.* illa sua de nexu cum 17,13 opinione inducitur, ut sola hic laicorum delicta intelligat : explicite agitur de solis sacerdotum et levitarum delictis, enuntiaturque sacerdotum super levitas *auctoritas :* qui enim delictorum alterius universim reus habetur, in eum auctoritatem habeat necesse est. « *Et tu et filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri* ».

Erit autem auctoritas illa fraterna. v. 2 « *Sed et fratres tuos de*

tribu Levi, [*et*] *sceptrum patris tui* » Levi, qui virga 17,3 repraesentabantur, « *sume tecum* » — *Hebr. accedere facias tecum*, propius sacris adhibe — « *praestoque sint* » — *Hebr. et adhaereant tibi* (v. s.) — « *et ministrent tibi; tu autem et filii tui* [*ministrabitis*] *in tabernaculo testimonii* ». Sed reliqui *ante tabernaculum testimonii*. Quae voces non satis quadrant. Cum enim nondum definitum sit, *ubi* levitis sit ministrandum, non placet per oppositionem iam demonstrari locum, ubi sacerdotes ministrent. Et hic locus valde oscitanter exprimitur, cum *ante tabernaculum*, ergo in atrio, non soli sacerdotes ministrent, sed imprimis ipsi levitae, e contra soli sacerdotes tabernaculum ingrediantur. Ergo iunge : *et ministrent tibi, tam tibi quam filiis tuis tecum, ante tabernaculum testimonii*. Explicatur et limitatur illud ministerium v. 3 : « *Excubabuntque* [*levitae*] *ad praecepta tua et ad cuncta opera tabernaculi* » : — *Hebr. : et custodient custodiam tuam et custodiam totius tabernaculi*, omnia observabunt et procurabunt — « *ita dumtaxat, ut ad vasa sanctuarii et altare non accedant* », ea non obvoluta non attingant (Num. 4), « *ne et illi moriantur et vos pereatis simul* » (cf. 4,15), plaga non a iudice (v. 7), sed a Deo infligenda. v. 4 « *Sint autem tecum* » — *Hebr. : adhaereant tibi*, לוה — « *et excubent in custodiis tabernaculi et in omnibus ceremoniis eius* ». *Hebr. : et custodient custodiam tabernaculi testimonii, quoad omne opus tabernaculi*. Custodia illa consistit imprimis in operibus praescriptis peragendis. « *Alienigena* », non levita, « *non miscebitur vobis* ». Cum poena mortis h. l. non adscribatur, fortasse deficiente levita fas erat non levitam adhibere, qui sacerdotem in sacris iuvaret, at nunquam fas erat non aaronitae in sanctuario sacrificare.

v. 5 « *Excubate* », sacerdotes, « *in custodia sanctuarii et in ministerio altaris* », — *Hebr. : custodite custodiam sanctuarii et custodiam altaris* — « *ne oriatur indignatio super filios Israel* ». Hic ordo a Deo est sancitus v. 6 : *Et* « *ego dedi vobis fratres vestros levitas de medio filiorum Israel et tradidi donum Domino* », — *Hebr. : vobis datos donum Iahve :* filii Israel dederunt Iahve, ego Iahve dedi vobis — « *ut serviant in ministeriis tabernaculi eius* ». *Hebr. ut laboribus fungantur tabernaculi testimonii*. v. 7 « *Tu autem et filii tui* » *tecum* « *custodite sacerdotium vestrum; et omnia, quae ad cultum altaris pertinent et intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur* ». *Hebr. : et facietis ea. Laborem doni posui sacerdotium vestrum*. Sacerdotium est labor datus a me, ergo labor honorificus, quem nemini suscipere fas est, praeter eum cui id datum est. « *Si quis externus accesserit, occidetur* ».

2. *Lex de reditibus sacerdotum Num.* 18,8-19.

Arg. — Quae Deus sacerdotibus pro victu concedit, clare describuntur. Sc. inter sententiam generalem v. 8 et clausulam v. 19 recensentur v. 9 sq., quae de sanctis sanctorum, v. 11-18 quae de sanctis cedunt sacerdotibus. Cf. *Cai.* Et quidem v. 12 primitias recenset olei, vini et frumenti; v. 13 alias primitias rerum inanimatarum; v. 14 consecrata; v. 15-18 primogenita animalium, ubi etiam de eorum redemptione et de sacerdotum portionibus in sacrificiis pacificis. De discrimine inter sancta sanctorum et sancta cf. CEL p. 507.

Lex haec plures leges antiquiores in summarium redigit : quoad sacrificia Lev. 6,16 sqq. 26 sqq.; 7,6 sqq. 14.30 sqq.; quoad primitias Ex. 22,29; 23,19; 34,26; Lev. 2,14; 19,24; 23,10 sqq.; Num. 15,17 sqq.; quoad consecrata Lev. 27,28. Legis articuli v. 9. 11 ordiuntur vocibus לך (יהיה) זה; item v. 8.11.19 *lex perpetua* esse affirmatur, imo v. 19 *foedus salis;* v. 15.17 duo monita de redemptione voce אך ordiuntur. *LXX Vulg.* sensum quandoque obscuravere vertentes *primitias*, ubi de primitiis nondum agitur.

v. 8 « *Locutusque est Dominus ad Aaron* » : *Ego* « *ecce dedi tibi custodiam* », curam (*Cai.*) et usum (*Bonfr.*), « *primitiarum mearum* » seu verius *elevationum* (תרומה, cf. CEL p. 296 sq.) seu oblationum. « *Omnia, quae sanctificantur a filiis Israel* », — *sancta* hic universim scribuntur et complectuntur tam sancta stricte dicta quam sancta sanctorum — « *tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali* » — *Hebr. : donum unctionis* (cf. Lev. 7,35), *LXX* γέρας — « *legitima sempiterna* », lege perpetuo valitura.

a. De sanctis sanctorum Num. 18,9 sq.

v. 9 « *Haec ergo accipies de his, quae sanctificantur et oblata sunt Domino* ». *Hebr. : Et haec accipies de sanctis sanctorum, de igne*, de victimis igne absumendis. « *Omnis oblatio et sacrificium et, quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi* [*et cedit in*] *sancta sanctorum, tuum erit et filiorum tuorum* ». *Hebr.* primum universim scribit *omne donum eorum* (קרבן, cf. Lev. 1,2), ac dein classes enumerat : *mincham, sacrificia pro peccato* et *pro delicto*. De holocausto silet textus, quia nihil eius in victum cedebat sacerdotum. v. 10 « *In sanctuario* » — *Hebr. : in sancto sanctorum,* certe non in sacratissimo adyto sed in atrio (*Cai.*), uti Lev. 6,16. 26; 7,6 — « *comedes illud; mares tantum edent ex eo,* [*quia*] *consecratum est tibi* ». *Hebr. : Sanctum erit tibi,* a nullo non sacerdote attingendum. Docetur igitur, quid cedat sacerdotibus, ubi et a quibus sit comedendum.

b. De sanctis Num. 18,11-18.

Hic etiam articulus a sententia generali orditur v. 11 : « *Primitias autem, quas voverint et obtulerint filii Israel, tibi dedi et filiis tuis ac filiabus tuis iure perpetuo. Qui mundus est in domo tua, vescetur eis* ». Admittuntur iam non soli mares, sed tota domus (cf. Lev. 22,10 sqq.). *Hebr. : Et haec tibi erunt : elevatio donorum eorum* (sc. filiorum Israel. מתנם, uti videtur, pro מתנתם) *usque ad omnem consecrationem filiorum Israel*, תנופה (CEL p. 296). Haec erat pars omnium donorum, et imprimis etiam sacrificiorum pacificorum, quae coram Iahve elevabatur et agitabatur : ergo his verbis includuntur etiam sacrificia pacifica (*Cai.*).

Tandem ad *primitias* transit oratio. *Adeps* (*Vulg. medulla*) vocatur id, quod in re est optimum : Gen. 45,18 etc. v. 12 « *Omnem medullam olei* » *recentis* « *et vini* », seu *musti*, « *ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi* ». v. 13 « *Universa* [*frugum*] *initia, quas gignit humus et Domino deportantur, cedent in usus tuos. Qui mundus est in domo tua, vescetur eis* », uti v. 11. v. 14 « *Omne, quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit* ». Agitur de *consecratis* חרם (CEL p. 547), quae quis sic vovit, ut simul ius redemptionis abdicaverit. v. 15 « *Quidquid primum erumpit e vulva cunctae carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus sive de pecoribus fuerit, tui iuris erit : ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias et omne animal, quod immundum est, redimi facias* ». Cf. Ex. 13,2. 13; 34,20; Lev. 27,27. v. 16 « *Cuius redemptio erit post unum mensem* », *secundum aestimationem tuam* (Lev. 5,15; 27,2 sqq.), « *siclis argenti quinque, pondere sanctuarii. Siclus viginti obolos habet* ». Cf. Num. 3,47. Cum primogenita mascula tantummodo Deus sibi reservasset Ex. 13,12, et post mensem (Lev. 12,6) pueri mater purificanda accederet ad sanctuarium, haec redemptio fiebat occasione purificationis. v. 17 « *Primogenitum autem* » — *Hebr. dumtaxat*, אך, cf. v. 15 — « *bovis et ovis et caprae non facies redimi* » (cf. Lev. 27,26 sqq.), « *quia sanctificata sunt Domino; sanguinem* [*tantum*] *eorum fundes super altare, et adipes adolebis in suavissimum odorem Domino* ». v. 18 « *Carnes vero in usum tuum cedent* », ritu sacrificiorum pacificorum; « *sicut pectusculum consecratum et armus dexter* » reliquorum pacificorum, « *tua erunt* » (cf. Lev. 7,32).

Legem concludit v. 19 : « *Omnes primitias sanctuarii* », — sed *Hebr. : omnem elevationem* (תרומה) *sanctorum*, et *sancta* uti v. 8

latius accipe — « *quas offerunt filii Israel Domino, tibi dedi et filiis ac filiabus tuis iure perpetuo. Pactum salis* », i. e. perpetuum (cf. Lev. 2,13), « *est sempiternum coram Domino tibi ac filiis tuis* ».

3. *Lex de reditibus levitarum Num.* 18,20-24.

Arg. — Tribui Levi non assignabuntur fines in terra promissa; sed levitis non sacerdotibus attribuit Iahve decimas sibi ab Israelitis delatas. Illi vicissim soli servient in sanctuario, reliquis Israelitis exclusis.

v. 20 « *Dixitque Dominus ad Aaron : In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos : ego pars et hareditas tua in medio filiorum Israel* ». Reliqui *possidebis*, *habebis* et, cum *Vulg.*, *tua.* Diriguntur igitur verba ad Aaron, verum cum sit ipse caput tribus Levi (17,3), patet neque reliquos quidquam possessuros esse sacerdotes et levitas; non enim potest iniquiore loco a Deo constitui princeps quam populus. Postquam autem Deus v. 20 locutus est de Levitis tam sacerdotibus quam non sacerdotibus, v. 21 sqq. de solis Levitis non sacerdotibus loquitur, suppleturus v. 25 sqq. quaedam solos sacerdotes spectantia. Porro illud *possidebis, habebis* intime iunge vocibus *in terra eorum :* non habebit tribus Levi sortem in divisione terrae promissae; privatas possessiones eis fas erat acquirere, iisdem atque ceteris Israelitis conditionibus (cf. *Calm.*). Neque repugnant iisdem verbis urbes postmodum levitis assignatae, oportebat quippe levitas alicubi certas sedes habere. Quomodo autem Deus sit *pars et haereditas* tribus Levi, explicat Ios. 13,14 : « tribui autem Levi non dedit possessionem, sed sacrificia et victimae Domini Dei Israel ipsa est eius haereditas, sicut locutus est illi ». Sicut reliqui vivent de fructibus agrorum suorum, ita levitae de fructibus Dei vivent; illo, quae sua sunt, constanter illis suppeditante, sicut ager suppeditat fructus. « Ego Deus vobis ero arva, vineta, oliveta, segetes, uvae, olivae. Ego absque vomere et aratro, absque passione et pastinatione, absque labore et cura ulla vestra vobis proferam ac reddam, quae pinguissima gleba ulla, vitis fertilissima, olea fructuosissima ingenti labore et cultura reddere posset » (*Lap.*).

Iam Lev. 27,30 decimae affirmabantur esse Dei, earum tamen usu non accuratius definito; veri simile est sacerdotes eas antehac considerasse ut rem suam. v. 21 « *Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo foederis* », v. 22 « *ut non accedant ultra filii Israel ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum* ». Pro *ut non* potes

etiam vertere *et non*, solam sequelam exprimens, non primariam intentionem. Levitae soli pro eo ministerio remunerantur : aequum igitur est, ut ipsi soli illud praestent. Hoc novum argumentum praeter alterum, quod est gravius, eos solos a Deo ad hoc ministerium esse deputatos; in cultu enim Dei positivo ei soli ad ministerium sacrum accedere fas est, qui a Deo ad id deputatur. Hac lege servata effugient utique aliarum tribuum homines violentam mortem, qualis 16,35 infligebatur : v. 23 « [*solis*] » — quae vox aptissime inseritur — « *filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus et portantibus peccata populi* ». Pro qua voce *Hebr. eorum*, quod potest quidem ad populum referri, sed melius cum *Cai., Vat.* refertur ad ipsos levitas : portent ipsi soli (cum sacerdotibus v. 1) *peccata sanctuarii*, non implicent illis aliarum tribuum homines. « *Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris* ». Cf. v. 8. 11. 19. *Et in medio filiorum Israel* « *nihil aliud possidebunt* » (cf. Deut. 18,1), « *decimarum oblatione contenti*, *quas* [*in usus eorum et necessaria*] *separavi* ». Cf. *Hebr.*

Notat *Cai.*, liberaliter egisse Deum cum levitis, illis attribuens proventuum partem decimam, quibus, si aequo iure cum ceteris tribubus haberentur, sola pars decima tertia cessisset. Tum temporis secundum Num. 26 erat certe tribus Levi ceteris tribubus minus numerosa. Pluribus *Bonfr.* exponit, quam liberaliter Deus tam cum levitis quam cum sacerdotibus egerit. Volebat sacrorum ministros modesta frui opulentia, curis rerum temporalium non opprimi, a sordibus avaritiae remotos cultiorem agere vitam.

4. *Lex de decimis decimarum a levitis sacerdotibus pendendis Num.* 18,25-32.

Arg. — Levitae sacerdotibus pendent decimas decimarum, tradentes optima quaeque decimarum. Reliquis libere utentur.

v. 25 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 26 « *Praecipe levitis atque denuntia : Dum acceperitis a filiis Israel decimas, quas dedi vobis* » *de ipsis in possessionem vestram* (v. 21), « *primitias* », seu verius *elevationem*, oblationem « *earum offerte Domino*, [*i. e.*] *decimam partem decimae* », v. 27 « *ut reputetur vobis in oblationem* [*primitivorum*] ». Praeter sacerdotes, qui Iahvae quodammodo sunt commensales, unusquisque oblationem offerat necesse est, dona proferat, tributum pendat : aliarum tribuum oblationes sunt decimae, levitarum decimarum decimae. Probanda sequentis sententiae interpunctio, quam prae *Masor.* nostra *Vulg.* habet. « *Tam de areis quam de torcularibus* » v. 28 « *et universis, quorum accipitis primitias* »

seu verius *decimas*, « *offerte Domino et date Aaron sacerdoti* ». Sed *Hebr.* comparationem habet : *sicut frumentum de area et abundantiam de torculari* pendunt reliquae tribus (*Cai.*), quae areas et torcularia, agros et vineas habent, *ita vos etiam offeretis oblationem Domino etc.* « Decimae enim datae vobis sunt tamquam area et tamquam torcular vestrum » (*Cai.*).

Dantur haec *Aaron* ut *pontifici*, quia decimae omnes dantur Iahve per manus sacerdotis. Dantur ei probabilius, non ut sibi soli reservet sed ut reliquis sacerdotibus distribuat (*Cai.*, *Lap.*), sibi ipsi fortasse attribuens largiorem portionem (*Bonfr.*). Atque ita certe factum est aevo mosaico, quo omnes sacerdotes una erant familia : pater, filii, nepotes. Tamen textus non est omnino clarus, neque dirimitur verbis *Ios.* rem obiter attingentis, « levitas decimarum quotannis a populo acceptarum decimas ipsis impertivisse », sc. sacerdotibus. Usus, qui Iosephi tempore observabatur, non est necessario accipiendus tamquam loci Num. 18,28 literalis commentarius. Patebat hic fortasse aditus quidam posteriorum pontificum avaritiae. — *Tornellius* aliique (ap. Bonfr.) censebant, primum decimas aequaliter esse divisas tam sacerdotibus quam levitis, dein levitas decimarum sibi attributarum decimas solvisse sacerdotibus. Rem non dirimit 2 Esdr. 10,38 (39) neque *Ios.* per transennam scribens, « populum decimas solvisse levitis et sacerdotibus » ; imo vox « levitis » praemissa voci « sacerdotibus » innuere videtur, ex mente Ios. decimas magis spectasse ad levitas quam ad sacerdotes. Contextu inter v. 8-19. 20-24.25-32 videtur utique effici, praeter decimas decimarum nihil decimarum accepisse sacerdotes; cf. v. 8 *dedi tibi* et v. 21 *filiis Levi dedi.*

v. 29 « *Omnia, quae offeretis ex decimis et in donaria Domini separabitis, optima et electa erunt* ». Sed *Hebr. : De omnibus donis vestris offeretis oblationem Domino, de omni adipe eius,* i. e. *totius* doni, *sanctificata eorum de ipsis.* Ergo debebant levitae pendere sacerdotibus decimas primum *omnium,* quas ipsi percipiebant decimarum, et de quibusque debebant pendere *ea, quae lectissima erant* (cf. ad v. 12), non « quia est portio sancta » (*Cai.*), secus enim decimae omnes debuissent ob eandem hanc rationem esse ex lectissimis, contra Lev. 27,32 sq.; sed vox *sanctificata* est appositio ad vocem *oblationem.* Decimae decimarum erant autem duplici titulo *sanctae,* primum quod ab aliarum tribuum hominibus penderentur Iahve, et praeterea quod a Iahve levitis concessae ab his rursum penderentur Iahve, ab eo tandem sacerdotibus permittendae. v. 30 « *Dicesque ad eos : Si* [*praeclara et*] *meliora quaeque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area et torculari dederitis primitias* », seu verius *proventum.* Idem edicitur atque v. 27 sq. v. 31 « *Et comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quam familiae vestrae* ». Non certus locus (cf. v. 10) praescribitur, servitii quippe merces arbitrio subest servi (*Cai.*) : « *quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo*

testimonii ». v. 32 « *Et non peccabitis super hoc* », i. e. comedentes decimas quae Iahvae sunt, « *egregia vobis* [*et pinguia*] *reservantes* », seu verius *offerentes adipem de eo*, potissima omnium decimarum, « *ne polluatis oblationes filiorum Israel et moriamini* ». Verte : *et non polluetis etc. neque moriemini.* « Ex decimis siquidem datis levitis a filiis Israel dare minus bona Deo in decimam decimae, est polluere sanctificationes filiorum Israel relative ad Deum, dum melius servatur levitis et minus bonum datur Deo » (*Cai.*).

V. LEGES DE AQUA LUSTRALI NUM. 19.

Ios. narratae primum Mariae morti subiungit hunc ritum, quem primum occasione eius mortis adhibuerint Hebraei ac postea permanentem fecerint. Haec gratuita prorsus asseruntur. Ritus aquae lustralis probabilius in stirpe electa Moyse exstitit longe antiquior (v. i.). Pulchre etiam immunditia funere contracta removebatur cinere aquae immixto, revocabatque in memoriam antiquum illud Gen. 3,19 : « pulvis es et in pulverem reverteris ». Potuit autem multiplici etiam superstitioni ille ritus ansam dare; potuit illis cineribus virtus attribui ad quosvis favores a numine extorquendos, quaevis mala repellenda. Crediderim igitur legem a Moyse promulgatam esse inter acta cap. 16-18 et acta cap. 20, esseque eo praecise tempore promulgatam fortasse ideo, quod tum variae superstitiones latius serperent.

Lev. 1,1-6,7 (5,26) habebamus varias leges antiquiores ritum variorum sacrificiorum enarrantes, quibus 6,8-7,21 subnectebantur plures *thorae,* quae praecedentes leges complebant. H. l. habemus *thoram*, uti crediderim, recentiorem annexam *statuto* (חקה) antiquiori; unde hoc statutum v. 2 scribitur חקת התורה, *statutum quod sequens thora praesupponat.*

Illud *statutum perenne* (v. 10) fuse describit v. 1-10 ritum sacrificii vaccae rufae; cui aliquis fortasse Moyse antiquior adscripsit appendicem v. 11-13 cinerum usum restringens ad removendam immunditiam funere contractam. Moyses porro, adscriptis item vocibus *thora perennis* (v. 21), eam restrictionem accuratius definivit v. 14-21[a], adiecitque appendicem v. 21[b]. 22 omnem alium eorum cinerum seu aquae lustralis usum inhibentem. Fortasse eo etiam Moyses serpentes superstitiones repressit, quod immolationem vaccae rufae ad veri sacrificii dignitatem evexerit (v. 9 חטאת הוא), et coram nobilissimo (v. ad v. 1) sacerdote peragendam iniunxerit.

1. *Ritus aquae lustralis conficiendae Num.* 19,1-13.

Arg. — Describitur sacrificium vaccae rufae, cuius cineres aquae commixti eam habebant virtutem, ut foedatos cadaveris attactu mundarent, mundos polluerent. Eius usus ad unicam illam immunditiam

removendam severe praescribitur. Sacrificium hoc crediderim toties offerri consuevisse, quoties cinerum copia deficeret. Ex Hebr. 9,13 intulerim, illud S. Pauli etiam tempore minime abiisse in desuetudinem, licet eius in s. Scriptura non habeatur mentio.

Cap. XIX v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron dicens* » : v. 2 « *Ista est religio victimae, quam constituit Dominus. Praecipe filiis Israel, ut adducant ad te vaccam rufam* [*aetatis*] *integrae, in qua nulla sit macula, nec portaverit iugum* ». *Ad te :* ad Moysen, inquit *Keil;* sed cum lex sit observanda etiam defuncto Moyse, qui non est habiturus successorem, verius dicemus vaccam adducendam fuisse ad pontificem, et sequentis verbi *tradetis* subiectum erit pontifex et filii Israel. Agitur hic de ritu solemniori. Non privatus aliquis, sed totus populus, filii Israel proferebant vaccam; sistebant pontifici; hic, quod ille ritus v. 7 aliquam adiunctam habebat impuritatem legalem, a qua Lev. 21,11 cavendum erat pontifici etiam magis quam ceteris sacerdotibus (*Bonfr.*), cum populo vaccam tradebat ei sacerdoti (*Eleazaro*), qui sibi dignitate proximus esset. An fortasse voces *ad Moysen et* serius in v. 1 irrepserunt? — Potius omitte *aetatis,* et *integram* (cf. Ex. 12,5; Lev. 1,3 etc.) intellige de carentia cuiusvis defectus (*LXX* ἄμωμος), ut vox sequentibus vocibus *in qua nulla est macula* explicetur. Praescribitur *bos,* pecus maioris molis quodque in maiorem cinerum molem dissolvatur (*Dillm.*). Victima *femella* etiam secus usuvenit in illis ritibus, qui purificationem sapiunt : Lev. 4,28. 32; 5,6; 14,10; Num. 6,14. Verum cur *rufa?* Licet S. Paulus Hebr. 9,13 hanc vaccam comparet Christo patienti, audacius tamen *Aug.* colore rufo ait praefigurari sanguinem Christi. Haec certe non unica eius coloris exigendi ratio. *I. Spencerus* (De legibus Hebraeorum ritualibus II. 26 p. 489 sqq., Tubingae 1732) appellat Aegyptiorum morem, Typhoni deo Osiridis inimico litantium victimas rufas. Cf. *Calm.* Quodsi hic mos non specie tantum affinis sit ritus Num. 19, repetendi ambo erunt e patriarcharum aevo, quando homines rufo quorumdam animalium colori sinistram aliquam significationem adnexuerint. « Remedium hoc », inquit *Dillm.*, « eius est indolis, ut nequeat fingi serius esse excogitatum, sed concedendus sit auctor scriptis consignasse antiquum morem ». — Etiam Deut. 21,3 (cf. 15,19) requiritur vitula, *quae non portaverit iugum :* sc. quod usui sacro attribuitur, id nulli antea profano usui inservierit oportet. Cf. *Ps. Ion.*

Pro התורה *Vulg.* habet *victimae.* Videtur vocem accepisse eo sensu, quem in linguis aram., syr., chald. habet : *vacca* = hebr. שור. Sed eum sensum vox non habet in lingua hebraea.

v. 3 « *Tradetisque eam Eleazaro sacerdoti, qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium* ». Sensum assecuti sunt *LXX* vertentes pluralem *educent, immolabunt;* alii quippe quam Eleazar haec faciunt, ad quem refertur suffixum *in conspectu eius.* v. 4 « *Et tingens digitum* » *Eleazar* « *in sanguine eius, asperget contra* [*fores*] *tabernaculi* » *testimonii* « *septem vicibus* », uti Lev. 4,6. 17 in sacrificio pro peccato pontificis vel totius populi. Asperget autem *versus faciem* tabernaculi, procul ab illo orientem versus constitutus. v. 5 « *Comburetque eam* » aliquis (cf. v. 8) « [*cunctis*] *videntibus* », — *eo vidente* (cf. v. 3), sc. Eleazaro, qui ipse testis aderit rei rite peractae — « *tam pelle et carnibus eius, quam sanguine et fimo flammae traditis* ». v. 6 « *Lignum quoque cedrinum et hyssopum coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quae vaccam vorat* ». Eaedem res adhibebantur ritui mundationis leprae in homine vel domo Lev. 14,6. 49 : at ibi efficiebant aspergillum (*Bonfr. :* cf. v. 18) ad aspergendum sanguinem, hic vero aspersio videtur facta esse v. 4 *digito :* an ergo haec vox cum *LXX* omittenda? Potuit recentior aliquis scriba, qui usum illarum trium rerum iam non perspiceret, eam vocem adscribere. v. 7 « *Et* [*tunc demum*], *lotis vestibus et corpore suo, ingredietur in castra commaculatusque erit usque ad vesperum* ». v. 8 « *Sed et ille, qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua et corpus, et immundus erit usque ad vesperum* ». Ergo huius cineris attactus mundos foedabat, immundos mundabat : volebat sc. Deus, ut hic cinis solum ad removendam immunditiam legalem adhiberetur, non, uti nostra aqua benedicta, ad sanctos magis sanctificandos. v. 9 « *Colliget autem vir mundus cineres vaccae, et effundet eos extra castra in loco purissimo* », *Hebr. mundo,* — cinis ille aspersus nonnisi semel mundandi virtutem habebat, postea amittebat : ergo si ab immundo vel in locum immundum delatus fuisset, gestatorem vel locum mundasset, sed virtutem ulterioris mundationis amisisset — « *ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam* [*et*] » — hanc copulam omnes ignorant — « *in aquam aspersionis :* [*quia pro*] *peccato* [*vacca combusta est*] ». In fine soli *LXX* secundum ל ignorant. Vertendum : *reservabitur pro* (praeparandis) *aquis lustralibus : hoc est pro peccato.* Ergo cum ultimae voces exprimant *sacrificium* pro peccato (Lev. 4,21. 24; 5,12), ritus Num. 19 declaratur esse sacrificium, licet nihil *victimae* (Vulg. v. 1) altari imponatur et sanguis procul tantum aspergatur. v. 10 « *Cumque laverit, qui vaccae portaverat cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc* » — v. 11-13 — « *filii Israel et advenae, qui habitant inter eos,* [*sanctum*] *iure perpetuo* » : v. 11 « *qui tetigerit cadaver*

hominis », non bestiae, « *et propter hoc septem diebus fuerit immundus* », v. 12 « *aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari* ». v. 13 « *Omnis, qui tetigerit humanae animae morticinum et aspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculum Domini* » (cf. Lev. 15,31), « *et peribit ex Israel* » morte civili, postquam tabernaculum ita ingressus est : ergo ob solum illum ritum arcetur a sacris, quoad illum ritum suppleverit, quod sane etiam post diem septimum fieri poterat, addito fortasse sacrificio pro peccato. « *Quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit et manebit spurcitia eius super eum* ».

2. *Ritus aquae lustralis adhibendae Num.* 19,14-22.

Arg. — Legitimo generaliori v. 1-13 adnectitur thora specialior describens *primo,* pro quorumnam mundatione haec aqua lustralis adhibenda sit v. 14-16, *secundo,* quo ritu lustratio sit peragenda v. 17-19, et *tertio,* quam stricte haec thora sit observanda v. 20. 21[a]. Adscribitur appendix v. 21[b]. 22 de iis qui, cum hac aqua lustrali pro se ipsis non indigeant, illam tamen attigerint. — Incipit thora absolute vocibus אדם כי, tertius articulus vocibus ואיש אשר (cf. CEL p. 22).

Adhibenda est aqua lustralis ad removendam immunditiam contactu cadaveris humani contractam. Distinguitur casus hominis demortui in tabernaculo sive suo sive alieno, quo in casu lustranda sunt omnia, quae tabernaculum ingrediuntur vel in tabernaculo sunt; et casus cadaveris in agro reperti, ubi lustrandus qui illud tetigerit.

v. 14 « *Ista est lex hominis, qui moritur in tabernaculo* ». Porro pro *omnes qui* placet vertere *omnia quae*, statuitur quippe axioma plane generale, cuius v. 15 aliqua adiicitur limitatio : « *Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, et universa* [*vasa*] *quae ibi sunt, polluta erunt septem diebus* ». v. 15 *Et omne* « *vas*, *quod non habuerit operculum nec ligaturam desuper, immundum erit* ». Ergo id, quod vase continetur habente operculum non impositum solum sed vasi affixum, neque polluitur. *Sam. Vulg.* ante פתיל habent copulam. v. 16 « *Si quis in agro tetigerit cadaver occisi* » *gladio* « *hominis, aut* [*per se*] *mortui, sive os illius vel sepulcrum, immundus erit septem diebus* ».

Sequitur ritus. v. 17 « *Tollentque de cineribus combustionis* », vaccae combustae, « *atque peccati, et mittent aquas vivas super eos in vas* »; v. 18 « *in quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum* », aspergillum, « *asperget ex eo omne tentorium et cunctam supellectilem et homines huiuscemodi contagione pollutos* », — post supellectilem

Hebr. : et omnes homines, qui fuerint ibi (in tentorio), *et eum, qui tetigerit os aut occisum* (gladio) *aut* (per se seu sponte, non violenter) *mortuum aut sepulcrum* — v. 19 « *atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio et septimo die; expiatusque die septimo lavabit et se et vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum* ». *Hebr. : et expiabit* mundus immundum *die septimo;* ita absolvetur purificatio eius, qui immunditiam contraxerit ex cadavere, itemque tentorii et vasorum. At quodnam subiectum sequentium? Subiectum mutant *Vat.* aliique : is, qui immunditiam contraxit ex cadavere, praeter duplicem lustrationem lavabit se aqua ordinaria. Verum, cur eiusmodi lotio vel aspersio non etiam adhibetur tentorio vasisque? Potest igitur retineri idem subiectum : ille mundus, qui aquam lustralem alteri aspergens contraxit immunditiam (v. 21 et cf. v. 10), lavabitur et ipse.

v. 20 repetit v. 13 succinctius et nervosius : « *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus* », — *Hebr. : si quis immundus ex contactu cadaveris non est expiatus* aqua lustrali — « *peribit anima illius de medio ecclesiae* » morte civili; « *quia sanctuarium Domini polluit, et non est aqua lustrationis aspersus* ». *Hebr. : aqua lustrationis non est aspersus, immundus ipse.* In deserto, ubi universa castra erant in conspectu tabernaculi seu sanctuarii, inerat neglectis purificationis ritibus specialis in tabernaculum irreverentia. v. 21 « *Erit hoc praeceptum* » *vobis* « *legitimum sempiternum* ». Cf. v. 10.

Levior est expiatio contactus mediati quam immediati. « *Ipse quoque, qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua* » (cf. v. 10), non etiam carnem (cf. v. 8); « *omnis, qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum* », et ad eam immunditiam removendam lavabit carnes et vestimenta (cf. v. 8. 19). v. 22 « *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet; et anima, quae horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum* ». Sed hae erunt immunditiae ordinariae, non abluendae aqua lustrali. *Immundus* certe intelligitur is, qui aquam lustralem sive immediate sive mediate attigit : an ille etiam, qui e cadavere immunditiam contraxit nondum aqua lustrali sublatam?

VI. ACTA PROPE CADES NUM. 20,1-13.

Nomen *Cades* seu *Cades Barnea* sensu scribitur modo arctiori modo latiori. *Sensu arctiori* nomen est *urbis*, cuius mentio habetur h. l. v. 16 (cf. v. 14). Urbs item a deserto discernitur v. 1. Urbs exprimi credenda est, ubi agitur de situ fontium quorumdam accuratius definiendo Gen. 14,7; 16,14, qui textus illud etiam efficiunt, urbem aquae

inopia nequaquam laborasse. Cf. quae dicebamus ad Gen. 14,7. Sed nomen sumitur etiam *sensu latiore* pro universa circa illam urbem regione. Num. 32,8; Deut. 1,19; 9,23; Ios. 14,6 sq. dicuntur exploratores missi esse de Cades, qui revera Num. 13,1. 27 mittebantur de deserto Pharan Cadesam versus. Sensu latiore habet 33,36 : « venerunt in desertum Sin, haec est Cades »; etenim urbs certe non erat desertum. Eodem sensu dicuntur Hebraei Deut. 1,46 morati esse in Cades longo tempore, et 2,14 dicitur eorum peregrinatio ab initio commorationis in Cades usque ad transitum torrentis Zared fuisse 38 annorum. Sc. vastus ille exercitus non potuit longiori tempore totus eodem loco permanere. Etiam, quando Hebraei versabantur 33,49 in castris, quae de Bethsimoth usque ad Abelsatim pertingebant, Iosue cum pluribus versabatur prope fines Ammonitarum (cf. ad 31,6), alii regiones, quae fuerant Sehon et Og, obtinebant. Aquae item Contradictionis seu Me Meribah (20,13. 24; Deut. 33,8; Ps. 80 [81], 8; 105 [106], 32) scribuntur fuisse in Cades (Ez. 47,19; 48,28), sed nomen hoc sumendum est latiori sensu, cum quod urbs aquis abundaret, tum quod Num. 27,14; Deut. 32,51 nomini *Cades* adscribatur *in deserto Sin*, ad situm non urbis Cades notissimae, sed aquarum illarum determinandum, ut hae intelligantur fuisse non in ipsa urbe, sed in deserto urbi adiacente.

Sensu tandem latiore crediderim nomen Cades intelligi, quando sermo est de diuturna in Cades commoratione. Tres sc. tota Hebraeorum ex Aegypto migratio habuit diuturniores commorationes : post egressum ex Aegypto *commorationem ad montem Sinai*, post adventum prope limitem australem Chanaanitidis *commorationem in Cades*, post adventum ad ripam Iordanis *commorationem in campestribus Moab*. Dicuntur igitur Hebraei Deut. 1,46 mansisse in Cades longo tempore; Deut. 1,2 profecti esse undecim diebus de monte Sinai, in directione montis Seir, usque Cades Barnea (cf. Num. 13 sqq.); traduntur Deut. 2,14 a Cades Barnea, i. e. ab initio commorationis ibi factae, usque ad transitum torrentis Zared fluxisse anni 38.

1. *Mariae funus Num.* 20,1.

Cap. XX v. 1 « *Veneruntque filii Israel*, [*et*] *omnis multitudo, in desertum Sin, mense primo, et mansit populus in Cades* ». Bene appositio adscribitur *omnis multitudo* : uniti advenere, mox discordiis separandi; una omnes funus celebravere. Textus primitus utique habebat non solum *mensem*, sed *annum*. Cum *Ios.* censent plures agi de anno 40°, cui 33,38 item tribuitur mors Aaron : ratio infirmior.

Cum Hebraei Deut. 1,46 manserint in deserto Sin et in Cades « multo tempore », cumque mors Mariae eorum ib. adventui continuo adscribatur, tutius affirmabis eam non ita diu post adventum vita functam esse. Mariam, quae eadem atque Ex. 2,7 creditur esse soror, pluribus ante Moysen annis supremum diem obiisse, quis miretur? Si perpendas, quam continua inde ab initio Exodi fluxerit narratio, suspicaberis textum primitus habuisse annum *tertium* (*Proc.*). Quem putaverim non casu excidisse, sed consilio esse suppressum, quo tegeretur lacuna, de qua infra disseremus. Quodsi enim 20,1 legebatur annus tertius, et 20,14 ordiebatur narratio eorum, quae resumptum iter immediate antecesserant, patebat omnium oculis illa lacuna, deficiebant evidenter 37 annorum acta : obscurato 20,1 anno tertio suboriebatur lectori dubium, an non aliqua eorum, quae inde a cap. 15 referuntur, iisdem 37 annis essent attribuenda. « *Mortuaque est ibi Maria et sepulta in eodem loco* », cuius luctm 30 diebus (cf. v. 30 et 12,15) celebratum esse affirmat *Ios.*

Hic igitur luctus inchoat luctuosae illius periodi historiam, quam claudit luctus alter, Aaronis. Sephora Aethiopissa quando mortua sit, nescimus. Frangebatur animo quondam Moyses in Mariae obloquio 12,3, frangebatur nunc in carae sororis funere, infantiae custodis. Obscurati erant oculi tot magnalium Iahve testes, silebant labia prophetiae charismate consecrata; quae sociae fuerant epinicii mulieres iam luctum edebant. Quam laetam spem conceperant Maria et Moyses traiecto Mari Rubro, quando Iahve tam magnifice opem tulerat populo suo, quando uno ore populus Iahven suum profitebatur Deum! Brevem tum opperiebantur per desertum peregrinationem, faustum in terram promissam ingressum, honestam in eadem senectutem. Nunc morte eripitur Maria longo 38 annorum exsilio : Moyses magis solus, quam antea fuisset (cf. 11,14), annis reservabatur multis et malis. Non defecerant inde a transitu Maris Rubri divinae omnipotentiae et longanimitatis argumenta, aquae portentis elicitae, manna liberaliter submissum, dux fuerat Iahve in misericordia populo, quem redemerat (Ex. 15,13) : sed neque defecerant durae populi cervicis argumenta. Silebant inter luctum murmura, sed hominum mentibus inhaeserant suspiciones, aversiones, odia, qui sibi viderentur veluti capitis damnati sententia e Moysis ore profecta. Praesentiebat novas turbas Moyses, quibus iram Iahve essent provocaturi. Quousque Iahve perlaturus erat hunc durae cervicis populum, qui bis iam (Ex. 32,10; Num. 14,12) toti populo interitum denuntiavisset, Moysis intercessionibus se demulceri passus esset? Non addubitabat Moyses Iahve potentiam absolutam, cuius tot norat argumenta, sed dubium illi forte erat

quoad potentiam ordinatam, annon id aliquando Deus suae concessurus esset sapientiae et iustitiae, ut populum pervicacem penitus abiiceret. Deprimebatur ipse animo (cf. 12,3), neque iam erat ad intercedendum pro populo aeque alacris, atque pridem.

2. *Seditio ad Me Meribah Num.* 20,2-13.

Arg. — Populo propter aquae inopiam murmurante, iubet Deus Moysen et Aaronem, ut virga aquam e petra eliciant. Moventur illi diffidentia aliqua, sitne Deus toties repetitam populi contumaciam condonaturus : quare primo virgae ictu aqua non elicitur. Secundus elicit, sed post portentum Moysi et Aaroni diffidentiae poenam indicit Deus, eos terram promissam non esse intraturos. Ab eventu loco nomen inditum est.

Hunc eventum perperam censet *Cai.* eundem esse, qui Ex. 17 narrabatur. Verum ille locum habuit in Raphidim, hic prope Cades. Unicam rationem affert Cai., eos qui v. 5 loquantur ipsos fuisse in Aegypto, horum vero nullum superstitem fuisse anno 40°, ergo narrari iterum eventum Ex. 17. At nos eventum attribuimus anno ab exodo 3°; praeterea, cur non « primo mense » anni 40^{i} superfuerint adhuc plures ex iis, qui in Aegypto fuissent? eorum praesertim, qui tempore editi decreti 14,29 nondum explevissent annum vitae 20um?

v. 2 « *Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversum Moysen et Aaron* », v. 3 « *et versi in seditionem dixerunt : Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino!* » Ubi *Proc.* cogitat plagam coturnicum 11,33, *Cai.* plagam 14,37. 45, melius *Bonfr.* diversas plagas et seditiones simul. v. 4 « *Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem, ut et nos et nostra iumenta moriamur?* » v. 5 « *Quare nos fecistis ascendere de Aegypto et adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit nec vineas nec malogranata, insuper et aquam non habet ad bibendum?* » Hos duos viros solos reprehendunt; non se ipsos, qui Iahve indignationem peccatis incurrerint; non Iahven, quippe qui illis viris nihil fuisset denegaturus. v. 6 « *Ingressusque Moyses et Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum foederis corruerunt proni in terram* », — *Hebr. : de multitudine secesserunt ad ostium tabernaculi.* Sequentia certe spuria sunt et in sola *Vulg.* habentur (cf. *Verc.*) : « [*clamaveruntque ad Dominum atque dixerunt : Domine Deus, audi clamorem huius populi, et aperi eis thesaurum tuum fontem aquae vivae, ut satiati cesset murmuratio eorum*] ». — « *Et apparuit gloria Domini super eos* ».

v. 7 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 8 « *Tolle virgam* » — merito *LXX* addunt *tuam*, non Aaronis; illam sc., qua

miracula in Aegypto et in Raphidim patrata fuerant, quamque e v. 9 discimus in sanctuario fuisse asservatam. Virga illa quondam pastoris (Ex. 4,2) evaserat auctoritatis propheticae et legiferae insigne, nullo nomine (Num. 17,2) sed Dei veluti portentis inscripta; Moysi et populo firmioris fiduciae, imo divinae praesentiae futura erat argumentum, secundum illud Ex. 17,6 : « En ego stabo ibi coram te supra petram » (*Proc.*) — « *et congrega populum, tu et Aaron frater tuus, et loquimini ad petram coram eis* », « non quod petra esset capax audire vel intelligere, sed ut vis miraculi ipsaque nominis Dei invocatio magis appareret » (*Sylv.*), « *et illa dabit aquas* », quod membrum etiam verti potest *ut illa det aquas. Hebr. suas*, e quo suffixo audacius infert *Cai.*, illam rupem fuisse « locum generativum aquarum » ; nihil affirmatur de naturali indole loci, neque hic magis quam Ex. 17 (CEL p. 180) dicitur natus esse fons perennis (*Lap.*). « *Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo et iumenta eius* ».

v. 9 « *Tulit igitur Moyses virgam, quae erat in conspectu Domini, sicut praeceperat ei* », v. 10 « *congregata multitudine ante petram, dixitque eis* » nomine suo et Aaronis (*Sylv.*), non enim poterant una ambo loqui, et tamen ambo postea pro dictis puniuntur. Ceterum possunt etiam verba v. 10 breviario longiorem referre sermonem, verba prolata atque retorta. « *Audite rebelles* [*et increduli*] ». Ita eos ob iteratas rebelliones alloquitur Moyses (*Lyr.*). « *Num de petra hac vobis aquam* [*poterimus*] *eiicere?* » Particula latina *num* responso praeludit negativo potius quam affirmativo : sed in textu hebraeo quaestio anceps est (*Lyr.*), ut merito de ea per se et praeter contextum spectata affirmet *Aug.* (ad 11,21-23) : « poterant excusari verba Moysi, nisi in eum clara esset divina sententia, quod diffidendo talia dixerit ». v. 11 « *Cumque elevasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressae sunt aquae largissimae, ita ut populus biberet et iumenta* ». v. 12 « *Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis* ». Id Deum dixisse *iratum* per se patet, et explicite affirmatur Deut. 1,37 ; 3,26 ; ubi etiam Deus Moysi postmodum (Num. 27,14) petenti, ut condemnatio revocetur, respondet : « Sufficit tibi ; nequaquam ultra loquaris de hac re ad me ». Deum *sanctificare* est eius sanctitatem declarare, verbis et factis. Non declaratur Dei sanctitas, quando alicui eius perfectioni aliquid detrahitur, quando ei fides denegatur, multitudo misericordiae eius ignoratur, eius priora magnalia parvi penduntur etc. Hinc merito 27,14 etiam *populus* in hoc eventu dicitur non sanctificasse Deum : « quando contumacia deliquit ecclesia quoad sanctificandum

me in aquis in oculis eorum ». v. 13 « *Haec est Aqua Contradictionis, ubi iurgati sunt filii Israel contra Dominum, et sanctificatus est in eis* ». De eodem nomine Meriba Ex. 17,7 copulato nomini Massa cf. CEL p. 181. Deus, Moysis et Aaronis infidelitatem coram populo puniens, *sanctificatur in eo*, suam ipse sanctitatem manifestat. Ceterum Moysen et Aaronem Deum non sanctificasse effertur etiam in textibus parallelis 27,14 et Deut. 32,51, appellato simul loci nomine Cades; quo veri simillima evadit opinio *Bonfr.*, in repetita *sanctificandi* voce latere allusionem ad nomen *Cades*. Sc. hoc supremi momenti factum, quo altius momoriae inhaereat, intexitur nomini loci tamquam adiumento mnemoneutico (cf. CG p. 14 sqq.; CEL p. 2).

De peccato Moysis disputaturi primum aliquas nugas expediemus. Illud *Proc.* cernebat in eo, ut Moyses veluti ex virtute propria elicuerit aquam (« poterimus » v. 10). Secundum *Cai.*, *Tost.* iussus v. 8 petram alloqui, alloquitur populum; non solo alloquio, sed virgae ictu elicit aquam, ictu non uno sed geminato. Quae omnia inobedientia potius essent (*Bonfr.*) quam infidelitas (v. 12). Cum priora virgae portenta omnia virgae *ictu* fuerint patrata, merito Moyses verba « tolle virgam » interpretatus est de petra virga percutienda. Non omnia narrat scriptura : forte petram etiam allocutus est Moyses. Ni fecit, perinde est. Pauci aliqui rimati sunt, admiseritne Moyses grave peccatum; nihil de hac re habet scriptura; nihil inferri potest ex gravi inflicta poena : in viro eximio totiusque populi duce et legislatore merito potuit Deus gravi poena plectere illud, quod in alio nullam aut levem poenam tulisset; idque eo magis quod agatur de poena temporali, quam aliis gratiis compensare potuit Deus, quaeque infligebatur non ob reatum tantum, sed ob totius populi et posterorum omnium eruditionem.

Textus difficultatem non habet, sed contextus. Uti in ipso limine deserti Sinai habebatur portentum in Raphidim, aqua ictu virgae e rupe elicita, quando populus tentaverat Deum, ita in limine 38 annorum, quibus Israel in desertum relegatur, prostat portentum alterum aquae e rupe ictu virgae elicitae : tamen hac vice non solus populus, sed imo Moyses et Aaron tentant Deum. Istae duae narrationes sunt veluti porticus duae unius sanctuarii aditum dividentes, similes sed non eaedem, uno consilio sed non uno loco exstructae. Ipsum nomen Meriba, quod et Ex. 17,7 et Num. 20,13 legitur, similitudinis index est, non identitatis. Auctor sacrae narrationis certe has duas narrationes lectori proposuit ut diversas; qui vero sola earum similitudine seducti eas confundunt interpretes, ii auctoris consilium se ignorare produnt. Verum, si tanti in sacra narratione momenti est hoc fatale Moysis peccatum, nonne hoc peccatum oportuit distincte narrari? Iamvero, hoc peccatum quale fuerit, magna est et semper fuit inter interpretes disceptatio.

Hoc igitur peccatum non fuit in sola Moysis mente, sed *externum*,

cum Deut. 32,51 tradatur commissum esse « in medio filiorum Israel », ergo sane publice et cum scandalo (*Bonfr.*). Describitur generatim Num. 27,14 ut « contumacia contra os Domini » et Deut. 32,51 ut « praevaricatio »; ubi conferas, quae CEL p. 376 dicebamus de significatione verbi מָעַל. Specie h. l. peccatum traditur fuisse *infidelitatis : non credidistis.* Vocis sensum accuratius definiemus e Ps. 105 (106), qui v. 32 sq. peccatum hoc Moysis his describit : « Ad iram provocaverunt me ad Aquas Contradictionis, et male actum est cum Moyse propter illos, quia contumaces fuere contra spiritum eius », sane Moysis, non enim est ratio mutandi subiecti, « et *vane locutus est* in labiis suis ». Fuit ergo infidelitas certe in verbis : contumaces fuere Hebraei in Deum et in Moysen Dei legatum, qua contumacia abreptus est Moyses, ut verba vana, stulta, a fide aliena proloqueretur. Evolvit autem psaltes Ps. 105 pluribus exemplis ex historia Moysis petitis thesin v. 6 « peccavimus sicut patres nostri », ostendens quid pro patribus egerit Deus quidque vicissim patres egerint. Igitur v. 7-12 in Aegypto « patres nostri *non intellexerunt mirabilia tua, non recordati sunt multitudinis misericordiae tuae*, et *contumaces fuere* in litore maris, Maris Suph ». Sed a Deo ib. salvati « *crediderunt* verbis eius et celebrarunt laudem eius ». Rursum v. 13 sq. « cito *obliti sunt operis eius* » mirabilis seu mirabilium, « *non fisi sunt consilio eius* » seu amantissimae providentiae, « *tentaverunt eum* » importune petito cibo et potu ; ipse vero eis de hisce providit. v. 19-23 « *obliti sunt* Dei *salvatoris* sui, qui fecit *magnalia* in Aegypto », et confecerunt sibi vitulum aureum. Et v. 24-27, redeuntibus e Chanaanitide exploratoribus, « *nihili penderunt* terram desiderabilem » a Deo toties promissam et commendatam, « *non crediderunt* verbis eius ». Ergo *credere* potissimum constat *fiducia* auxilii futuri et bonorum promissorum obtinendorum. Fidei fundamentum hoc est, ut intelligat quis mirabilia Dei priora, etiam qua pignus sunt futuri auxilii; ut recordetur multitudinis misericordiae Dei, nec propriis delictis in pusillanimitatem abripiatur. E contra *infidelitatis* est non intelligere priora Dei mirabilia, parvi pendere promissiones, anguste sentire de divina misericordia, oblivisci Dei salvatoris, magnalium et consilii eius, hinc etiam non credere verbis eius, imprimis promissionibus.

His circumscripsimus sensum vocis *non credidistis :* applicandus iam est hic sensus nostro textui. Igitur plerique cum *Lyr.* censent, dubitasse Moysen non de omnipotentia Dei, sed de effectu : sc. de effectu secuturo vi divinae omnipotentiae non absolute spectatae sed ordinatae. Absolute pertingere divinam omnipotentiam ad hoc, ut aquam e rupe eliceret, experientia didicerat Moyses in Raphidim, ne-

que erat iam dubio locus. At poterat Moyses dubitare, annon id Deus deberet suae *iustitiae*, ut ab ignoscendis populi delictis tandem temperaret suaeque *misericordiae* limitem poneret. Monet *Lap.*, senes facilius concitari ad bilem, impatientiam, diffidentiam et pusillanimitatem. Impatientius ipse tulit hanc novam populi turbam post carissimorum suorum levitarum cap. 16 vix compositam seditionem. Cui occinerant hi v. 3. 13 : Sufficiat tibi, satis est dominationis tuae. Haeserat amaritudo animo ipsius : Satis est turbarum vestrarum, res est plane intolerabilis, ne ab infinita quidem Dei misericordia diutius ferenda. Atque haec sentiens non recordabatur ipse multitudinis misericordiae Dei, non intelligebat priora magnalia, ignorabat Dei consilium, *non credebat.*

Sed obiicit *Bonfr.*, non potuisse Moysen dubitare largiturum esse Deum aquas, quod eas se daturum Deus v. 8 absolute promisisset. Cui respondeo, Deum Gen. 49,12 absolute promisisse Iudae principatum gentium, et tamen bis Ex. 32,10 et Num. 14,12 minatum esse, velle se tribum Iuda una cum reliquis tribubus stirpitus evellere. Potuit simile quid Moyses exspectare quoad promissam e rupe aquam. Quod responsum sane planius est eo, quod suggerit *Men.*, putasse Moysen Deum v. 8 locutum esse per ironiam : an sacrosanctam illam virgam adhibiturus erat Deus ad vim addendam ironiae alicui? Verum nequaquam concedere cogimur dubitasse Moysen, essetne Deus tum aquam e rupe producturus, quod absolute promiserat Deus v. 8. Potuit ipse sentire *divinas miserationes populi contumacia esse propemodum exhaustas*, atque post unum alterumve populi delictum esse defecturas. Ita quaestio v. 10 non exprimit dubium, an hic et nunc aqua sit proruptura; sed sensus hic est : Vestra delicta abunda Deo essent ratio aquae denegandae, propter absolutam v. 8 promissionem dabit; sed cavete ne iterum eum offendatis, quia paene exhaustae iam sunt miserationes eius : proxima vice destruemini. *Ergo sufficiet defendere, Moysen tum angustius de divina misericordia sensisse idque verbis v.* 10 *expressisse, non vero expressisse dubium, utrum hic et nunc aqua esset proruptura.* Hinc explicatur insueta verborum v. 10 forma : « Non sic loqui consueverat, v. g. cum mare divideret, imo cum tam multis plagis Aegyptum verberaret. Non dixit : Num de fluviis ranas poterimus eiicere, num grandinem cum igne de coelo deponere, num Mare Rubrum in divisiones poterimus dividere? Hic exacerbatus eius spiritus paene fidem perdidit » (*Rup.*).

Cur tam severe puniti fuere viri Deo tam cari? Nonne Ex. 33 profitebatur Deus se cum Moyse conversari intimius quam cum ceteris omnibus? Nonne Num. 12 eum ceteris omnibus longe anteposuit? At, licet Moysen Deus carum habuerit prae omnibus Israelitis tum viventibus, at cariorem Moyse habebat universum Israelem, totam patriarcharum electam prolem salutem daturam mundo. Horum saluti inserviebat Moyses tantum, erat instrumentum electum : ubi ab amore Israelis defecit semel, poenam tulit nec veniam nactus est. Vere apud Aquas Contradictionis « apparuit gloria Dei », manifestatae sunt divitiae misericordiae eius in filios Abraham. Additamentum spurium ad v. 13 habet *Sam.*

Una est in textu vox maximi momenti, quam nostra explicatio nondum attigit : percussit Moyses petram *bis.* Quam vocem addititiam

esse pronuntiat *Dillm.* Verum tantum abest, ut haec vox serius adiecta sit, ut potius ipsa una nobis viam pandat, ad eventuum seriem evolvendam. Ubi suggerit *Bonfr.*, quo virorum fidem probaret, decrevisse Deum, ut ad primum ictum aqua non prodiret; hinc illos obstupefactos in fide titubasse, infirmam fidem verbis v. 10 expressisse. Sed haec explicatio gratuito quaedam effingit : primum illud Dei decretum eamque virorum tentationem. Praeterea obvius sensus narrationis v. 10 sq. hic est, ut verba v. 10 Moyses locutus sit non inter primum et secundum, sed ante utrumque ictum. Magis ex re adstruunt *Lyr.*, *Malv.*, ideo percussisse Moysen rupem secundo, quia ad primum ictum non proruperit aqua; ideo ad primum ictum non prorupisse, quia iam ante illum fide defecerint viri illi.

Eventus ita explicamus. Murmurante populo Moyses et Aaron, uti alias, coram Domino prostrati misericordiam impetravere, iussi virga aquam e rupe elicere. At non eadem, atque pridem, fide agebantur ipsi, exasperati, impatientes, neque de Deo aeque alte sentientes neque populum eodem ardore complexi. Taedebat turbarum, intercessionum, imo portentorum. Hos sensus ipsi verbis v. 10 et aliis fortasse pluribus expressere : *locuti sunt vane.* Non erat haec vegeta et ardens fides. Ubi dein Moyses *prima vice* non « tamquam ad incertum » (*Aug.*), sed valide et alacriter percussit petram, ictus effectu caruit. Cogita populi admirationem, terrorem, indignationem, castrorum perturbationem, cum virga, quae semper antehac ad nutum portenta edidisset, nullum iam effectum nancisceretur. Alii se a Iahve derelictos querebantur, alii Iahven inane numen, Moysen pseudoprophetam appellitabant. Omnia miscebantur, unico momento collabebatur duorum annorum labor. Conturbati imprimis fuere Moyses et Aaron, quorum tota iam auctoritas incerta vacillabat, vita ipsa in discrimen vocabatur. Tamen humilitas generavit admissi peccati agnitionem, agnitio compunctionem, supplicationes, poenitentiam, donec rursum ad Dei iussum coacto populo plena et pura fide Moyses percussit petram *secunda vice* et eruperunt « aquae largissimae ». Restituta Moysis auctoritas, at simul ei et Aaroni indicta poena.

Sed redit quaestio, quam supra attingebamus : cur non haec omnia narrantur distincte? cur ea e contextu et e vocula *bis* eruenda linquuntur? Dices, hic rursum observari illud, quod C E L p. 3 sqq. dicebamus, Pentateuchi narrationem virorum reverendorum peccata attingere leviter tantum et cum reverentia, non describere sed indicare; id imprimis factum esse quoad peccata sacerdotum praemosaicorum, idemque h. l. fieri quoad peccatum Moysis et Aaronis, quod ita fere dissimulet textus noster, uti Sem et Iapheth operuere

verenda patris sui. Sc. commemoratur quidem illud peccatum, quod causa fuerit mortis eorum virorum ideoque reticeri plane non potuerit : sed non describitur accuratius per partes suas et sequelas, traditur compendio verbis vix non iisdem atque aliis quibusdam locis (v. 24; 27,14; Deut. 32,51), quibus illud per transennam attingitur. Tacetur autem omnino nulloque verbo attingitur tota illa ad Aquas Contradictionis populi commotio atque peccatum, quae modo indicabamus et infra penitius rimabimur.

Quae ratio velandi illius peccati Moysis et populi utique illud explanat, cur textus, uti nunc est, illud peccatum dissimulet; eademque sane movit *Ios.,* ut acta ad Aquas Contradictionis penitus reticeret. Verum illud quaero, motusne sit hac ratione ipse narrationis primus auctor an posterior aliquis eius narrationis abbreviator : videtur quippe primus ille auctor illud peccatum dissimulare non potuisse, quod narrationem suam ita disposuerit, ut tota ad illud peccatum tamquam ad suum apicem tendat. A levi quorumdam 11,1
murmure exorsus describit universum populum carnes immoderate appetentem, Moysen impatientius agentem, illos plaga plexos, hunc in facto Eldad et Medad rubore suffusum. Haec futurarum calamitatum semina. Ob Mariae et Aaronis obloquia aequo nimis deiicitur Moyses animo. In turbis post exploratorum reditum subortis plenus rursum fidei apud Deum pro populo intercedit Moyses; verum, condemnato populo ad longum exsilium atque in deserto mortem, obtinet animos surda in Moysen veluti malorum omnium auctorem indignatio. Hinc profecta coniuratio Core, et diei proxime sequentis altera coniuratio. Paratam hic cernis vasti incendii materiam, cui scintillam applicuit eventus ad Aquas Contradictionis. Iam portentum a Deo concedendum impetraverat Moyses, iam virgam tot portentorum effectricem manu tenebat, cum se taedio vinci passus est, divitiarum divinae misericordiae immemor populum impatientius allocutus est : et ecce, deseritur illico ab ipsa veluti Dei omnipotentia, firmissimo antehac et inconcusso columine, virga pristina sua virtute destituta nullum reddit responsum quaestioni : « Estne Dominus in nobis, an non » (Ex. 17,7)? Et haec omnia primitus narrationis auctor expresserit verbis paucis et obscuris v. 9-11? Ut is peccatum Moysis distinctius enarraret, postulabat ipsum orationis argumentum, quod erat demonstrare, quantum Deus infidelitatem odio habeat : Moysis igitur non solum poena sed etiam infidelitas clare erat proponenda. Accurate Num. 13 sq. declaratur causa, ob quam populus 38 annis ab ingressu terrae promissae cohibitus est : accurate item declaranda erat causa, ob quam Moyses et Aaron ab eadem omnino exclusi sunt,

causa illa, ad quam Deus tam solemniter provocat 20,24; 27,14; Deut. 32,51. Quibus omnibus illud veri simile efficitur, habuisse textum primitus accuratiorem actorum apud Aquas Contradictionis narrationem, quae postea, uti illa de sacerdotibus praemosaicis, fuerit e textu excisa. Exstiteritne porro talis accuratior narratio et, si exstitit, cur sit e textu excisa, sequenti disputatione disquiremus.

COMMORATIO IN CADES

Narratio inde ab initio Exodi sequentia accuratius tradit eventuum tempora, quibus adscribimus itineris stationes, de quibus Num. 33 explicantes plura dicemus. I. 1. 14 est anni ab exodo *primi*, mensis *primi* dies *quarta decima;* et ita porro.

			Moyses natus annos c. 80 (Ex. 7,7)	
I.	1.	14	Primum Phase (Ex. 12,18)	
	1.	15	Exodi initium (Num. 33,3)	Stationes Num. 33 v. 3-15
	2.	15	Adventus in desertum Sin (Ex. 16,1)	
	3.	x	Adventus in desertum Sinai (Ex. 19,1)	
II.	1.	1	Erectio tabernaculi (Ex. 40,2.15)	
	1.	14	Secundum Phase (Num. 9,3)	
	2.	1	Mandatum numerandi populi (Num. 1,1)	
	2.	14	Phase a quibusdam suppletum (Num. 9,11)	
	2.	20	Resumptum iter (Num. 10,11)	v. 16-36 (fortasse postponendi v. 30-35)
III	1.	x	Adventus in Cades (Num. 20,1; Deut. 2,14)	
XL			Egressus de Cades (Num. 20,22)	v. 37-40
	5.	1	Mors Aaron in Monte Hor (Num. 33,38)	
XLI	1.	1 (?)	Transitus torrentis Zared (Deut. 2,14)	(v. 30-35?) v. 41-45
			Adventus in campestribus Moab (Num. 22,1)	v. 45-49
			Moritur Moyses c. 120 annos natus (Deut. 34,7)	

Docemur sc. pluribus Pentateuchi locis Hebraeos 40 annos in deserto esse commoratos, sed trium tantummodo annorum acta traduntur : primi, secundi et ultimi. Neque sufficiens est ratio affirmandi, aliquas stationum, quarum Num. 33 nomina tantum traduntur, illis 37 annis esse attribuendas. Affirmatur igitur annorum 37 commoratio in deserto, quorum acta nos deficiunt. Triplex eius aenigmatis offertur solutio :

1ª, noluisse auctorem illorum 37 annorum acta scribere : scribebat enim historiam foederis antiqui per Deum fundati, « in qua generatio illa, quae ob continuas suas rebelliones a Deo damnata erat, ut in deserto moreretur, locum non amplius habuit » (*R. Cornely* Introd. II. 1 p. 80);

2ª, fictitios esse illos 37 annos ideoque non habere historiam; ita Rationalistae passim;

3ª, auctorem historiam illorum 37 annorum reapse scripsisse, eam vero ex eius

libro postea esse excisam. Nos igitur concedentes, primam solutionem difficultati satisfacere et Rationalistarum efficaciter eliminare commentum, quamnam tertia solutio probabilitatem habeat disquiremus.

Non latet profecto sagacem lectorem, nobis hoc tramite incedentibus adhibendas fore *coniecturas* haud paucas. Coniecturis vel in ipso textu sacro explicando suus est locus : quanto magis in textus maiore aliqua *lacuna* exploranda et definienda! Neque totum coniecturarum late patentem campum censemus religionis adversariis permittendum esse tamquam provinciam unice suam. Aiebat *Aug.* (Retract. II. 24; *M.* 32.640) : « In quo opere plura quaesita quam inventa sunt; et eorum, quae inventa sunt, pauciora firmata; cetera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint ». Quod licuit Augustino, liceat etiam nobis. Si illud lectori persuaserimus, plura haberi in sacris paginis, quae primam Hebraeorum historiam attingant, ab interpretibus nondum satis accurate perpensa, plura hucusque e Iudaeorum traditionibus esse transumpta, quae penitius sint examinanda et severius discutienda, nequaquam nos hanc nostram operam perdidisse existimabimus.

Ubi illud primum nos circumspicere oportet, invenianturne in aliis praeter Num. libris sacris aliqua, quae illorum 37 annorum historiam attingant.

A. Textus e Deuteronomio, Amos, Iosue.

Deut. 33,8 sqq. Moyses benedicens Levi sic ait, oratione ad Deum directa :

Thummim et Urim tuum erit viro pio tuo,
quem probasti in tentatione,
quocum contendisti apud Me Meribah.
v. 9 Qui dixit patri suo et matri suae : Non curo de vobis;
et fratres suos non novit,
et filios suos ignoravit.

Quia custodierunt eloquia tua,
et pactum tuum servaverunt,
v. 10 docebunt iudicia tua Iacobum
et thoram tuam Israelem,
ponent thymiama in nares tuas
et holocausta super altare tuum.

v. 11 Benedic, Iahve, robur eius
et opus manuum eius acceptum habe,
contere femur inimicorum eius
et osores eius, ut non resurgant.

v. 8 מַסָּה cum Vulg. vertimus *tentatio*. Scribunt alii, fortasse verius. ***Massa***, nomen proprium loci alterius Ex. 17,7, ubi Moyses ictu virgae aquas e rupe elicuit; cf. Deut. 6,16; 9,22. Nihil habetur Ex. 17, unde appareat levitas ibi prae ceteris tribubus Moysi adhaesisse aut sensus generosos nostri v. 9 manifestasse. Verum ex eo silentio perperam intuleris, eiusmodi ib. reapse non esse acta. Potuere Ex. 17 primitus aliqua narrari, quae fidem levitarum illustraverint sed, quod cum actis sacerdotum praemosaicorum intimius connecterentur, fuerint expuncta. Plura de hisce dicemus in Commentario ad Deut.

Attribuitur igitur illa benedictione tribui Levi rursum pontificatus (Urim et Thummim), sacerdotium (v. 10[b]), munus docendi (v. 10[a]), et invocatur super eam specialis Iahve benedictio. Ratio assignatur haec : quia apud Me Meribah tribus Levi specialem Moysi exhibuit fidem, post turbas Num. 12. 16 constanti tandem fide illi in rebus difficillimis adhaesit. Laus ea Levi prodit, apud Me Meribah alias, ne dicam reliquas, tribus aequalem fidem Moysi non praestitisse, sed ab eo defecisse. Quod idem infero e verbis v. 9 : propinquissimi quique tribus Levi in illa tentatione defecerunt, sed Levi maluit ab illis praecidi quam officio deesse. Quod parentes, filii, fratres cuncti h. l. Levi opponantur, id fere suggerit generalem apud Me Meribah *Israelis a Iahve apostasiam*.

Quem sensum egregie confirmat Am. 5,25 sq., quem citamus secundum Vulg., cum Hebr. difficultates habeat quoad nomina deorum, quas explicare non censemus esse nostrarum partium. « Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? Et » — seu imo — « portastis tabernaculum Moloch vestro et imaginem idolorum vestrorum, sidus dei vestri, quae fecistis vobis ». Quem textum citans secundum LXX S. Stephanus Act. 7, 42 sq. ita habet : « Pervertit autem eos Deus et tradidit servire militiae coeli, sicut scriptum est in libro prophetarum : Numquid victimas et hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? nonne portastis tabernaculum Moloch et sidus dei vestri Rephan, figuras quas fecistis, ut adoraretis eas? » Quos textus attingebamus CEL p. 21. Sensus nequit esse, nulla in deserto Israelitas sacrificia obtulisse, cum plura sacrificia in deserto constet esse oblata, v. g. in consecratione tabernaculi, sacerdotum et levitarum, in mactationibus, quas omnes ritu sacrificiorum pacificorum fieri necesse erat etc. etc. Sensus interrogationis unice verus hic est : Numquid mihi sacrificia obtulistis *continuis quadraginta annis?* nonne in illis quadraginta annis fuit tempus, fuere *anni,* quibus non me coluistis, sed deos factitios? Et nota, licet fortasse textus non habeat « tabernaculum Moloch », at certe eum agere de diis *sublatis* in locum Iahve, de cultu

alieno eius cultui substituto, non de obscura paucorum superstitione sed de vera et publica *apostasia*. Quod factum S. Stephanus comparat cum apostasia Ex. 32. Illam porro non admisere necessario Israelitae omnes, sed certe magna, fortasse maior eorum pars. Non dicuntur nulla iis annis sacrificia Iahve oblata esse, sed non esse oblata a « filiis Israel » : quo non excluditur, levitas aliosve, qui tum fideles perseveraverint, sacrificia obtulisse. Verum *Israel* his sacris officiis aliquamdiu defuit. Porro eiusmodi populi apostasia non habuit locum in itinere a Sinai Cadesam, neque in itinere Cadesa ad Iordanem : ergo locum habuit in commoratione Cadesae facta, intra illos 37 annos. Est ipsa apostasia, cuius meminit Deut. 33,8 sqq.

Dicta confirmat item Ios. 5,2 sqq., ubi circumcisionis a Iosue supplendae haec affertur ratio : « Omnis populus, qui egressus est de Aegypto, mares, bellatores omnes, mortui erant in deserto in via exodi ex Aegypto. Circumcisus quippe fuerat omnis populus, qui egressus est; omnis autem populus, qui natus est in deserto in via exodi ex Aegypto, non est circumcisus ». Non sequitur e textu nullos tum fuisse circumcisos, cum expressiones generales « omnis populus » etc. interpretandae sint secundum subiectam materiam. Circumcisi tum erant omnes ii, qui tempore Num. 14,29 nondum attigerant 20um annum; circumcisi sane erant sacerdotes et levitae, qui sacra faciebant vel portabant; circumcisi fuerint non levitae ii omnes, qui in magna illa apostasia Moysis partes tuiti essent. Reliqui uti cultum Iahve (Am. 5,25 sq.), ita circumcisionem neglexerant. Iamvero omitti haud potuit horum circumcisio volente aut permittente Moyse : erat ea quippe signum foederis a Deo cum Abraham initi, quod quam studiose a Deo requireretur didicerat Moyses Ex. 4,24 sqq. periculo suo. Omissa est nolente Moyse, quod is haud valuerit homines rebelles ad circumcisionem compellere. Quam illico supplevit Iosue, antequam 5,10 primum trans Iordanem Phase (cf. Ex. 12,48) celebraret.

Haec prae oculis habentes plenius etiam intelligemus Ps. 80 (81), 8. Ut Hebraeos ad festa quaedam fideliter celebranda inducat, inculcat vates illa esse instituta a Deo Hebraeorum liberatore, eiusque liberationis tria potissima beneficia brevissime in memoriam revocat : « in tribulatione invocasti me et liberavi te », populum in Aegypto oppressum ad se clamantem Deus eduxit (cf. Ex. 2,23 sqq.); « exaudivi te in abscondito tempestatis », in nube, fulgure et tonitru montis Sinai (Ex. 19,16); « probavi te apud Aquam Contradictionis ». Et nota, duas fuisse ad illas aquas probationes : primam, quando ad primum virgae ictum in poenam infirmae Moysis fidei aqua non prodiit, et populus renuntiata Moysis auctoritate a cultu Iahve defecit; altera (37 annis

post), quando populo ad poenitentiam revocato, Moyses rupem secundo percussit Deusque portento ostendit, se Israelem in plenam gratiam recipere. Hoc erat insigne plane beneficium, prioribus duobus merito comparandum. Vates autem, illis tribus beneficiis commemoratis, transit ad eam inculcandam doctrinam, quam illa egregie confirmant; « Audi, populus meus, et contestabor te : Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens neque adorabis deum alienum ».

Textus igitur laudati, cum narratione Num. collati sequentem fere commorationis in Cades historiam nobis produnt. Portento florentis virgae Num. 17 atque sapientibus Num. 18 latis legibus fuerant levitae Moysi plene reconciliati. E populo plurimi eum tamquam malorum suorum auctorem aversabantur, eius auctoritatem invitissimi ferebant. Ob aquae inopiam oborta seditio tam gravis, ut eam Deus censuerit esse sedandam prolata ante omnium oculos virga, tot miraculorum antehac instrumento. Adest igitur multitudo fremens, adest Moyses virgam manu agitans. Sed ubi is constantium turbarum et invidiarum pertaesus de divitiis divinae misericordiae minus alte sentit, virga irrito ictu in rupem impingit, populus eum ut pseudoprophetam repudiat, cultum Iahve et circumcisionem abdicat, suos sibi deos effingit. Moysi interim adhaerent levitae, sacrorum Iahve ministri et custodes. Videtur hoc dissidium durasse per annos, fortasse per integros propemodum 37 annos, cum initio anni 40[i] neque circumcisio sit suppleta neque Phase celebratum legatur. Reconciliatur tandem populus Moysi et Iahve, in signum restituti foederis ex eadem petra virga elicit aquam, cultus Iahve restituitur (cf. Num. 28 sq.; 31,54).

Nos igitur inter primum et secundum virgae ictum *longius intervallum* adstruimus, 37 fere annorum; negamus duos illos ictus immediate invicem excepisse. Nova tibi haec opinio videatur, benevole lector : verum recole, quod in Introd. p. 8 dicebamus, in exponendo libro Num. plerumque silere *traditionem*. Ita pauci sunt qui hunc librum explicandum suscepere, ita intermissae plurium expositiones e glossis et quaestionibus contextae, ut multa et gravia supersint dubia, quae ab illis vix aut ne vix quidem attingantur. Cur petra percutienda fuerit *bis*, quale intervallum, longumne an breve, inter duos illos ictus intercesserit, frustra e libris exquires. Sensum *spiritualem* in ea re deprehendere *Aug.* : « Quod virga petra percutitur, crux Christi figuratur : ligno enim accedente ad petram gratia manavit; et quod bis percutitur, evidentius significat crucem, duo quippe ligna sunt crux »; — *Rup.* : « Bis percusserunt : duobus enim lignis unius crucis Christum crucifixerunt, linguis suis et manibus gentilium »; — *Proc.*, *Beda* (*M.* 91,368) appellant geminatum « Tolle, tolle, crucifige ». *Cyrill. Alex.* (*M.* 69,491;73,451 sq.) et *Proc.* (*M.* 87, 593 sq. 851 sq.) erronee portentum Num. 20 confundunt cum priore illo Ex. 17; idem facit, non tamen de consilio sed ex sola, uti videtur, inadvertentia *Bruno* (*M.* 164, 270). Et Cyr. quidem et Proc. geminatae percussionis eam afferunt rationem indu-

bie falsam, sensisse Moysen unicum ictum ad aquam extorquendam non sufficere aut geminato ictu aquam certo extorqueri posse. Ceterum, si Proc. excipias, eorum qui in Patrologiis habentur et Numeros commentati sunt, nullus in sensum *literalem* geminati illius ictus inquisivit. Qui textum Num. 20,11 aut ex professo aut incidenter attingunt, extollunt quidem Moysis peccatum et divinum portentum, textum sacrum verbotenus citantes vocem etiam *bis*, uti patet, describunt, in suis autem, quas adiiciunt, explicationibus ab ea voce discutienda, imo vel repetenda, *religiose abstinent*. Quo evidens efficitur, eos de illa explicanda haud fuisse sollicitos. Ita *Basil.* (*M.* 31,663; 32,1201 sq.), *Greg. Nyss.* (*M.* 44,323), *Chrys.* (*M.* 56,332), *Theodoret.* (*M.* 80,388. 1729 sq.), *Aug.* (*M.* 37,1414; 39,1553; 42,326), *Prosper* (*M.* 51,305), *Cassiodor.* (*M.* 70,763), *Isidor.* (*M.* 83,353), *Ps. Beda* (*M.* 93,405), *Rhaban.* (*M.* 108,709 sq.), *Haymo* (*M.* 116,561), *Bruno* (*M.* 164,491). Antiquorum reticentiam aemulati sunt interpretes recentiores. Silent *Sa, Est., Mar., Gord.* « Observant », ait *Malv.* a propria tradenda interpretatione prudenter abstinens. Moysis peccatum *Men., Tir.* inter utrumque ictum constituunt. *Lyr.* : « Quae primo ictu non exiere aquae propter dubitationem Moysi, secundo tamen ictu exierunt propter impletionem divini promissi »; et *Calm.* : « Deus promissum miraculum tantisper differt »; quorum nos dictis lubentes subscribimus. Quaestionem de Moysis Num. 20,11 peccato, ait *Cl. Frassen O. M.* (Disput. biblicae II. 475, Lucae 1770), « omnibus interpretibus tam Hebraeis quam Christianis crucem figere, nec ab ullo huius Dei in Moysen et Aaronem iracundiae rationem ita perspicuam reddi, quae exceptionem non admittat ». Quodsi id verum sit de Moysis peccato, quod in eo textu potissimum est, quanto minus ab interpretibus consona et perspicua explanatio requiri potest illius vocis *bis*, quae eiusdem textus exilis est particula?

Illa quaestio, intercesseritne inter duos illos ictus longius intervallum necne, antiquos interpretes plane fugit, quia nulla tum erat ratio eius quaestionis in medium proferendae : neque igitur censendi sunt illi interpretes eam quaestionem aut affirmasse aut negasse. Imo tibi concesserim aliquos, dum illud « percutiens bis » non explicarent sed obiter attingerent, cogitasse potius de duobus ictibus continuis. Verum non inde habebis *unanimem interpretationem Patrum*, quod illi non interpretentur textum sed obiter attingant; quod ii, quos e patrologiis congerebamus, sint pauci, et horum paucorum plures non sint primae notae interpretes; et, cum sint pauci tantum neque omnes auctoritate graves, minime tandem sint unanimes.

Dices, *sensum obvium* verborum Num. 20,11 eum esse, continuos fuisse illos ictus. Verum adverte, licet, ubi habeatur sermo continuus et planus, tenendus sit sensus ille, qui prima facie obvius videatur, at aliter omnino rem habere, quando aliqua expressione vera sed ambigua studeat scriptor veritatem aliquam non dicere sed velare. Ita 2 Reg. 17,20 dicebat mulier exploratoribus Absalomis requirentibus amicos David : Paene iam traiecerunt aquam. Quam vocem sensu prima facie obvio interpretati exploratores Iordanem flumen citatis gressibus petiere. At mulier, sensu vero quidem sed ambiguo, aquam intelligebat puteum domus suae, in quo amici illi latebant. Prior ille sensus erat prima facie obvius : sed, si circumstantias omnes attente perpendissent exploratores illi, reperissent sensum alterum aut aeque aut etiam magis obvium. Similiter, esto sensus prima facie obvius, illos duos ictus una fuisse. Verum attendas, quaeso, peccatum Moysis Num. 20 narrari perquam ieiune, cum tamen in eo apex totius inde ab Ex. narrationis habeatur; attendas praeterea, e Deut. 33,8 sq.; Am. 5,25 sq.; Ios. 5,2 sqq. aliisque textibus mox discutiendis reapse effici, illos 37 annos suam habuisse historiam, et habuisse ipsi Num. libro intextam, Hebraeis posterioribus oppido notam. Quibus attentis cir-

cumstantiis menti tuae obiicietur sensus alter, aeque aut iam etiam magis obvius priore, excisam esse illam 37 annorum historiam, vocesque « percutiens bis » scriptas esse non ut eam lacunam prodant sed obtegant.

Atque hinc patet tandem responsio ad aliud dubium, iisdem illis vocibus induci lectorem *in errorem necessarium*. Inducatur in errorem, quicunque non omnes attendat circumstantias, quae attendendae sunt. Inducatur in errorem, qui exponendo textui aliquid pro certo supponit, quod certum non est. Affirmat Ios. 10,12 substitisse solem, nihil definiens agaturne de motu reali an apparente tantum : interpretes plures motum verum gratuito supponentes, in errorem abiere minime necessarium. Affirmat Gen. 1 sex diebus mundum esse formatum, nihil definiens referaturne id proxime ad ipsam cosmogoniam an ad cosmogoniae visionem : interpretes plures hoc discrimen ignorantes in devia abripiebantur. Similiter, si quis narrationem Num. 16-20 supponat esse continuam et completam, neglectis indiciis quae modo recensebamus, inducatur his utique in errorem, in errorem inquam factitium ac minime necessarium, non e textu sed e propria socordia profectum.

Ceterum advertas, nos quidem supponere narrationem, quae prius in textu erat, actorum illorum 37 annorum conscriptam fuisse ab auctore inspirato, sed minime defendere narrationis illum posteriorem decurtatorem Deo inspirante inseruisse vocem illam « bis » aut ea inserta sensum narrationis non obscurasse magis quam elucidasse.

B. Genealogiae 1 Par. 2-8.

Supersunt alii quidam textus habentes antiquissima aliqua facta, quae Hebraeorum illius aevi historiam attingunt simulque lucem affundunt quaestioni, cur narratio actorum in Cades fuerit tandem e textu sacro excisa. Haec facta concluduntur genealogiis 1 Par. 1-8. Sed eheu! libros Par. exposuere interpretes pauci tantummodo (Cf. *E. Bertheau :* Die Bücher der Chronik, Leipzig 1854; *B. Neteler :* Die Bücher der biblischen Chronik, Münster 1872; *Clair :* Les Paralipomènes, Paris 1880), horum paucorum nemo genealogias funditus discussit. Ea igitur capita evolvere ipsi aggressi sumus eorumque h. l. interpretationem, quantum opus fuerit, proponemus. Neque tamen satis fuerit eos, qui narrationem Num. immediate attingunt, textus explicare, sed totius pericopae nexus, indoles, elementa pandenda. Quodsi in his tibi, lector benevole, quandoque longius digressi videamur, ne dubites nos ad Num. narrationem tandem neque sine fructu redituros.

Genealogiarum interpretibus accensendus vix est *I. Wellhausen*, qui Gottingae 1870 pro capessendo theologiae licentiatu edidit dissertationem : De gentibus et familiis Iudaeis, quae I Chr. 2. 4 enumerantur. In qua, accurata genealogiarum interpretatione minime proposita, quae sit genealogiarum semiticarum indoles a priori definit, earum sc. metaphoricum esse dicendi genus, quae « ab alieno in proprium primum verti debeant sermonem, quam in usum historicum convertantur » (p. 11). « Ideo, si plures *filios* derivari vides ab uno patre, familias crede plures,

quae eo tempore quo censebantur inter se cohaerebant, sive ex una omnes stirpe erant oriundae sive aliis viis in unam tum gentem coaluerant. Si vero unus tantum excipit patrem filius, aut de solis nominibus eiusdem gentis agitur, quae procedente tempore mutari solent, aut de colonia, quae separavit se a veteriore quadam societate. Familia nobilissima aut vetustissima inter ceteras, quae eiusdem sunt tribus vel gentis, appellatur *primogenita*. Duae gentes quando in unam coalescunt, *coniugium* est, aut connubium si pares putantur generis nobilitate, aut concubinatus si impares. Consentaneum autem eam gentem, quae nomen dat coniunctioni, haberi pro *viro*, eam super quam vocatur nomen alterius (Is. 4,1), pro *muliere*. Saepius etiam in huiusmodi coniugiis uxor non est et ipsa gens, sed regio qua habitat is qui mariti locum tenet. Hinc intelligitur, quid sibi velit quod una mulier plures habuisse viros dicitur; plures nimirum deinceps gentes eamdem illam regionem habitabant. *Mori* denique et *nasci* sciscitaris quid valeat in rebus ethnologicis? Ad nomina magis pertinet quam ad homines. Vetera evanescunt, nova eorum vices tenent — mutantur enim familiarum coniunctiones, veteres solvuntur, novae ineuntur; sed manent plerumque elementa. Quamquam etiam elementa nova addi, vetera consumi, quid vetat? » Quanto arbitrio haec omnia a Wellhausen proferantur, et per se patet, et infra exemplis quibusdam confirmabitur.

I. DE GENEALOGIARUM 1 PAR. 2-8 INDOLE.

Auctor igitur Par. actis regum genealogias praemittit primum ab Adam ad Isaac et Esau inclusive (cap. 1), easdem quae in Genesi habentur, probabilius ex ipsa Genesi excerptas; sequuntur cap. 2-8 genealogiae populi Israel; accedit 9,1-34 conspectus earum familiarum, quae Hierosolymis habitabant. Missis cap. 1 et 9, solas perpendemus genealogias populi Israel. Quae singularum tribuum constant genealogiis.

Enumeratis 2,1 sq. duodecim filiis Israel, traditur cap. 2-4 genealogia *regiae* tribus *Iuda*, cui 4,24-43 appenditur genealogia *Simeon*, quae tribus tribui Iuda semper exstitit coniunctissima. Sequitur cap. 5 genealogia *primogenitae* tribus *Ruben*, cui iunguntur *transiordanici* reliqui; cap. 6 *sacerdotalis* tribus *Levi*; dein *Issachar* 7,1-5, *Beniamin* 7,6-12, *Nephthali* 7,13, *Manasse* 7,14-19, *Ephraim* 7,20-29, *Aser* 7,30-40; cap. 8 altera tribus *Beniamin* genealogia adscribitur. Penitus ignorantur *Dan* et *Zabulon*.

Hae genealogiae universim affirmari possunt in genealogia Gen. 46 habere radices, itemque elenchi familiarum Num. 26 esse affines. *Iuda :* ad 2,3-5 cf. Gen. 46,12; Num. 26,19-22. *Simeon :* ad 4,24 cf. Gen. 46,10; Num. 26,12-14. *Ruben :* ad 5,3 cf. Gen. 46,9; Num. 26,5-7. *Levi :* ad 6,1-4 cf. Gen. 46,11; Ex 6,18 sqq. *Issachar :* ad 7,1 cf. Gen. 46,13; Num. 26,23-25. *Beniamin :* ad 7,6; 8,1 cf. Gen. 46,21; Num. 26,38. De *Nephthali* nihil habetur praeter 7,13, textum verbotenus eundem atque Gen. 46,24 (cf. Num. 26,48-50). *Manassae* et *Ephraimi* Gen. 46,20 sola nomina legebantur; ad Machir 7,14 cf. Num. 26,29; ad filios Ephraim v. 20 sqq. cf. Num. 26,35 sq. *Aser :* ad v. 30 sq. cf. Gen. 46,17; Num. 26,44-47. Solus *Gad* nullum repetit 5,11 sq. e nominibus Gen. 46,16; Num. 26,15-18 descriptis. Verum ab illis communibus radicibus profectae genealogiae illae aliae aliam induunt formam.

Aliae igitur genealogiae sunt *summariae*. Auctor non videtur ita multum de quibusdam tribubus compertum habuisse, aut non iudicabat plura esse dicenda, fortasse non praeservarant illae accuratiorem genealogiarum rationem. Hae genealogiae antiquam tribuum historiam vix attingunt; primis fere e Gen. 46 generationibus commemoratis, transeunt ad recentiora.

Ita genealogia *Ruben*, commemoratis quatuor patriarchis Gen. 46,8 atque ne illis quidem adscriptis, qui Num. 26,8 sq. habentur, descendit 5,4 ad Ioel quemdam, e quo ortum duxit Beera (v. 6) regis Teglathpalassar aequalis, et Bala (v. 8), qui Rubenitarum fines orientem versus plurimum ampliavit. Genealogia *Gad*, primis tribus patriarchis omnino praetermissis, v. 12 sqq. recenset principes, quibus ducibus Gaditae in Basanitide et Galaaditide consedere. Simile quid habes v. 24 quoad *Manassaeos transiordanicos*. Inde genealogiae hae transiordanicorum deflectunt ad bellum tempore Saul regis contra Agareos actum, censum tempore Ioathan habitum commemorant v. 17 sq., ruinam tandem a Teglathpalassar illatam demonstrant. — Genealogia *Issachar* 7,1-5 per Thola et Ozi ad illos viros procurrit, qui tempore census davidici tribus principes exstitere. Similiter habet genealogia *Beniamin* prior 7,6-12, quae a tribus eius tribus patriarchis viros plane alios atque 8,1 sqq. derivat, sc. principes, qui tempore census, uti videtur, eiusdem floruere. Genealogia *Aser* 7,30-40 nonnihil articulatior item censu concluditur. Post indicatos 4,24 *Simeonis* filios, unius ex illis, probabilius Saulis, v. 25 per Masma ex Semei, cuius solius numerosior familia, posteritas describitur atque habitatio, v. 34-41 expeditio aliqua Ezechia rege suscepta, v. 42 sq. altera eiusdem fortasse temporis expeditio.

Aliae genealogiae sunt *individuorum* : inde a patriarchis repetunt originem famosi cuiusdam viri vel stirpis, singula singularum generationum nomina recensentes. Hae genealogiae ad patriarchas utique continuae pertingunt, historiam tamen primi aevi eatenus tantum illustrant, quatenus eius aliqua nomina propria habent. Fiebat sane aliquando, ut horum nominum aliquod diversam in diversis apographis formam indueret vel etiam in duo nomina diffinderetur (cf. ad Gen. 46,21) : crediderim tum scribas hebraeos promptiores fuisse ad utramque nominis formam, utrumque nominis fragmentum describendum; tanto augustior quippe censetur nobilitas, quanto plures numero maiores enumerantur.

Genealogia *Ram* 2,10-17 singulis nominibus originem Isai evolvit, cuius dein familia plenius tractatur. Similiter cap. 3 totam *Davidis* familiam describit, dein vero singulis fere nominibus posteritatem producit ad exsilium usque et ultra. Eiusdem rationis est genealogia *Levi* cap. 6.

At summi plane momenti sunt genealogiae *palaeologicae*. Circa antiquissima tempora versantur. Virorum primi aevi filios, non unum

sed plures, accurate recensent, recitatis haud raro ex ordine variis uxoribus. Genealogiae intermiscent *facta quaedam antiquissima*, scitu dignissima, quae antiquissimae Hebraeorum historiae insperatam lucem affundunt.

Huc spectant genealogia *Iuda* 2,1-55; 4,1-23 et genealogiae ***Manasse*** et ***Ephraim*** 7, 14-29, seu genealogia ***Iuda et Ioseph*** seu ***Iuda et Israel;*** item genealogia ***Beniamin*** altera cap. 8.

Sed antiquissimae hae genealogiae sua accepere complementa et ad recentiora tempora productae sunt, indole quadamtenus mutata. Quae sc. primum individuorum tantummodo hominum nomina habebant, iam in *urbium*, *pagorum, familiarum* nomina desinunt. Et primum quidem individui homines, qui Iosue vel Iudicum aevo floruere, ornantur titulo *patris* cuiusdam urbis vel pagi : 2,23 scribitur Machir pater Galaad, 2,24 Ashur pater Thecuae, 2,52 Sobal pater Cariathiarim, 4,4 Phanuel pater Gedor etc. Postea disparent individui homines, solique pagi, urbes filiorum loco recensentur : ita 2,53 filiis Sobal accensentur Iethrei, Aphuthei etc. Extremae genealogiae Manasse et Ephraim adscribuntur 7,28 sq. earum tribuum in terra sancta fines.

Genealogia tribus *Iuda* 2,1-4,23, e pluribus aliis artificiose contexta, omnium quas enumeravimus genealogiarum classium specimina habet. Pro nostro intento supremi momenti sunt genealogiae palaeologicae, minoris genealogiae individuorum, minimi genealogiae summariae. Solas palaeologicas exponemus.

II. GENEALOGIA MANASSE 1 PAR. 7,14-19.

Arg. — Genealogia haec est perantiqua. Habebat ea primitus v. 14[a], ubi lacunam indicant Masorethae, Manassae posteros e primaria uxore. Adscribitur v. 14[b] Machir, filius concubinae syrae. Filii Machir recensentur e sororibus Beniaminitis Maacha et Meleketh, uti videtur eo etiam fine, ut omnium, quae tempore Iosue exstitere (Ios. 17,1; Num. 27,1), manassaearum cognationum origo demonstretur.

v. 14 *Filii Manasse : Esriel, quem peperit...; concubina autem eius syra peperit Machir, patrem Galaad.*

v. 15 *Machir duxit uxorem sororem Hapham et Sepham; et nomen sororis eorum Maacha... et nomen secundi Salphaad; nataeque sunt Salphaad filiae.*

v. 16 *Et peperit Maacha uxor Machir filium vocavitque nomen eius Phares; nomenque fratris eius Sares; filiique eius Ulam et Recem;* v. 17 *filius autem Ulam Badan. Hi filii Galaad, filii Machir, filii Manasse.*

v. 18 *Soror autem eius Meleketh peperit Ischchud et Abiezer et Mohola.*

v. 19 *Et fuere filii Semidae : Ahin et Sechem et Leci et Aniam.*

Obiter inspicienti patet genealogiam hanc habere *lacunas* : excidit v. 14 nomen uxoris Manasse primariae (cf. *concubina*) eiusque fortasse praeter Esrielem posteritatis; excidit v. 15 nomen eius viri, respectu cuius Salphaad dicitur *secundus*, et fortasse aliorum, cum v. 16, veluti pluribus interiectis, Maacha rursum describatur *uxor Machir;* v. 19 Semida, quomodo cum Machir connectatur, non apparet, unde coniicere fas est, eius nomen primitus in lacuna v. 15 infuisse. Singula discutiemus.

v. 14 « *Porro filius Manasse* » : — cum *Hebr. LXX Syr.* corrige *filii*. In genealogiis hoc nomen numero plurali scribitur quandoque etiam, quando unicus filius recensetur : cf. v. 10. 17 — « *Esriel* », *quem peperit**; « *concubinaque eius syra peperit Machir*, *patrem Galaad* », qui inter filios Machir ceteris exstitit famosior. Primum ילדה valde incommodum, quare *Vulg.* illud omisit, *LXX* alterum ילדה mutavere in ותלד, *Syr.* voces transposuit, unam adiecit. Nomen *Esriel* omnes habent. Suggerebat quidem *Bertheau,* אשריאל erronee irrepsisse repetitione immediate sequentium אשר יל; verum nomen esse retinendum, mox demonstrabimus; neque officit, illud etiam desiderari in additamento *LXX* ad Gen. 46,20, cum illud additamentum evidenter sit spurium.

Igitur *Masor.* post primum ילדה habent asteriscum, ad quem notant חסר, *lacunam*. Adesse lacunam vel obiter inspicienti textum hebraeum evidens est; sed facillime etiam e contextu lacuna expletur. Sequentia agunt de *concubina* Manasse, in lacuna agebatur de eius *uxore primaria;* idque confirmatur eo, quod lacunam antecedit, ילדה, quod subiectum exigit mulierem aliquam. Ergo textus ita restituendus : *Filii Manasse Esriel : quem peperit ei X.* Illa uxor X utique erat *non aramaea*, cum ei opponatur concubina aramaea; erat hebraea vel probabilius *aegyptia.* Quodsi enim aegyptiam duxit Ioseph, cur non idem fecerit primogenitus eius? Certe Aegyptiorum pro sua familia favorem iustis mediis requirebat Ioseph, medium vero efficacissimum erat, ut sibi familias praenobiles coniugiis filiorum devinciret. Imo, cum Pharaones consueverint plures habere uxores et plurimas filias, filiasque proceribus regni concedere uxores, veri simillimum est unum eorum Pharaonum, quibus Ioseph tot annis amicissimus fuit, dedisse primogenito Ioseph aliquam suarum filiarum uxorem. Haec a nobis non gratuito confingi, disce e *Bethia filia Pharaonis* 4,18. Excidit igitur e nostro textu nomen et originis descriptio uxoris primariae Manasse; vel, memor et sacerdotum praemosaicorum acta ex Exodo et commorationis Cadesianae acta e Numeris aliquando fuisse excisa, audacter suggeras illud nomen non excidisse, sed esse *erasum*. Pige-

bat fortasse posteriorem Iudaeum aliquem, primogenitum Manasse, qui aliquamdiu exstitit princeps domus Ioseph, imo totius populi, natum in textu affirmari matre non hebraea sed aegyptia, filium scribi non pure hebraeum origine, sed quodammodo e devoto Pharaonis sanguine ortum.

Porro secundum ea, quae CEL p. 6 sq. de sacerdotibus praemosaicis manassaeis probabiliter disserebamus, *Esriel* post Manassen exstitit illorum sacerdotum *pontifex;* sacerdotes illi erant Esrielis ex eadem matre fratres vel Esrielis filii, quorum aliqua nomina post nomen uxoris Manasse primariae noster v. 14 primitus habuerit. Esriel vel aliquis eius filius aut nepos exstitit nobilissima victima eorum trium millium virorum, quos Ex. 32,28 levitae trucidaverunt. Nonne his insperata lux affunditur nostrae lacunae? Confirmantur dicta textu Ios. 17,1, qui Machirum appellat *primogenitum* Manasse, cum tamen 1 Par. 7,14 Esrielem pronuntiet fuisse primogenitum. Translata igitur est aliquando primogenitura ab Esriele in Machirum; quod fieri non potuit nisi ob quoddam Esrielitarum scelus, quo rursum revocamur ad Ex. 32.

v. 15 « *Machir autem accepit uxores* [*filiis suis*] *Happhim et Saphan, et habuit sororem nomine Maacha; nomen autem secundi Salphaad, nataeque sunt Salphaad filiae* ». Cf. Num. 27; 36. Etiam hic versus corruptus esse deprehenditur. Et primum quidem חפים et שפים iidem sunt atque v. 12 Beniaminitae חפם et שפם, *Hapham* et *Sepham*. Cf. quae ad genealogiam Beniaminitarum dicturi sumus. Ergo Hapham et Sepham non sunt *filii* Machir, quam vocem infelicius supplevit *Vulg*. Verum, si filii non erant, neque *pro illis* (cf. Ex. 21,10; 34,16) *accepit uxores* Machir, cum quis uxorem accipiat solum pro se vel filiis, non pro alienis; neque textus *uxores* (*Vulg.*) habet, sed *uxorem;* neque hic edoceri exspectaveris de uxoribus inauditorum quorumdam filiorum, sed de uxore ipsius Machir, uti v. 14 edocebare de uxoribus Manasse. Porro *Syr*. additam vocem legebat : *accepit uxorem unam*, i. e. אחת; cuius vocis mutata punctatione, habebis hunc sensum percommodum : *Et Machir duxit uxorem sororem Hapham et Sepham*. Et perge : *Et nomen sororis eorum Maacha*. Sc. אחתם, sequente nomine ordiente a litera מ, amisit suum ם, ac postea אחת punctabatur quasi adesset suffixum masc., *sororis eius* viri, i. e. Machir; intelligitur autem *soror eorum*, sc. Hapham et Sepham, eademque Machiri uxor, Maacha.

Textus v. 15[b] rursus deprehenditur esse mancus. Salphaad adscripta voce השני, *secundus*, opponitur alteri cuidam *primo*. Quis est ille primus? Non Machir, cum secus Salphaad esset Machiri frater, cuius

semper nepos scribitur. Nullibi Salphaad cuiusquam fratris scribitur secundus, sed unicus filius *Hepher* recensetur. Hephero vero Num. 26, 32; Ios. 17,2 copulatur *Semida,* qui h. l. legitur v. 19, nulla certa ratione cum genealogia connexus, cum tamen reliqua omnia certo ordine invicem excipiant. Ergo probabile videtur Semidam primitus in textu fuisse, et respectu Semidae dictum esse *secundum* non Salphaadum, sed Hepherum. Porro Semida et Hepher immediate geniti sunt non a Machir, sed a *Galaad,* qui in hac genealogia omitti primitus nullo nomine potuit, quod eius nomen iam legeretur v. 14 fueritque ipse totius genealogiae vir famosissimus. An igitur nostra genealogia Galaadum scribebat *Maachae* filium? Haud credo equidem, tum quippe v. 16 scribendum erat : et *iterum* peperit Maacha etc. Erit igitur Galaad non Maachae, sed *concubinae* cuiusdam filius. Sc. tantus vir in Machiri progenie exstitit Galaad, ut eius natales omnino primo loco viderentur esse describendi : quare post recensitam v. 15 Maacham inserebatur cum sobole concubina, dein soboles Maachae et Meleketh uxorum. Ergo textus primitus fuerit hic : *concubina autem eius peperit Galaad; et fuere Galaad filii : nomen unius Semida, et nomen secundi Hepher; et filius Hepher Salphaad; nataeque sunt Salphaad filiae.* A verbis ושם אחת, *nomen sororis,* transiliit scriba aliquis ad illud, quod textus habebat ושם האחד, *nomen unius,* atque hinc nomini מעכה, *Maacha* immediate adscripsit verba ושם השני, *nomen secundi,* simul omisso Hepher minus noto transiliit ad Salphaad oppido notum.


Post recensitos Maachae posteros nobiliores recensentur v. 16 sq. ii, qui distinctas a reliquis familias non condidere. v. 16 « *Et peperit Maacha, uxor Machir, filium vocavitque nomen eius Phares; porro nomen fratris eius Sares, et filii eius Ulam et Recem* ». v. 17 « *Filius autem Ulam Badan. Hi sunt filii Galaad, filii Machir, filii Manasse* ».

Expressio *filii Galaad* intelligi potest vel genealogice, quo sensu Semida et Hepher sunt filii Galaad, vel politice, quo sensu Num. 26, 30 sqq. familiae omnes, etiam Esriel et Abiezer, dicuntur filii Galaad, quod sc. politice in deserto Galaadum suae tribus ducem sint secutae. Hoc eodem sensu politico expressio h. l. intelligitur, sed magis restricto quam Num. 26, non iam respiciens rerum in deserto conditionem, sed tempus illud, quo familiae quaedam a Galaado secesserant cis Iordanem. Igitur v. 15-17 eos habet, qui Galaado duce trans Iordanem substitere; reliqui v. 18 sq. videntur cis Iordanem sedes accepisse, quod de Abiezer Iud. 6 omnino certum est.

Transit genealogia ad alteram uxorem Machir. v. 18 « *Soror autem*

eius Regina peperit Virumdecorum et Abiezer et Mohola ». Cuius soror? an Manasse? Sed tum proles non erant Manassaei, sed tribui patris anonymi adscribendi. An Machir? Sed rursum quaeritur, cui pepererit, cum Machir vix credi possit propriam duxisse sororem. Praeterea nomen illius mulieris vix fuerit *Hammeleketh* cum articulo, sed *Meleketh*. Ergo pro ואחתו המלכת, quod pleniore scriptione ortum duxit e ואחת המלכת, lege ואחתה מלכת : *et soror eius*, sc. Maachae (v. 16), *Meleketh peperit Ischchud*, ita quippe sonat viri nomen. Ergo duas sorores duxit Machir : an forte alteram uti Iacob, priore nondum defuncta (cf. Lev. 18,18)? v. 19 « *Erant autem filii Semida Ahin et Sechem et Leci et Aniam* ». Recensentur filii Semidae, cuius nomen v. 15 primitus habebat; recensentur autem h. l., quia ipsi non fuere de filiis Galaad, Galaadi duci non adhaesere, sed cum filiis Meleketh Iordanem traiecere.

Leci (לקחי) coniicio eundem esse atque Ios. 17,2 *Helec* (חלק). Habet igitur textus genealogiae a nobis restitutus nomina omnium capitum familiarum Ios. 17,1 sq.; Num. 26,29 sqq. Dubitari potest quoad Hepher; sed dubitari item potest, fuerintne Hepher et Salphaad duae diversae familiae, an unica. Nos in schemate familiarum capita typis distinguimus. Dices Esriel h. l. scribi fratrem Machir, Num. 26,31 filium Galaad, nepotem Machir. Sc. post caedem Ex. 32 familia Esriel excidit eo dignitatis loco, quem iure primogeniturae obtinuerat in tribu Manasse; primogeniti iura cum principatu attributa sunt Machir, filio concubinae; qua potissimum arte familia Esriel, quae Ex. 32 exstincta fuerat, sit resuscitata, dicemus ad 2,23; sed Esrielitae illi omnes iam accensiti sunt filiis Machir (cf. ad 1 Par. 2,23), quia tum quicunque supererant filii Manasse, iidem etiam censebantur filii Machir; et inter Machiritas universos speciatim accensiti sunt filiis Galaad, cui item Num. 26,30 filius tribuitur Abiezer, qui tamen ex 1 Par. 7,18 percipitur nativitate fuisse non filius, sed ex alia matre frater. Cf. quae dicturi sumus ad Num. 26,29 sqq. Habes igitur Manassaeorum hanc probabilem genealogiam :



Ad temporum rationem quod attinet, adverte Salphaad mortuum esse in deserto, eiusque filias fuisse aetate nubiles, quando finiebantur 40 anni peregrinationis in deserto. Filii Machir Gen. 50,22 « nati sunt in genibus Ioseph », ergo Machir imme-

diate e Manasse ortum duxit. Si Aher, patrem Sepham et Hapham et Maachae et Meleketh (7,12.15), supponas eundem esse atque Ahiram seu Iadihel, nepotem Beniamin, habebis Machirum ducentem duas proneptes Beniamini, fere aequales suas. Fuerat Ioseph Gen. 41,46 annorum 30, quando stetit ante Pharaonem, videturque (C G p. 359) Manassen genuisse ante annum vitae 37. Si adstruas, Galaad natum esse anno Ioseph circiter 100 (« in genibus Ioseph », qui ipse vixit ad aetatem 110 annorum, Gen. 50,25), potuit Machir nasci ante Ioseph 80, qui fuit 43 Manasse. Haec omnia sat bene concordant inter se.

III. GENEALOGIA EPHRAIM 1 PAR. 7,20-29.

Arg. — Huius genealogiae, uti praecedentis, is etiam est finis, ut familiarum, quae in deserto floruere, origo describatur. Recensitis Ephraimi filiis prioribus, narratur clades a Gethaeis Ephraimo inflicta, dein posterioris filii Beriae aliorumque ortus. Genealogiae v. 26 sq. adscribuntur origines Elisamae et Iosue, v. 28 sq. fines, quos in terra promissa Ephraimitae obtinuere.

v. 20 *Filii Ephraim; Suthala, cuius filii Bared, Thahath, Elada, Thahath*, v. 21 *Zabad*, *Suthala;*

et Ezer;

et Elad.

Occiderunt autem eos Gethitae regionis indigenae, quia descenderant ut diriperent greges eorum. v. 22 *Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus et venerunt fratres eius, ut consolarentur eum.* v. 23 *Ingressusque est ad uxorem suam, quae concepit et peperit filium et vocavit nomen eius Beria, eo quod in malis domus eius ortus esset.*

v. 24 *Et filia eius Sara, quae aedificavit Bethoron inferiorem et superiorem et Ozenzara.*

v. 25 *Repha filius eius, et Reseph; et Thale filius eius, et Thaan filius eius.*

v. 26 *Adano autem filio eius fuit filius Ammiud, cuius filius Elisama,* v. 27 *cuius filius Nun, cuius filius Iosue.*

v. 28 sq. describuntur Ephraimitarum fines.

Vel ex facto antiquissimo v. 21 sqq. agnoscitur haec genealogia affinis esse genealogiae perantiquae Manasse; non ergo censenda est per multas generationes stirpem Ephraim describere, quin potius familiarum capita (cf. Num. 26,35 sq.) e communi fonte derivare. Quando in serie genealogica singulis nominibus adscribitur vox בנו, ea quandoque indicat sequentem quemque esse filium praecedentis, haberi genealogiam constanter descendentem per patres ad filios : cf. 1 Par. 6,50 sqq. (40 sqq.). Sed quandoque omnia nomina habentia בנו ex aequo sunt filiorum eius, cuius nomen initio seriei legitur illoque addito caret, sunt fratres inter se. Cuius rei exemplum h. l. habetur. Etenim nomina v. 20 sq. non exprimunt octo generationes successivas, cum nequaquam octava generatione superstes exstiterit Ephraim.

Plerisque nominibus propriis adscribitur vox בנו; non tamen v. 21 nominibus Ezer et Elad, v. 25 nomini Reseph. Ubi toties ea vox legebatur, potuit ea incuria scribarum quandoque excidere : nos tamen textum pro integro accipientes suggerimus, Ezer et Elad uti Suthala I fuisse immediate ab Ephraim prognatos, dum Bared, Thahath, Elada, Thahath, Zabad, Suthala II exstiterint Suthalae I filii. Illud porro haec genealogia peculiare habet, aliqua nomina legi bis. Suthalam suum nomen uni filiorum indidisse, facile conceditur. Elada et Elad (אלעדה, אלעד) fortasse sunt nomina similia quidem, attamen diversa. Verum credi haud potest Suthala I idem nomen Thahath duobus filiis imposuisse. Aut nomen errore repetitum est, aut Thahath I sine filiis e vivis sublatus ope leviri nactus est filium homonymum, qui v. 20 filiis avi sui Suthalae I accenseatur.

Pro *indigenae* (*Vulg.*) v. 21 *Hebr. : nati in regione.* Ergo intra ipsos Gethaeorum fines, quo praedationis ergo descenderant, interfecti sunt illi viri; non necessario omnes, sed utique Suthala I, Ezer et Elad, quorum mater e v. 23 colligitur fuisse tum filiis orbata. Filiorum Suthalae I aliquos certe superstites fuisse inde infero, quod Num. 26,35 perseveraverit Suthalae familia. Ubi fuerit Geth, non satis compertum habemus : erat ea urbs a litore maris remotior, neque ita procul aberat Accarone. E voce *descenderunt* intulere *Fl. de Moor* (Revue Biblique I. 307, Paris 1892) aliique, Ephraimitas vel tum et ante Moysen in montibus Iuda vel Ephraim sedes habuisse. Quo tempore Ioseph a Pharaone summo honore habebatur, et aliqua Pharaonis cuiusdam filia 4,18 hebraeas nuptias non respuebat, bene potuit Pharao Ephraim filium Iosephi constituere cuiusdam in Iudaea urbis praefectum ducemque expeditionis praedatoriae in Gethaeos suscipiendae, cum exercitu non necessario e solis Hebraeis collecto. Eiusmodi expeditiones bene multas monumentis testibus Aegyptii suscipiebant. Ephraim ad eam praefecturam evectus utique suam secum in Iudaeam adduxit familiam ibique moratus est, donec a Pharaone est revocatus. Praefecti autem non ita raro revocantur tum, quando aliquam cladem passi sunt. Haec hypothesis plenam rationem reddit verbi *descenderunt,* neque opus est alia effingere de « Hebraeis palaestinensibus praemosaicis ». Illud profecto hoc textu edocemur, filium primi ministri Pharaonis non fuisse rudem pastorem; erat familiaris regis, urbis vel provinciae praefectus, belli dux. E pronomine *eos* non sequitur, omnes illos octo viros esse interemptos. Luctum v. 22 crediderim fuisse solemniorem (cf. Gen. 50,11).

Ingressusque est ad uxorem suam fere suggerit, et unicam tum

Ephraimum habuisse uxorem, principalem certe, et eam filiorum v. 21 interemptorum communem exstitisse matrem, ideoque summo tum luctu fuisse absorptam. Quodsi ea reapse nobilis exstitit aegyptia, aequum erat ut ex illa novam sibi prolem quaereret Ephraim, ne cognati aegyptii ab eo alienarentur animis. Quaerebat igitur solamen sibi et illi Ephraim, atque invenit nato Beria. Quod nomen cum alii etiam viri gesserint, v. g. filius Aser Gen. 46,17, probabile apparet nominis derivationem v. 23 esse mnemoneuticam tantum. *J. B. Belot* S. I. (Vocabulaire arabe-français, 3. éd. Beyrouth 1893) e significatione radicis ברע, « avoir le dessus, l'emporter sur quelqu'un », derivat significationes « excellence, mérite, perfection, don spontané ». Eratne fortasse idem Beria atque *Becher* Num. 26,35? Cuius viri v. 24 filia recensetur, quae numerosam in terra sancta nacta est posteritatem, imo amplas intra Ephraimitarum fines possessiones; quare ea fere dicenda erit fuisse filia haeres. Ergo, qui v. 25 recensentur, non sunt Beriae filii et Sarae fratres, neque Sarae filii (ob suffixa masc.) : ergo sunt Ephraimi filii ex eadem vel ex alia uxore. Quod porro unus Reseph adscripto careat בנו, commodissime explicatur, ut vox toties repetita semel e textu exciderit aut e contextu supplenda relinquatur, ut quatuor viri v. 25 fuerint fratres; si tamen mavis Thale et Thaan scribere Resephi filios, non equidem repugno.

Num. 26,36 habebatur Suthalae I filius aliquis Heran, ערן : cuius nomen h. l. v. 26 latet in voce לעדן. Nomen copulam non habet uti praecedentia, sed ל dativi; constructio ab enumerandis interposita copula filiis deflectit; sententia est appendix quaedam genealogiae adscripta : explicanda sc. erat familiae Aran vel Adan Num. 26,36 cum Ephraimo affinitas atque duorum virorum perquam insignium origo, Elisamae qui totius tribus ad montem Sinai exstitit Num. 1,10 princeps, et Iosue filii Nun. v. 26 בנו nomini עדן adscriptum, uti illud v. 25 refertur ad Ephraim, cuius filius mediate genitus, seu per Suthalam I nepos, exstitit Aran vel Adan. Nomen hoc v. 20 sq. aut nunquam recensebatur, aut excidit, aut defiguratum latet in alio quodam nomine.

Elisama v. 26 certe fuit filius Ammiud, Iosue filius Nun; an igitur item Nun fuit filius Elisamae? Elisama princeps erat tribus anno secundo ab exodo: Iosue tum Hebraeis dux erat in proelio (Ex. 17), custos corporis Moysis (Ex. 33,11; Num. 11,28) eiusque individuus socius (Ex. 24,13; 32,17), missusque est ad explorandam Chanaanitiden : si erat Iosue Elisamae nepos, debuit esse saltem dimidio saeculo minor aetate, cum haec omnia agebat. Scribitur quidem נער Ex. 33,11, sed ea vox latioris est acceptionis, et h. l. corrigenda videtur in נעדר, *permansit*. Viri cordati non ita raro in prima iuventute fortiter agunt et omnium sibi animos conciliant; qui ma-

gna et nova moliuntur uti Moyses, efficacius haud raro iuvantur a generosis iuvenibus, quam a senibus meticulosis : tamen difficile concesserim Iosuen fuisse iuvenem imberbem, quando illa omnia agebat, ideoque ambigo fueritne Elisamae nepos. Sed est alia difficultatis solutio. Quod in Exodo (17,9 sqq.; 24,13; 32, 17) Iosue primum origo taceatur, potuere, uti CEL p. 37 suggerebamus, Nun et Iosue originis esse non hebraeae et, susceptis Hebraeorum sacris, familiae Elisamae accenseri. Cf. quae ad 1 Par. 2,20 dicturi sumus. Ita fuerint Nun et Iosue fere eiusdem cum Ammiud et Elisama aetatis. — Accipe iam Ephraimitarum genealogiam :

EPHRAIM

- *Suthala I*
  - Bered
  - Thahath I
  - Eliada
  - *Adan*
  - Thahath II
  - Zabad
  - Suthala II
    - Nun
      - Iosue
  - seu *Aran*
    - Ammiud
      - Elisama
- Ezer
- Elad
- Beria (= *Becher?*)
  - Sara
- Repha
- Reseph
- Thale
- *Thaan*

Hanc genealogiam obiter cum praecedente Manassaeorum genealogia comparantes, reperimus tertia ab Ephraim generatione floruisse familias Num. 26,35 sq. omnes, nonnisi quinta generatione familias Num. 26,29 sqq. : sc. Ephraim et plures videtur habuisse natos neque tam exitialem, atque Manassaei, passus esse cladem. Elisama, quintae generationis vir, aequalis exstitit Salphaad, item quintae generationis viri. Tamen, si advertas Ezer et Elad videri prole caruisse, Beriam solam reliquisse filiam, fateberis pauca relinqui virorum nomina, e quibus Ephraim inter et Moysen 40500 (Num. 1,33) viri armati naturali generatione prodierint. An forte Ephraimitarum plerique Hebraei exstitere non sanguine, sed adoptione? Sarae maritus hebraeusne fuit an aegyptius?

IV. GENEALOGIA BENIAMIN 1 PAR. 8 (cf. 7,6-12).

Arg. — Genealogia prior recentior nobis 7,12 prodit originem duarum 7,15 uxorum Machir. Genealogia posterior stilo quidem genealogiarum antiquiorum est exarata, tamen non solas familias Num. 26,38 sqq. evolvit sed alias plures; res usque ad Davidis tempora producit. Ex 8,6 sq. cum 2,52 sqq. conferendis solido argumento stabilietur (v. i.), Hebraeos ante exstructum templum habuisse unum commune divini cultus centrum. Utraque genealogia stirpem Beniamin prodit virorum numeris et illustribus filiarum nuptiis floruisse.

Genealogiam cap. 8 pertractamus, cum quod ipsa etiam sit ex antiquioribus, tum quod 8,6 sq. quaedam habeat summi momenti pro textu 2,50-55 intelligendo. E genealogia recentiore 7,6-12 solum perpendimus v. 12, quem iam 7,15 explicantes attingebamus : « *Sepham quoque et Hapham filii Hir, et Hasim filii Aher* ». Quo

versu edocemur originem *Sepham* et *Hapham* (שפם, חפם), qui iidem sunt atque *Sapham* et *Happhim* (שפים, חפים; cf. *LXX*), atque hinc originem *Maachae* et *Meleketh*, uxorum Machir et sororum Sepham et Hapham. v. 12 illos viros utique videtur connectere cum praecedente genealogia : sed quis *Hir?* quis *Hasim* nunquam secus appellatus? et quomodo post unum Hasim *filii? LXX* legebant plures copulas, poterisque vertere : *Et Sepham et Hapham et Beniair et Hasim, filii Aher*. Quis porro *Aher?* Eum compono cum tertio Beniamini filio, qui vocatur quidem 1 Par. 7,6. 10 sq.; 9,35 *Iedihel*, sed Num. 26,38 *Ahiram*, אחירם, quod 1 Par. 8,1 depravatum legitur אחרח et Gen. 46,21 truncatum אחי : curnam idem nomen non item lateat sub forma אחר? Quodsi adstruas, erunt Sepham, Hapham, Maacha, Meleketh nepotes et neptes Beniamini. Quaeres, quomodo auctor 1 Par. v. 12 eundem virum appellet *Aher*, quem v. 6.10 sq. appellarat *Iedihel*. Potuit recentior aliquis v. 6.10 sq. pro Ahiram scribere Iedihel, idemque illud nomen ideo tantum v. 12 retinere, quod illud defiguratum non agnosceret. Potuit ipse auctor v. 12 nomen adscribere tale, quale in aliquo suo fonte reperiebat, quin suspicaretur Aher eundem esse atque Iedihel; versus certe docebat, Machirum nuptiis Beniaminitarum factum esse affinem, idque imprimis auctor 1 Par. lectorem docere cupiebat. — Certe non sunt iidem שפם et חפם atque שפופם et חופם (Num. 26,39; cf. ad Gen. 46,21), qui potius iidem esse censendi sunt atque שפופן et חרם 1. Par. 8,5.

Enumeratis 8,1 sq. filiis Beniamin quinque, explicatur priorum trium genealogia : *Bela* v. 3-7, *Asbel* v. 8-28, *Ahiram* v. 29-40. Haud mirum, Asbeli (אשבל = אשבעל) posteros, repudiato nomine divino בעל v. 8 appellari *Saharaim*, שחרים, *eos qui auroram versus habitent*, nomine petito ab eorum sedibus occidentem versus intra fines Beniamin sitis. Gen. 46,21 ex בלע בכרו errore nati sunt filii Beniamin duo *Bela et Bechor*, atque hinc 1 Par. 7,8 loco *Asbel* bis scribitur *Bechor;* quo confirmatur, quod antea affirmabamus, genealogiam 1 Par. 7,6-12 recentiorem esse altera cap. 8. 1 Par. 8,29 ante *patrem Gabaon* excidisse nomen *Iediel* seu *Iedihel* (7,6), disce ex 9,35. Cur hic vir, hisce textibus et 7,6, non uti Num. 26,38 (cf. ad Gen. 46,21) dicatur אחירם, quod nomen 8,1 corruptum legitur אחרח, non liquet. Fortasse *Ahiram* unicum filium habuit *Iedihel*.

Genealogia cap. 8, uti genealogiae Manasse et Ephraim, clare explicat antiquas tribus origines, adscriptis etiam v. 8 sq. 29 uxoribus; sed additas habet v. 6. 10ᵇ. 12ᵇ. 13. 28. 32ᵇ clausulas quasdam, familiarum in terra sancta sedes circumscribentes. Si genealogia cap. 8, ad instar genealogiarum Manasse et Ephraim, solas eas familias prae oculis haberet, quae Gen. 46 et Num. 26 recensebantur, absolvenda fuerat versu 7, omnia quippe nomina Num. 26,38-40 habentur etiam 1 Par. 8,1-7 (ארד = אדר). Sed nostra genealogia iam v. 1-7 longe plures recitat *principes patroeciarum* (v. 6), additque alios (cf. v. 10. 13. 28) non paucos : videtur igitur recentior esse genealogiis Manasse et Ephraim, sed in hoc certe earum est affinis, quod

v. 8. 11. 13 *uxorum* ordinem sequatur. In deserto (cf. Gen. 46; Num. 26) videtur sola stirps Bela in plures excrevisse familias, dum 1 Par. 8 plures item Asbelis et Iedihelis familias recenseat. Imo Iedihelis genealogia per Saul ultra Davidis tempora producitur : fortasse genealogia 1 Par. 8 successivis aucta est incrementis.

Aod v. 6 videtur esse idem atque *Abiud* v. 3 : אחוד pro אביהוד. Sed quomodo *filii Abiud*, qui in serie *filiorum Bela* recensentur? Sc. initio v. 4 excidit *et filii Abiud*, quod reapse facillime potuit excidere in textu hoc : ואביהוד ובני אביהוד אבישוע. *Manahath* v. 6 eadem est atque מנחת, *requietio* 2,52.54; de qua plura ib. dicemus. Initio v. 6 pro ואלה cum *LXX Vulg.* lege אלה : etiam v. 10.18. 40 concluduntur nominum series voce אלה absque copula (cf. v. 12 הוא, v. 13.32 המה).

Verte igitur v. 3-7 :

v. 3 *Fueruntque filii Bela : Addar* (= Ared) *et Gera et Abiud.*

v. 4 *Filii Abiud : Abisue et Naaman et Ahoe* v. 5 *et Gera et Sephuphan et Huram* (= Hupham). v. 6 *Hi filii Abiud, hi capita patroeciarum habitantium in Geba.*

Qui emigraverunt in areas sacras (v. ad 2,52 sqq.) : v. 7 *Naaman et Ahoe. Gera dux fuit emigrationis. Cuius filii Oza et Ahiud.*

BENIAMIN

Bela

Ared Gera Abiud

Abisue *Naaman* Ahoe Gera (cf. v. 7) *Sephuphan* Huram (= *Hupham*)

Oza Ahiud

v. 8 אתם חושים iungendum esse את מהושים, docet idem nomen v. 11 *Mehusim*; *Bara* autem idem est cum *Baria* v. 13 (ברעא = ברעה). Hos vero esse *filios* docet v. 11 verbum הוליד, quod de sola *paterna* generatione usuvenit. Ergo falsum v. 8 נשיו. quod placet emendare שניהם, uti inexplicabile illud מן שלחו in מפלגשו. Igitur Saharaim vel Asbel genuit primum cis Iordanem de *uxore sua Hodes* posteritatem minus numerosam v. 9 sq., dein trans flumen de *concubina anonyma* Mehusim et Bariam. Quia vero horum longe numerosior posteritas, ideo eorum v. 8 primum facit mentionem, dein servato ordine uxorum recenset v. 9 sq. posteros Hodes uxoris, v. 11 sq. posteros Mehusim filii, v. 13-28 posteros Bariae filii. — v. 13 est mancus, excidit quippe primus Bariae filius, qui v. 18 deprehenditur fuisse Elphaal II; etenim Elphaal v. 18 videtur esse alius ab Elphaal v. 11, cuius alii plane filii v. 12 recensentur. *Sama* v. 13 = *Semei* v. 21 (שמע = שמעי). Habes igitur v. 13-16 Bariae filios; v. 17 sq. filios Elphaal II; v. 19-21 filios Sama; v. 22-25 filios Sesac, alius v. 14 Bariae filii; v. 26 sq. filios Ieroham, quem crediderim eundem esse atque v. 14 Ierimoth, Bariae filium. Haec genealogia perquam articulata

producitur usque ad tempora post ingressum terrae sanctae et usque ad Davidem (v. 28).

Verte igitur v. 8-28 :

v. 8 *Saharaim* (= Asbel) *genuit in regione Moab de concubina sua Mehusim*[1] *et Baria, duos hos.*

v. 9 *Genuit autem de uxore sua Hodes : Iobab etc. Hi filii eius principes patroeciarum.*

v. 11 *Mehusim vero genuit Abitob et Elphaal* (I).

v. 12 *Filii Elphaal* (I) : *Heber et Misaam et Samad. Hic aedificavit Ono et Lod et filias eius.*

v. 13 *Baria genuit Elphaal* (II) *et Sama — hi principes patroeciarum habitantium in Aialon, hi fugaverunt Gethaeos* — v. 14 *et Ahi et Sesac et Ierimoth* v. 15 *et Zabadia* (I) *etc. : filii Baria.*


v. 17 *Zabadia* (II) *et Mosollam etc. : filii Elphaal* (II).

v. 19 *Iacim et Zechri etc. : filii Sama.*

v. 22 *Iespham et Heber etc. : filii Sesac.*

v. 26 *Samsari et Sohoria etc. : filii Ierimoth.*

v. 28 *Hi principes patroeciarum in generationibus suis, principes hi habitantes in Ierusalem.*



In genealogia *Iedihel* seu *Ahiram* v. 29-40 ante Nadab excidisse Ner, docet 9,36. Cf. quae ad 1 Reg. 9,1 dicebamus de genealogia Saul, quae ibi habetur completior. Quare etiam hanc genealogiam non lubet h. l. fusius explanare.

Quodsi Ierioth Azubae pater 2,18 reapse idem sit cum Ierimoth 8,14, Caleb 4ae generationis vir primam uxorem duxit Azubam 5ae generationis mulierem. Filias suas Beniaminitae honestissimis locabant nuptiis (cf. 7,15). Profecto, si secundum

1. Habes p. 174 *Wellhausii* verba, quando duae gentes in unam coalescant, haberi *coniugium*, « ut », inquit ille p. 12, « Chushim gens Danaea post exsilium nupsisse dicitur genti cuidam Beniaminaeae, quae colonias (Lod, Ono) deduxit in desertos fines, qui olim fuerant Danaeorum, 1 Chron. 8,8. 11 ». Textu prudenti coniectura restituto, perspicis non agi de Chushim sed de Mehusim, neque agi de Danaeis. Praeterea Mehusim non est mulier sed vir.

has genealogias res definiatur, videtur stirps Beniamin in deserto fuisse numeris et auctoritate praevalens, seditiosis nusquam explicite accensetur.

V. GENEALOGIA IUDA 1 PAR. 2,3-4,23.

Haec est ceteris amplior et variis constat partibus. 2,3 sq. tradit nomina filiorum Iuda : Sela, Phares, Zara. Expeditur *Zara* tribus versibus v. 6-8, ubi tamen conferas quae ad 4,16-20 dicturi sumus; breviter item et extrema universa hac genealogia 4,21-23 absolvitur *Sela,* cuius posteri pridem famosi ad paucas humilioris conditionis familias redacti fuere; *Hamul,* alter filius *Phares,* praeter nudum 2,5 nomen habet nihil; tota reliqua genealogia est *Hesronis*, primogeniti Phares.

In qua conficienda videtur auctor Par. eandem fere sequi regulam, quam in quibusdam Levitici legibus servatam contuebamur. Varias quas reperit genealogias non confundit, non in unam aliquam concoquit sed, quales accepit, tales tradit, priorem aliis appensis complet. Habes igitur primum unam Hesronis genealogiam 2,9-55, cuius filii v. 9 : *Ierameel, Ram* (vel Aram), *Caleb.*

1. Agmen ducit *regiae* stirpis auctor *Ram* v. 10-17, a quo series antecessorum Davidis texitur, fere uti Ruth 4,18 sqq., Davidis etiam familia descripta.

2. Sequitur v. 18-24 genealogia mulieris *Ephrath,* quae filios suscepit tam ex Caleb quam e Calebi patre Hesron; unde eius posteritas triste nacta est nobilitatis genus, ut supra eos, qui meri essent filii Caleb, quodammodo emineret, atque prima post stirpem regiam recenseretur.

3. Tandem v. 25-41 habetur genealogia eius, qui v. 9 primus recensebatur et revera (cf. v. 25) exstitit primogenitus, *Ierameel.*

4. Agmen claudit v. 32-55 ipsius *Caleb* genealogia propria.

Huic porro genealogiae v. 3-55 accedunt *appendices*. Cap. 3 producit genealogiam Ram a Davide usque ad exsilium et ultra. 4,1-20 complet genealogias eorum, quorum nomina 4,1 recensentur : *Sobal* 4,2, *Hur* cum *Ashur* 4,3-10, qui omnes sunt e posteris Ephrath; *Hesron* v. 11-15; *Charmi* cum *Ethan* (2,8) v. 16-20, qui erant filii Zarae.

Genealogiae Ram 2,10-17 et cap. 3 sunt de numero earum, quas p. 175 *individuorum* dicebamus; nomina tradunt, non facta, neque a nobis sunt h. l. accuratius explicandae. *Antiquissima* sunt, quae Calebum respiciunt, continentur fere temporibus Moysen inter et Iosuen, antiquissimas virorum affinitates et nuptias rimantur, amplam nostris

studiis atque perutilem materiam suppetunt. Has iam explanandas aggredimur.

1. *Genealogia Ephrath* 1 *Par.* 2,18-24.

Arg. — Mortua priore uxore Azuba Caleb uxorem ducit Ephrath Manassaeam. Quam Calebi pater Hesron suam facit, ut ex ea Esrieli, primogenito Manasse Ex. 32 interempto, posteritatem suscitet. Defuncto Hesrone recipit Ephratham Caleb.

v. 18 *Caleb filius Hesron accepit uxorem Azubam filiam Ierioth; cuius hi fuere filii : Iaser, Sobab, Ardon.*

v. 19 *Mortua Azuba Caleb accepit uxorem Ephrath, quae peperit ei Hur;*
v. 20 *Hur genuit Uri, Uri genuit Beseleel.*

v. 21 *Post haec ingressus est Hesron ad filiam Machir patris Galaad; ipse accepit eam, cum esset sexagenarius; quae peperit ei Segub.* v. 22 *Segub genuit Iair et possedit viginti tres civitates in terra Galaad :*

v. 23 *Sumpsitque Gessur et Aram,*
Chavoth Iair ab ipsis,
Canath et viculos eius —
sexaginta civitates. Omnes isti filii Machir patris Galaad.

v. 24 *Postquam vero mortuus est Hesron, ingressus est Caleb ad Ephrath, haec fuerat uxor Hesron patris eius. Quae peperit ei Ashur patrem Thecuae.*

Singula iam discutimus. v. 18 « *Caleb vero filius Hesron accepit uxorem* [*nomine*] *Azuba* ». Cum praecedens genealogia Ram v. 10 sqq. constanter verbo הוליד virorum nomina copulet, haud est mirandum initio v. 18 idem verbum irrepsisse, obscurato quod prius ibi legebatur quodque *LXX Vulg.* praeservavere verbo לקח; consonat v. 19 narrans defuncta Azuba Calebum aliam duxisse uxorem. Sensu caret *Hebr.* noster : *genuit Azubam mulierem;* — dicendum erat *filiam.* Et quid sibi vult sequens ואת יריעות? Ubi gratuito supplet *Vulg.* « [*de qua genuit*] *Ierioth* ». Quis vero *Ierioth?* virne an mulier? Mulierem censuere *LXX* suadetque suffixum in בניה. Ceterum de unica agi muliere, non de duabus, hoc ipsum suffixum suggerit et contextus clamat. Ergo pro ואת corrige בת : Caleb accepit uxorem Azubam *filiam Ierioth.* ע et מ literae antiquitus simillimae : ergo fortasse יריעות = ירימות 8,14. Qui Ierimoth Beniaminita (v. p. 187) exstitit Calebi aequalis, cum ambo quartae fuerint generationis viri. En tibi igitur sententiam omnino planam : describitur prior Calebi uxor Azuba, quam v. 19 excipit altera Ephrath, dum v. 46 habes concubinam unam Epha, v. 48 concubinam alteram Maacha. Ceterum Azubae

h. l. ideo potissimum habetur mentio, quia eius mors v. 19 occasio exstitit Calebo ducendae Ephrath, cuius explicanda suscipitur genealogia. « *Fueruntque filii eius Iaser et Sobab et Ardon* ».

v. 19 « *Cumque mortua fuisset Azuba, accepit uxorem Caleb Ephratha* », seu verius *Ephrath* (cf. v. 50; 4,4). Quae illa fuerit, doceberis v. 23. « *Quae peperit ei Hur* ». v. 20 « *Porro Hur genuit Uri, et Uri genuit Beseleel* ». Habetur hic difficultas intime connexa cum quaestione, sitne idem Caleb filius Hesron cum Caleb filio Iephone. Eundem esse, praeter rationes alias, suadent verba v. 49 : « Filia vero Caleb fuit Achsa ». Achsa, quae hic Calebo filio Hesron tribuitur filia, indubie erat filia Caleb filii Iephone (Ios. 15,16; Iud. 1,12). Verum cum his vix concordat noster v. 20, ubi Beseleel utique intelligitur famosus ille arcae fabricator (Ex. 31,2; 35,30), cum trium nominum (Hur, Uri, Beseleel) fortuita concordantia adstrui nequeat. At non potuit Beseleel esse pronepos Calebi, qui tempore, quo conficiebatur arca, non erat nisi quadraginta circiter annos natus (Ios. 14,7). Poteris igitur nostrum v. 20 tamquam adiectitium repudiare. Filii Hur recensentur v. 50-55; 4,2-4, neque ibi legitur Uri. Scriba quidam, gnarus originis Beseleel ex viro quodam Hur Iudaeo et aliquem h. l. deprehendens Hur Iudaeum, existimaverit eundem esse virum et huic loco ad marginem adscripserit genealogiam Ex. 31,2 inverso ordine. Poteris tamen v. 20 genuinum adstruere, dummodo supponas Uri et Beseleel aetate iam provectiores ad Hebraeorum sacra transiisse et familiae Hur esse adscriptos.

v. 21 « *Post haec* », post genitum sane Hur, « *ingressus est Hesron ad filiam Machir patris Galaad et accepit eam, cum esset* » *ipse* « *annorum sexaginta; quae peperit ei Segub* ». Verba sunt perspicua : sed quaeres, cur hic filius Hesron mediis generationibus Caleb v. 19. 24 inseratur, et quodnam fuerit filiae Machir nomen? Aenigma solvit v. 24, ubi אפרתה ואשת חצרון אביה corrigendum est ita : אפרת הוא אשת חצרון אביה, vox autem אביה punctanda est non feminina sed masculina. Ergo : *Caleb ingressus est ad Ephrath, haec fuerat uxor Hesron patris eius*, et haec eadem est illa *filia Machir*, quam v. 21 *duxerat* Hesron. En tibi igitur totam istam historiolam male olentem. Caleb, uxore Azuba demortua, duxit Ephrath filiam Machir et ex ea genuit Hur. Sed postea Calebi pater, cum sexagenarius esset, eandem Ephrath superstite Calebo suam fecit uxorem et ex ea genuit prolem, quae reputata est proles non Hesronis sed Machiri. Defuncto Hesrone redit Caleb ad Ephrath et ex ea generat Ashur : sed Ashur 4,5-10 non Machiri sed Calebi proles reputatur. Adverte hic, quod alias de *Manassaeis* notabamus : eorum genealogiae sunt obscurae, incom-

pletae, quaedam reticentur, uti 7,14 uxor ipsius Manasse primaria. Hic v. 19 Ephrath nomine appellatur, sed tacetur eius ex Machir origo; v. 21 eadem filia Machir scribitur, quod ad narrationem intelligendam omnino erat necessarium, sed nomen Ephrath tacetur. At non posset intelligi v. 24, nisi sciretur eandem esse Ephrath atque illam filiam Machir : igitur stilo veluti renitente versui 24 adscribuntur verba : *Haec fuerat uxor Hesron etc.* v. 22 « *Sed et Segub genuit Iair et possedit* » Iair « *viginti tres civitates in terra Galaad* ». Cf. Num. 32,41 sq. v. 23 « *Cepitque Gessur et Aram, oppida Iair, et Canath et viculos eius, sexaginta civitatum* ». Havoth Iair sunt praecise illae viginti tres civitates v. 22 : cur igitur ibi dicta repetuntur? Factum v. 22, amice suggerit *J. K. Zenner* S. I., confirmat narrator appellato *versiculo* cantici cuiusdam popularis, quod victorias Iair universim celebrabat :

Sumpsitque Gessur et Aram,
Chavoth Iair ab ipsis (incolis),
Canath et viculos eius, —

dein adscribit summam civitatum captarum : *sexaginta civitates*, qua summa illae viginti tres includuntur. « *Omnes isti* », Segub et Iair eorumque socii et posteri, « *filii Machir patris Galaad* ». v. 24 « *Cum autem mortuus esset Hesron, ingressus est Caleb ad Ephratha. [Habuit quoque] Hesron uxorem Abia* ». Corrige, uti supra monuimus : *ingressus est ad Ephrath, haec fuerat uxor Hesron patris eius.* « *Quae peperit ei* », sc. Calebo (cf. 4,5), « *Ashur patrem Thecuae* », i. e. qui hanc urbem obtinuit.

Quaeres, quomodo filii Hesrone nati reputati sint *filii Machir*. Erat apud antiquos Hebraeos una ratio, qua filius ab uno viro genitus alteri viro accenseri poterat filius : *quando sc. viro defuncto semen suscitabatur e mulieri, quae ipsi esset necessaria.* Cuius principii una applicatio erat *coniugium leviratus* : viri sine liberis defuncti *viduam* ducebat frater aliusve e proximis cognatis; primus eius coniugii filius attribuebatur non cognato, qui eum procreasset, sed viro defuncto. Cum porro vidua defuncti coniugis non esset *sanguine* affinis, requirebatur vir cognatus, e quo sanguinis communionem proles nancisceretur. Altera applicatio erat *coniugium filiae haeredis* : cuius coniugii filius primogenitus tribuebatur patri defuncto. Cum porro filia patris esset *consanguinea*, non requirebatur ut a cognato duceretur; ne tamen haereditas ad aliam tribum transiret, lege Num. 36 sancitum est, ut coniux esset ex eadem tribu. Illa igitur duo instituta ex uno effloruere principio suscitationis seminis e muliere necessaria. Quorum alterum tantum in Ephrath locum habere poterat, quae utique erat filia, non autem vidua; poterat tum tantum locum habere, si pater Ephrath sine filio decessisset. At quomodo id affirmabis, si patrem Ephrath supponas fuisse Machirum? Excesseritne is tum e vivis, ignoramus : at certe non decessit sine prole, quae 1 Par. 7,15 enumeratur; eiusque filii Gen. 50,22 leguntur nati esse in genibus Ioseph.

Rem ita explico. Fuerat Manassae filius primogenitus et Machiri frater Esriel,

pontifex sacrorum praemosaicorum, cum suis filiis pontificibus vel sacerdotibus. Cuius tota stirps Ex. 32 fuerat deleta, viri et pueri trucidati omnes, mulieres reservatae, ius primogeniturae in Machirum translatum (Ios. 17,1). Inde ab illa caede iam non erat Manassaeus, qui filius Machir non esset; non erat Manassaea, quae non esset eadem filia Machir. Ipsa *Ephrath*, quam censeo ortum duxisse ex Esriele, iure iam habebatur et v. 21 scribitur *filia Machir;* posteri eius ex Segub scribuntur *filii Machir* v. 23, itemque Num. 26,30 sq. Etenim Esriel ib. idem est atque Esriel 1 Par. 7,14, cuius stirps resuscitata narrabatur 1 Par. 2,21.23. Num. 26 non tradit genealogiam, sed familias enumerat ordine politico ita, ut, quae unam familiam ducem sequerentur, eius familiae *filii* scribantur. Esrieli redivivo non est restitutum primogeniturae ius : sed Galaado, quem Machiritae omnes ducem agnovere, tribuuntur filii Abiezer, Helec, Esriel etc. Erat Esriel *origine* quidem Machiri patruus, *iure* recensebatur Machiri, imo Galaadi filius; itemque erat Ephrath Machiri filia non origine quidem, sed iure. Praeter omnem spem exstincta videbatur Esrielis stirps, quando Hesron caedem Ex. 32 iniquius ferens attentavit Esrieli defuncto ex Ephrath eius sanguine nata suscitare prolem. Recole, quantopere Hebraeis universis cordi fuerit, non solum ne ulla unquam deficeret tribus (Iud. 21,3), sed ne ulla deficeret familia (Num. 27,3). Isque conatus in Hesrone suspicione carebat eo magis, quod is, cum esset *sexagenarius*, non facile crederetur pravo affectu in nurum esse abreptus aut sibi, qui tam numerosam haberet prolem, quaerere filios. Censuit igitur Hesron in rebus desperatis omnem legem cedere debere necessitati unius familiae nobilissimae ab interitu praeservandae, filii uxorem suam fecit, ex illa procreavit filium Segub, non sibi sed Esrieli attribuendum.

Quod ausum non potuit Moysi non plurimum displicere. Tamen, quando ab apostasia ad obsequium rediere tribus, res ita composita est, ut Segub aliique agnoscerentur quidem Esrielis filii Num. 26,31, at tota haec Esrielis familia adscriberetur filiis Galaad filii Machir, tribus primatu perpetua lege in Machirum translato. Scribuntur igitur v. 23 *filii Machir.*

Haec porro explicatio omnium, quae in textu sunt, plenam reddit rationem; cur Ephrath vocetur *filia Machir* eiusque proles *filii Machir;* cur, quamvis scribatur filia Machir prole nequaquam carentis, tamen selecta sit, e qua proles procrearetur alteri quam marito adscribenda; cur Hesron efferatur *sexagenarius* fuisse, quando nurum fecit uxorem suam; cur patre defuncto Caleb redierit ad pristinam uxorem Ephrath, nullum veluti in illa naevum deprehendens.

Dices, videri Hesronem in his omnibus egisse perquam arbitrarie; etenim semen suscitari consuevisse e filia virgine, non vero ex ea, quae alteri viro iam genuisset filium (2,19). Non erant haec tum ita definita, uti postea lege mosaica sunt circumscripta. Neque infitior Hesronem egisse arbitrio; principium de semine viro defuncto procreando e filia liberrime esse interpretatum. Verum si quem ipse in ea re excessum admisit, sanatus ille tandem est a Moyse et Hebraeis Segubum in Machiritarum album referentibus. Qua in re censendus est Moyses divinum oraculum et requisivisse et obtinuisse.

Calebi genealogiam postea adscripturi, tradimus interim genealogiam Hesron.

IUDA

Sela (cf. ad 4,21-23) — *Phares* — *Zara* (cf. ad 4,16-20)

ex uxore anonyma vel uxoribus — *Hesron* — ex Ephrath nuru — *Hamul*

Ierameel (v. infra), Ram — Caleb (v. infra) — Segub — Iair

Aminadab — cognatio Aharahel 4,8

Nahasson, stirps regia — Iabes

Genealogiam v. 18-24 allegorice explicat *Wellh.* fusius in dissertatione De gentibus etc., presse iterum in Prolegomenis p. 226 sq., ubi haec habet : « Maximi momenti sunt additamenta genealogiae Calebi adscripta, quorum una pars v. 18-24 genealogiam Calebi antecedit, altera eandem v. 50b-55 aptius consequitur. Ostendunt ea Calebum iam non australem Iudaeae plagam » (Hebronem) « prope Ierameelem incolentem (1 Sam. 25,3; 27,10; 30,14. 29), quam ante exsilium incoluerat. Eius stirpes, derivatae omnes ab eius filio Hur, incolunt Bethlehem, Cariathiarim, Saraam, Esthaol aliasque ad aquilonem Iudaeae urbes, quarum nomina in libris Esdrae et Nehemiae recurrunt. Cessere igitur Calebitae ab exsilio reduces pristinis suis sedibus aliasque obtinuere. Factum hoc ita v. 19 exprimitur, ut defuncta prima » (?) « uxore Azuba bath Ierioth (Deserta filia Nomadum) duxerit alteram Caleb Ephratham, e qua genuerit Hurum. Ephrath nomen est pagi, in quo erant Bethlehem et Cariathiarim; est profecto idem atque Ephraim nomen, quod docemur nomine Ephrati ». Ad haec advertas sequentia : v. 18-24 nihil habet allegoriae, sed crudam veritatem; non est additamentum ad v. 42-50a, sed est genealogia mulieris Ephrath, cui cum Ephraim quantum novimus nihil commune; non aguntur res post exsilium, sed aevo mosaico actae; ut Azuba explicetur « Deserta filia Nomadum », id inanis est lusus etymologicus. Wellh. non explicat, cur v. 21 Hesron scribatur « sexagenarius », cum tamen non consueverit allegoriarum adscribi aetas. E v. 23 haec (De gentibus etc. p. 15) eruit : « Diserte denique declarat epilogus v. 23, haec omnia desumpta esse de catalogo, ubi numerabantur B'ne Machir i. e. Manassaei, non B'ne Iuda ». Nomina Segub, Iair etc. fuisse etiam in catalogo Manassaeorum, facile concesserim; v. 23 ex eo catalogo derivatus esse gratis adstruitur.

2. *Genealogia Ierameel* 1 *Par.* 2,25-41.

Arg. — Uti in praecedente genealogia (Azuba, Ephrath, Ephrath 2°), ita in hac recensentur viri uxores, v. 25 prior anonyma, v. 26 altera nomine Atara, v. 27 habet filios primogeniti Aram, v. 28 Onam filium Atarae. Huius duo filii recensentur : Semei, cuius genealogia primum usque ad Oholai mulierem v. 28b-31 producitur; et Iada v. 32 sq., ubi tota genealogia concluditur vocibus « Isti fuerunt filii Ierameel ». Sed sequitur *additamentum* v. 34-41 : Oholai sc. nupta

viro Aegyptio Ieraa producit lineam Semei per plures generationes, fortasse usque ad exsilium babylonicum.

In hac genealogia unum est, quod notemus. Sesan non habens filios tradit filiam haeredem Oholai viro Aegyptio Ieraa, qui utique censendus est sacris Hebraeorum accessisse; is iam fit familiae caput. Spectato numero generationum inter Ierameel et Oholai, potuere haec agi aliquamdiu post Moysen. Sed horum similia potuere etiam agi et probabiliter acta sunt aevo mosaico, quando tot alienigenae (Ex. 12,38) Hebraeis se iunxerant. Non omnes Hebraeorum familiae recte et pure ex semine Abrahae derivabantur, sed quaedam admixtionem sanguinis alieni passae sunt haud levem.

v. 25 admirationem facit nomen *Achia*, uti videtur a *Iahve* derivandum; cuius formae nomina parentes in deserto haud videntur filiis indidisse. Sed pro אחיה legebant *LXX* אחיו et *Syr.*, unice vere, אחתם : sc. Asom *soror* erat Ram, Buna et Aram. Accipe iam genealogiam Ierameel.

ex uxore anonyma — *Ierameel* — ex uxore Atara

Ram Buna Aram Asom | Onam

Moos Iamin Acar | Semei Iada

Iether Ionathan

Nadab Abisur | Phaleth Ziza

Saled Apphaim | Ahobban Molid

Iesi

Sesan

Oholai filia nupsit Ieraa Aegyptio etc.

3. *Genealogia Caleb* 1 *Par.* 2,42-55.


Arg. — Similiter atque praecedens genealogia, haec genealogia v. 50 clauditur verbis « Hi erant filii Caleb ». Recenset ea filios Caleb e variis uxoribus. Ubi primum omittuntur, quae v. 18 sqq. recensitae fuerant, uxores Azuba et Ephrath; simulque patefit Azubam non fuisse primam eius uxorem, cum Calebi « primogenitus » v. 42 cum nullo filiorum Azubae v. 18 possit confundi. Recitantur igitur filii uxoris anonymae v. 42-45, filii Ephae v. 46 sq., filii Maachae v. 48. Sed v. 49 redit ad posteritatem paenultimae uxoris Ephae. Aut ordo sententiarum mutatus est, ut v. 49 primitus praecesserit v. 48, aut a constanti ordine semel deflexit scriptor, aut v. 49 est addititius. Quare neque certo affirmare possumus, Achsam esse Ephae v. 46 filiam :

potuit eius nomen ad calcem additamenti v. 49 adscribi, ne eius celebre nomen genealogiae deesset. Igitur genealogia v. 42-49 rationem habet *supplementi* ad illud, quod v. 18-24 de uxoribus Caleb narrabatur. De Azuba non videtur habuisse scriptor, quod adderet. Redit autem ad posteros Ephrath, cuius duo filii Hur et Ashur v. 19.24 recensebantur : explicatur v. 50-55 genealogia Hur, explicabitur 4,5 sqq. genealogia Ashur. — Genealogia v. 42-48 individuos recenset viros, quorum quandoque in terra promissa sedes adscribuntur (v. 42. 44. 45); inde a v. 49 genealogia est potius pagorum et cognationum. Affirmatur v. 52 sqq. (cf. 8,6 sq.) unum commune apud Hebraeos ante Davidem religionis centrum.


Adscribimus primum versionem cum schematibus genealogicis.

v. 42 *Filii Caleb, fratris Ierameel.*

Ex uxore anonyma : *Mesa primogenitus eius, ipse est pater Ziph. Cuius filius Maresa pater Hebron.* v. 43 *Filii Hebron,* i. e. Maresae patris Hebron : *Core et Taphua et Recem et Samma.* v. 44 *Samma genuit Raham patrem Iercaam, et Recem genuit Sammai.* v. 45 *Filius Sammai Maon, qui Maon fuit pater Bethsur.*



v. 46 *Epha concubina Caleb peperit Haran et Mosa et Iahaddai. Haran genuit Gezez.* v. 47 *Filii Iahaddai : Regom et Ioathan et Gesan et Phalet et Epha et Saaph.*



v. 48 *Concubina Caleb Maacha peperit Saber et Tharana.*

v. 49 *Et genuit Saaph pater Madmena Sue patrem Machbena, et ... patrem Gabaa. Et filia Caleb Achsa.*

v. 50 *Hi filii Caleb.*

Caleb e Maacha

Saber Tharana — Achsa ex incerta matre mediate genita

Filii Hur primogeniti Ephrath : Sobal pater Cariathiarim, v. 51 *Salma pater Bethlehem, Hariph pater Bethgader.*

v. 52 *Fuerunt autem filii Sobal patris Cariathiarim : mons dimidium areae sacrae;* v. 53 *et cognationes Cariathiarim, Iethraeus et Aphutaeus et Semathaeus et Maseraeus; e quibus egressi sunt Saraita et Esthaolita.*

v. 54 *Filii Salma : Bethlehem et Netophathaeus, Ataroth Beth Ioab, et dimidium areae sacrae inferius;* v. 55 *et cognationes scribarum habitantium in Iabes, Tirathaeus, Schemathaeus, Schucathaeus. Hi sunt hastati, quorum pater est Machmath pater Bethrechab.*

Caleb ex Ephrath

Hur

Sobal — Salma — Hariph

Sobal: Raia 4,2 — Cognationes 2,52 sq.

Raia: Iahath 4,2

Iahath: Ahumai — Laad

Saraitae

Salma: Cognationes 2,54 sq.

Machmath

Rechabitae

e prima uxore — Anonymus filius Hur 4,3 sq. — ex altera uxore

Iezrahel Iesema Iedebos Asalelphuni — Phanuel Ezer

Ad singula. v. 46 *Haran et Mosa et Gezez :* cum extremum, quod hic textus habebat, nomen esset obscuratum, scriba quidam recte iudicans nomen esse unum ex iis, quae mox repetantur, ex his errore selegit nomen *Gezez :* seligendum erat nomen *Iahaddai*, et tota iam fluit genealogia. v. 50b-55 traduntur posteri Caleb et Ephrath per *Hur* v. 19, quae antiquitus fuit nobilissima et numerosissima Iudaeorum stirps. Erat Hur *primogenitus* non Calebi quidem (cf. v. 18), sed *Ephrath,* quae post ipsum genuit Segub et Ashur; genealogia autem Ashur suppletur 4,5-10. Posteri igitur Hur, praeter Hariphitas v. 51, sunt *Sobalitae* v. 52 sq. et *Salmaitae* v. 50 sq. *Vulg.* sensum obscurat aliqua nomina propria vertere conata. הַצָּרְעָתִי v. 53 sunt incolae urbis Sarea Ios. 15,33; 19,41; Iud. 13,2. 25; 16,31; 18, 2. 8. 11. Quod nomen non necessario eundem locum respicit atque v. 54 הַצָּרְעִי, licet utrumque nomen ab eadem radice et a simili indole locorum petatur. Distinguuntur sc. v. 52.54 *duae dimidiae partes* cuiusdam loci, qui מְנֻחוֹת, *requietiones* audit. Pro הראה חצי מנחות lege הר החצי מנחות (primam vocem *LXX* aliter atque Masor. punctabant : ἀραά), ergo : *mons, dimidia pars requietionum.* Sed quid est וחצי המנחתי הצרעי? Ex oppositione ad praecedentem expressionem sensus videtur esse *dimidium requietionum in valle situm;* et reapse radix צרע in lingua arab. significationem habet *prosternere,*

e qua significatio *vallis* seu regionis demissioris videtur repeti posse. Quid porro sit מנחה seu מנוחה, *requietio*, in comperto est. Hoc nomine venit *locus requietionis arcae* (Num. 10,33; Ps. 94 [95],11; 131 [132],8). Quo tempore igitur v. 50-55 scribebantur, arca suam requiem seu stationem habebat in finibus Iudaeorum prope Cariathiarim, cuius duae erant partes, *mons*, in quo sine dubio erectum erat tabernaculum, et *vallis*. Ille erat in finibus Sobalitarum, haec in finibus Salmaitarum. Nomen etiam urbis צרעה explicant, ut sit urbs loco *humiliore* sita. Ceterum, si non tibi satis tuta videatur interpretatio הצרעי = *inferius*, vertas *dimidium areae sacrae Saream respiciens* vel *attingens*. A Sobal, cuius *filii* recensentur non individui homines, sed pagi et stirpes, transit oratio ad Salmaitas : *Filii Salma : Bethlehem*, cuius *pater* v. 51 Salma scribebatur, *et Netophathaei, Ataroth Beth Ioab, et dimidium areae sacrae inferius; et cognationes scribarum habitantium in Iabes, Tirathaei, Schemathaei, Schucathaei*. Sicut 4,23 habetur familia iudaea, qui erant figuli regii, ita alia familia prope sanctuarium aliquando incolens scribarum artem suam fecerat : artes quippe haud raro familiarum erant, et a patribus in filios transmittebantur. Sequens *hi* referaturne ad solos Schucathaeos an ad alios quosdam, non liquet. קינים intelligimus non Cinaeos non hebraeos (Num. 24,21; 1 Reg. 15,6), quibus cum hac genealogia nihil commune, non incolas urbis Cain (Ios. 15,57) prope Ziph sitae ideoque nimium distantis a Bethlehem, sed, attenta punctatione *Masor.*, vocem derivamus a קין, *hasta* (2 Reg. 21,16), sicut a קשת, *arcus* derivatur קשת (Gen. 21,20), *sagittarius*. Sicut Iabesitae se devoverant operi scriptorio, cuius plurimus prope sanctuarium usus erat, ita Salmaitae alii tamquam custodes armati, hastati circa sanctuarium excubabant, dum illud prope eorum fines versabatur. Verte : *Hi sunt hastati, quorum pater est Machmath, pater Bethrechab*. Cum *Machmath* dicatur *pater Bethrechab*, certe non agitur de urbe Emath, sed de viro aliquo : porro הבאים vel הבאים מן non est expressio in his genealogiis usitata ad exprimendam *generationem* ex aliquo; quare pro הבאים suggero ואביהם. Igitur Ionadab Rechabitarum 4 Reg. 10,15. 23; Ier. 35,2 sqq. pater per Machmath ex Salma originem duxit.

Sane, qui scribebat v. 52 sqq., persuasum habebat, si quando arca alio migraret, illas duas areas, מנחות a Sobalitis et Salmaitis fore incolendas. Sed aliter res cessit, sive pacto sive violentia : sc. postquam 13,5 sqq. David arcam abduxit de Cariathiarim, stirps Gera beniaminitae cum stirpibus item beniaminitis Naaman et Ahia 8,6 sq. in illas מנחות immigravere. Haec autem summi momenti sunt pro Pentateuchi historia. Recentiores, fidem Pentateucho denegantes, defendunt nullum ante exstructum templum Hebraeis fuisse commune et permanens religionis centrum. Errant : fuit sat longo ante Davidem tempore prope Cariathiarim area sacra מנחה et in illa area tabernaculum cum arca, eadem prorsus ratione qua in itineribus deserti arca suas successivas habuit stationes seu מנחות.

In avia et devia abripitur *Wellh.* (De gentibus etc. p. 29 sqq.), comparato Idumaeo Sobal ben Manachath Gen. 36,23 : en tibi unam eandemque familiam partim Hesronaeis, partim Idumaeis accensitam. Ut nomen Sobal interiecto longiore tempore semel apud Idumaeos, semel apud Hebraeos reperiatur, tanto minus est mirandum, quod ipse Wellh. p. 38 sq. duodecim recenseat nomina Idumaeis atque Hebraeis communia. Verum מנחת Gen. 36,23 est nomen proprium masc. sing., מנחות 1 Par. 2,52 est nomen appellativum fem. plur.

4. *Additamenta ad genealogiam Iuda* 1 *Par.* 3,1-4,23.

Completurus auctor genealogiam Iuda, cap. 3 fuse producit genea-

logiam *Ram*, quae est stirpis regiae, usque post exsilium. Pro reliqua genealogia Iuda adscribit 4,1-23 quaedam, ut ita dicam, genealogiarum fragmenta. Quae ipse tradit talia, qualia ipse accepit, minime conatus ea cum genealogia cap. 2 artificiose confundere. Sic v. g. 4, 13-15 affinitatem explicat inter Caleb et Othoniel, sed cur idem Caleb modo filius Hesron, modo filius Iephone audiat, non explicat, fortasse quod rationem ipse non perspexerit. Praemittit autem suis additamentis v. 1 : *Phares-Hesron, et Charmi, et Hur-Sobal*, citans genealogiae cap. 2 illa capita, ad quae additamenta referuntur. Copula deest inter *Phares* et *Hesron :* citatur sc. titulus genealogiae 2,5 *Phares : Hesron.* Apud *LXX* deest item copula inter *Hur* et *Sobal :* citatur titulus genealogiae 2,50 *Hur : Sobal.* Non scribitur *Zara-Charmi,* quia 2,6 illa nomina non iungebantur immediate. His titulis respondent, quae habentur 4,1-20. Habes filios *Sobal* v. 2, et filios *Hur* v. 3 sq., quos intuitu illius copulae a LXX omissae crediderim item ab Hur ortum duxisse *per Sobal.* v. 11-15 agitur de filiis *Hesron.* Unde oritur probabilitas v. 5-10 vel v. 16-20 quaerenda esse ea, quae nomini *Charmi* respondeant. Porro v. 5-10 habetur genealogia *Ashur* fratris Hur (2,24), quae praefixo v. 5 ל genealogiae Hur veluti adnectitur; eique v. 8ᵇ-10 appenditur nota de uno aliquo viro *Iabes*, stirpis non Hur sed Ram, quae minutior erat, quam ut proprio v. 1 distingueretur titulo; ita ut tota tandem pericope v. 2-10 uni respondeat v. 1 inscriptioni Hur-Sobal. Sub hac subsumi etiam aliqua, quae a generatione Hur-Sobal sint aliena, haud miraberis, si recorderis, quomodo in Ex. et Lev. legibus liberiore saepe calamo appendiculae adscribantur. Manet igitur pro *Charmi* v. 16-20 : sc. *Ezra* v. 17 idem est atque *Azarias* 2,8 (עזרה = עזריה) eademque ratione, qua Ashur v. 5 adnectitur filiis Hur-Sobal, adnectitur Ezra *Ialeleeli* v. 16, quem filium Charmi esse censeo : etenim propter v. 1 debet aliquid genealogiae Charmi latere in pericope v. 1-20, aliud vero ei tribui potest nihil praeter v. 16. Habes igitur additamenta tria, quae titulis v. 1 correspondent, sed alio ordine scribuntur :

a. additamentum genealogiae Hur-Sobal cum Ashur v. 2-10,
b. additamentum genealogiae Phares-Hesron v. 11-15,
c. additamentum genealogiae Charmi cum Ethan (2,8) v. 16-20[1].

Sc. v. 1 tituli recitabantur eo ordine, quo se excipiunt 2,5. 6. 50; sed v. 2-20 materia tractatur ita, ut, absolutis primum v. 2-15, quae

1. *Wellh.* (De gentibus etc., p. 20) : « citra omnem dubitationem », inquit, pro כרמי v. 1 legendum est כלבי. Cui nos reponimus, citra omnem dubitationem deficere sufficientem rationem emendandi textus.

posteros *Phares* attingunt, subnectantur v. 16-20 quae *Zaram* (Charmi) respiciunt. Tandem v. 21-23 subiicitur genealogia *Sela* primogeniti Iuda, quae cap. 2 omnino praetermittebatur.

a. Ad genealogiam Hur-Sobal 1 Par. 4,2-10.

v. 2 *Raia filius Sobal genuit Iahath, et Iahath genuit Ahumai et Laad. Hae cognationes Saraitarum.*

v. 3 *Hi filii... patris Etam* e prima uxore : *Iezrahel et Iesema et Iedebos; nomen sororis eorum Asalelphuni.* v. 4 Ex altera uxore : *Phanuel pater Gedor, et Ezer pater Hosa.*

Isti sunt filii Hur primogeniti Ephrath, patris Bethlehem.

Sarathi v. 2 (*Vulg.*) iidem sunt atque 2,53 *Saraitae*. Sitne *Raia* immediate natus ex Sobal, non liquet. Fortasse auctor, 2,53 explanaturus, distincte quidem explicuit Saraitarum e Sobalita quodam Raia originem, sed ipsius Raiae natales accuratius non explicuit, quod ipse accuratius non habuerit perspectos. — Cur viros etiam v. 3 sq. Sobalitas fuisse reputemus, dicebamus supra. Lectio *Hebr.* v. 3 : *Hi pater Etam* a genealogiarum modo dicendi dissonat, quae individuorum vel familiarum affinitates exprimentes aliquando nomini alicui adscribunt formulam *pater X*, sed non illud primum intendunt urbium vel pagorum *patres* describere. Sed norant etiam *Masor.* lectionem *LXX* : *Hi filii Etam.* Probabilior nobis videtur lectio ex utraque lectione composita :*Hi filii patris Etam.* Exsurgit porro quaestio, fueritne primitus in textu necne *nomen* illius patris Etam. Fuisse suadet modus loquendi in his genealogiis usitatus, quo titulo *patris* alicuius urbis vel pagi semper etiam viri nomen proprium adscribitur (2,49 sqq.; 4,4 sq.; 7,31 etc.) : ergo adfuerit etiam h. l. primitus viri nomen proprium. Potuit tamen illud primitus etiam non adfuisse in textu, auctore illud non exprimente ideo, quod ipse illud compertum non haberet. Ceterum illum patrem, quocunque tandem nomine appellaretur, fuisse de posteris *Hur* affirmat v. 4. Eius v. 3 ex aliqua uxore tres filii recensentur; recenseri v. 5 alterius uxoris filios patet ex adscripto extremo v. 3 *filiae* nomine, filiae quippe ad calcem fratrum adscribi consuevere. Vere *primogenitus Ephrath* erat Hur, cuius secundogenitus, ex alio utique patre, exstitit Segub 2,21. Vocatur autem Hur *pater Bethlehem,* quia pater exstitit Salmae 2,51, qui ipse in Bethlehem sedem fixit.

v. 5 *Ashur patri Thecuae erant duae uxores, Halaa et Naara.*

v. 6 *Peperit ei Naara Oozam et Hepher et Themani et Ahasthari. Hi filii Naara.*

v. 7 *Filii Halaa : Sereth et Isaar et Ethnan et Cos.*

v. 8 *Cos genuit Anob et Soboba.*

Igitur genealogiae Hur adnectit v. 5 genealogiam fratris eius *Ashur* per duas viri uxores. Abrupte adscribitur v. 8ª *Cos,* cui nihil commune cum v. 8ᵇ novam *cognationem* explicaturo. Sed docet *Keri* extremo v. 7 excidisse וקוץ, atque ita v. 8ª praecedentibus iungitur.

Caleb ex Ephrath

e Naara uxore — Ashur — ex Halaa uxore

Oozam Hepher Themani Ahasthari | Sereth Isaar Ethnan Cos

Anob Soboba

Cognatio Aharahel filii Ram.

v. 9 *Fuit Iabes inclitus prae fratribus suis. Cuius mater vocavit nomen eius Iabes dicens : Quia peperi eum in dolore.* v. 10 *Invocavit vero Iabes Deum Israel dicens : Si benedicens benedixeris mihi, et dilataveris terminos meos, et fuerit manus tua mecum, et feceris me a malitia non opprimi, —. Et praestitit Deus, quae precatus est.*

v. 8 a ומשפחת, cui voci non praefigitur את, nova orditur sententia (*LXX*). Licet enim Hebraei paternitatem mediatam scribant ad instar immediatae, haud credo auctorem nostrum illas confusurum fuisse ita : Cos *genuit* cognationem Aharahel *filii* Arum. הרם est ille antea iam appellatus *Ram*, probabilius non ille cuius 2,27 tres recitabantur filii, sed famosior ille filius Hesron, cuius 2,10 unicus filius Aminadab recensebatur in genealogia singulorum singulos tantum filios enumerante. Noluit igitur noster auctor silentio praeterire originem incliti illius viri Iabes sed, quod de ipso compertum habebat, h. l. adnexuit, fortasse quod cognatio Aharahel prope filios Ashur sedes haberet, vel alia de causa. Cuius viri egregie facta antiquitus omnibus oppido nota auctor cum viri *nomine* tamquam adminiculo mnemoneutico connexuit, ut sc. nomen in memoriam revocaret audientibus et dolorem matris virum parientis (עצב) et ipsius viri votum in rebus difficilibus (עצבי) feliciter emissum. v. 10 nomen divinum אלהים admirationem non facit, cum illud resumat praecedentem expressionem אלהי ישראל. Natus est igitur Iabes temporibus perturbatissimis, matre uti videtur pia. An illa fortasse fuere magnae apostasiae tempora? Ipse Iabes item fuit vir pius, invocavit enim *Deum Israel* et voto se illi obligavit. Is ab inimicis ad angustias redactus a Deo impetravit, non solum ut ab illis se defenderet, sed ut fines suos extenderet. Ergo inimici illi non erant hebraei, Hebraeorum quippe fines abripere nefas erat.

b. Ad genealogiam Phares-Hesron 1 Par. 4,11-15.

Duo habentur documenta : v 11 sq. recitant filios Caleb, patris vel fratris Suae; v. 13-15 filios Caleb filii Iephone.

Prius sic habet : v. 11 *Caleb frater Sua genuit Mahir, qui fuit pater Esthon.* v. 12 *Esthon*, seu Mahir pater Esthon, *genuit Bethrapha et Phesse et Tehinna patrem urbis Naas. Hi sunt viri Recha.*

Calebum v. 11 *LXX* vocant non *fratrem Sua*, sed *patrem Achsae :* Suam ergo v. 11 intelligunt eundem esse atque Sue, cuius nomen 2,49 nomen Achsae proxime antecedit (שוחה = שוא), et pro *fratre* legunt *patrem*. Quae lectio ideo arridet, quod in genealogia reapse exspectes virum describi per filium potius quam per fratrem; obiici tamen potest auctorem hisce additamentis nobis tradere tantum, quantum ipse compertum habeat : norat, hunc Caleb fratrem exstitisse Suae cuiusdam, id scribit

et secus nihil. Ceterum interpretationem illam LXX suspectam reddit alia eorum mutatio non satis tuta : pro *Recha* sc., רכה scripsere *Rechab*, רכב (cf. 2,55), notum pro ignoto. Igitur interpretantibus nobis v. 11 sq. triplex consideranda est hypothesis.

Si Sua alius sit quam Sue, tum genealogia v. 11 sq. erit sane iudaica (cf. v. 1), sed cuius stirpis tribus Iuda hic Caleb fuerit non liquet. A v. 3-10, quae intime nectuntur inter se, videtur v. 11 sq. utique esse separandus, qui nullum cum illis prae se fert nexum. An igitur idem Caleb v. 11 atque Caleb v. 15? Non necessario idem. Potuit auctor, completurus v. 13-15 genealogiam Caleb filii Iephone seu filii Hesronis, v. 11 sq. per antithesin meminisse alterius cuiusdam Caleb etiam Iudaei, sed fortasse non Hesronitae, ne quis illos duos confunderet. Etiam in hac hypothesi v. 11 sq. intimius iungitur cum v. 13-15.

Si Sua idem sit atque Sue et Caleb huius viri *frater*, dein huius Caleb nomen 2,49 desideratur, fortasse Caleb ille est qui ibi « pater Gabaa » scribitur. Hic Caleb est Hesronita, v. 11 sq. omnino iungendus est cum v. 13-15.

Si Sua idem sit atque Sue et Caleb huius viri *pater*, tum hic Caleb ipse est Caleb filius Hesronis seu Iephone, mediatus utique, cum pater immediatus 2,49 scribatur Saaph. Rursum v. 11-15 intime sunt connexa.

Non est sufficiens ratio confundendi Recha et Rechab. Rechabitae 2,55 videntur derivari a Caleb non per Saaph nepotem Ephae (2,46), sed per Hur filium Ephrath (2,50).

Transimus ad documentum v. 13-15. Quod evidenter studet explicare affinitatem inter Caleb et Othoniel. v. 13 sq. enumerantur posteri Cenez cuiusdam, cuius antea mentio non habebatur, cuius neque pater neque frater neque urbs indicatur; v. 15 vicissim aliqui Calebi posteri enumerantur, quorum uni nomen Cenez. Disiecta sunt genealogiae huius membra : antepone v. 15 versibus 13 sq. et plana sunt omnia, Cenez v. 15 idem est atque Cenez v. 13, genealogia a Caleb profecta per Cenez pertingit ad Othonielis filios. Extremo v. 13 excidit, quod *Vulg.* praeservavit, ומעונתי.

Ergo textus hic est : v. 15 *Filii Caleb filii Iephone : Hir et Ela et Naham. Filii Ela : Cenez.* v. 13 *Filii Cenez : Othoniel et Saraia. Filii Othoniel : Hathath et Maonathi.* v. 14 *Maonathi genuit Ophra. Saraia genuit Ioab patrem Vallis opificum; opifices quippe fuere.*

Othonieli fuisse fratrem alterum, Caleb minorem, docemur Ios. 15,17; Iud. 1,13. Habemus igitur genealogiam sequentem.

Caleb ex uxore anonyma

Hir | Ela | Nahan

(Ela) — Cenez

(Cenez) — Othoniel | Saraia | Caleb minor

(Othoniel) — Hathath | Maonathi

(Saraia) — Ioab

(Maonathi) — Ophra

Verum aliqua nobis h. l. est ratio reddenda, cur Caleb filius Hesronis Num. 13,7; 14,6 etc. dicatur *filius Iephone*, et Num. 32,12; Ios. 14,6 insuper *Cenezaeus*. Coniecerit quis, Iephonem fuisse matrem Caleb et uxorem aliquam Hesronis : cf. *arab.* יפנה = vacca; *Syr.* יופנה (cf. *P. de Lagarde* : Bildung der Nomina, Göttingen 1889, n. 189 lin. 4-8; *I. Barth* : Die Namenbildung in den semitischen Sprachen, 2. Ausg. Leipzig 1894 p. 380. 385). Verum ea hypothesis non consonat adscripto *Cenezaeus* : filius Hesronis certe non erat futurus Cenezaeus, sed Hebraeus. Etenim קנזי forma est nomen gentilicium, et Gen. 15,19 legitur tamquam nomen gentis alicuius tempore Abrahae Palaestinam incolentis. Sensus igitur obvius expressionis hic est, Calebum, et probabilius item patrem eius Iephone, fuisse origine non Hebraeos, sed Hebraeorum sacris et familiae Hesron Iudaei accessisse. Quo etiam mitigatur factum Hesronis 1 Par. 2,21, quod secus ab incestu haud posset excusari. En tibi potentissimam eius aevi tribus Iuda familiam, ab Abraham derivatam fide, non carne; Caleb Cenezaeum ducentem uxores filias principum stirpis Abraham, Azubam Beniaminitam (?), Ephrath Manassaeam; ipsam Hebron, regni davidici primum caput, incolas habentem sanguinis mixti. Recole, quae CEL p. 37 dicebamus de Moyse, quae e genealogiis 1 Par. demonstrabamus, Iosuen, Calebum, Beseleelem fuisse proselytas aut proselytarum filios, et perspicies quantum rei publicae hebraeae condendae contulerint viri insignes non hebraei.

c. Ad genealogiam Charmi 1 Par. 4,16-20.

v. 16 *Filii Ialeleel : Ziph et Zipha, Thiria et Asrael.*

v. 17 *Filii Ezra* (= Azarias 2,8) : *Iether et Mered et Epher et Ialon. Genuitque* Meredo Bethia filia Pharaonis *Mariam et Sammai et Iesba patrem Esthamo. Hi filii Bethiae filiae Pharaonis, quam accepit Mered.*

v. 18 *Et uxor eius iudaea peperit Iared patrem Gedor, et Heber patrem Socho, et Icuthiel patrem Zanoe.*

v. 19 *Et filii uxoris iudaeae alterius : Naham pater Ceilae Garmi, et Esthamo Machathi, et Simon.*

v. 20 *Filii Simon : Amnon et Rinna, Benchanan et Thilon, Beniesi, Zoheth et Benzoheth.*

Cur v. 16 Ialeleel familiae Charmi tribuamus et Ezra v. 17 eundem esse censeamus atque Azariam 2,8, dicebamus p. 198. v. 17 post ותהר, quod verbum exigit mulierem subiectum, *Masor.* monent adesse חסר, *lacunam*, quae attento v. 18 (cf. *Malv.*) explenda fere erit ita : *Et genuit Meredo Bethia filia Pharaonis Mariam et Sammai et Iesba patrem Esthamo.* Dein huc trahenda sunt verba in v. 18 delapsa : *Hi filii Bethiae filiae Pharaonis quam sumpserat Mered.* Tandem recensendi sunt filii uxoris

iudaeae v. 18[a], qui nullo nomine dici poterant filii Bethiae. Rursum igitur posteri Mered recensentur ordine uxorum : primum filii uxoris Aegyptiae filiae Pharaonis, dein v. 18 filii uxoris e tribu Iuda, tandem v. 19 filii Odaiae item iudaeae. v. 19 admirationem facit in textu hebraeo scribi uxoris nomen (Odaia), dum nomen iudaeae v. 18 reticebatur, originem reticeri, dum duarum v. 18 uxorum origo exprimebatur; tandem studiose describi uxorem per fratrem ceteroqui plane ignotum. Responderi quidem potest auctorem non omnia scivisse, quae sciverit scriptis consignasse. Fortasse pro אחות הודיה legendum יהדיה אחרת. Voces articulum habentes הגרמי et המעכתי crediderim esse appositiones ad nomina sive virorum (Naham — pro altero viro scriptum nomen urbis Esthamo), sive urbium (Ceila-Esthamo), ut ab his duobus viris non omnes duarum urbium incolae sint orti, sed aliqui tantum (cf. v. 17). v. 20. *Simon*, uti textus nunc habet, neque cum sequentibus connectitur, quae novam tradunt genealogiam, sc. Selae, neque cum praecedentibus, quae nomen istud ignorabant. Crediderim extremo v. 19 excidisse *et Simon*, ita ut Simon fuerit filiorum Odaiae seu alterius iudaeae unus. Potuit tamen etiam, uti Ialeleel v. 16, Simon esse posterorum Zarae aliquis, cuius sobolem compertam habuerit auctor noster, non vero accuratiorem e Zara originem.

Zara 2,6 sqq.

Zamri | Ethan Eman Chalcai Dara

Charmi Ios. 7,1 | Azarias seu Ezra 4,17

Achan seu Achar | Iether Mered Epher Ialon

Ialeleel 4,16

1. e Bethia filia Pharaonis : Maria Sammai Iesba
2. ex uxore iudaea : Iared Heber Icuthiel
3. ex altera uxore iudaea : Naham Esthamo Simon (?)

Ziph Thiria Asrael

Amnon Rinna Benchanan Thilon
Beniesi Zoheth Benzoheth

Verum attente perpende istam *filiae Pharaonis* historiam. Quandonam, quaeso, potuit Mered non dico filiam suam dare Pharaoni uxorem, quod ob eximiam venustatem humilioris etiam conditionis puellae accidere poterat, sed filiam Pharaonis insigni privilegio ipse accipere uxorem? Sane id non factum est temporibus neque Iosue neque Iudicum; filia Pharaonis non est ex Aegypto Hebraeis submissa in desertum, non aufugit e domo paterna admiratione abrepta sacrorum sinaiticorum, sed Hebraeis Aegypto egredientibus egressa est etiam ipsa, quod alicui Hebraeorum esset iam tum matrimonio iuncta. Eratne ita nobilis vel ante exodum in Aegypto Mered, ut ei Pharao filiam concesserit uxorem? Cuius pater Ezra Iudae erat pronepos. Ezrae vero pater Ethan 2,6 secundus scribitur Zarae filius, ergo non videtur fuisse primogenitus; neque Zara erat Iudae primogenitus, sed Sela; neque tribus Iuda videtur in Aegypto esse habita tribuum nobilissima,

sed Manasse et Ephraim, tribus Iosepho prognatae; Mered item scribitur secundus Ezrae filius, ut non videatur fuisse primogenitus. Unde igitur Meredo, viro vix non obscuro, insigne illud privilegium? Accipe, quam coniicimus, solutionem.

Ille Hebraeorum ante Moysen pontifex anonymus uxorem habebat Bathiam filiam Pharaonis. Alias etiam dedisse Pharaones pontificibus filias uxores, disce ex *Erman* p. 109. 118. In caede illa Ex. 32 interempti sunt stirpis pontificiae viri omnes; reservatae mulieres (cf. Num. 31,15) aliae aliis cessere Hebraeis, filiam Pharaonis suam fecit Mered. O miram rerum vicissitudinem! Habes Moysen populi ducem, qui « negavit se esse filium filiae Pharaonis » (Hebr. 11,24); habes alteram miserrimam Pharaonis filiam, marito ac filiis crudeliter orbatam ad Hebraei cuiusdam torum abreptam.

d. Genealogia Sela filii Iuda 1 Par. 4,21-23.

Sensum obscurat *Vulg.* vertens aliqua nomina propria. Genealogia est summaria, properans ad describendas sedes postmodum in terra sancta occupatas et conditionem tempore regum; non facta pandit aevi mosaici, non antiquissima recenset nomina, ab urbium quarumdam *patribus* orditur. v. 21 *Filii Sela, filii Iuda : Her pater Lecha,* fortasse nomen nactus in memoriam prioris illius Her 2,3, *et Laada pater Maresa, et cognationes* incolentes *Beth Abroth habuz* seu, literis ה et י simillimis inter se, *Beth faucium Iabes* (2,55), *usque Beth Eschba,* v. 22 *et Iokim, et viri Kozba* (locus כזיב Gen. 38,5 [Hebr.] significanter effertur tamquam locus, ubi natus est ipse Sela), *et Ioas et Saraph, qui dominati sunt Moab, et Iasubi-Lechem,* post quod nomen *LXX* ignorant copulam, *verba antiqua.* ישבי לחם, nomen simile illi 1 Par. 11,11 ישבעם. Quod non vertas « revertens ad panem » neque « revertens Bethlehem », sed « revertens a pugna » (Iud. 5,8), sc. onustus praeda. Pro הדברים legebant *LXX* הבדרים; fortasse primitus legebatur הגברים, *heroes antiqui.* A recitandis *cognationibus* deflectit genealogia ad trium *heroum* nomina, qui Moabitas subegere et egregia facinora peregere, iudicum aut priorum regum aevo, nam Moyses et Iosue non dimicarunt contra Moabitas. v. 23 *Isti sunt figuli habitantes in Netaim et Gadara* (Ios. 15,36; 2 Par. 28,18), *cum rege* Iuda *in opere suo habitarunt ibi.* Selae, primogeniti Iuda, stirps numeris non videtur valuisse, regum aevo paucis humilioris conditionis familiis constabat, quarum aliquae certe figlina arte victum comparabant. Servabant tamen in rebus tenuibus memoriam trium pristinorum suae stirpis heroum. Quaerenti ex eis accuratam temporum rationem, quando isti

heroes floruissent, respondebant ea esse *verba antiqua*, diu ante sua tempora acta esse.

Si ex inspectis genealogiis fas sit rerum in deserto conditionem definire, nulla tribus tribu Iuda florentior, ad quam proxime videtur accessisse tribus Beniamin. Sane in dissidiis prope Cadesam obortis plurimum intererat, utram partem hae tribus et imprimis tribus Iuda tuerentur. In qua infirmior videtur fuisse primogenita familia Sela; florentior, quod e Meredi facto infero, familia Zara; hac etiam longe florentior familiae Phares stirps Hesron. Cuius exstitere duo totius tribus principes Nahasson Num. 1,7 et Caleb 34,19. Inclitus prae reliquis Caleb, vir insignis robore (Ios. 14,10 sq.), pugnator validus (ib. et Iud. 1,12), tribuum potissimarum coniugiis nobilitatus, numerosissimam habens familiam, cuius e tribus saltem uxoribus duabusque concubinis recenseantur filii, nepotes et pronepotes plus quam 42, vir ditissimus, potentissimus Moysique, uti apparet, per omnia fidus. Hic autem vir, cuius in stabilienda Hebraeorum republica tantae partes fuere, ipse Cenezaeus erat, Abrahamida non carne sed fide; tota eius numerosissima stirps plus habebat sanguinis alieni quam hebraei, divinum oraculum Gen. 15,19 fide verterat in benedictionem.

VI. SUMMA EORUM, QUAE GENEALOGIIS EDOCEMUR.

Hic nobis explicandarum genealogiarum finis. Affirmat *Ios.* (Vita 1; c. Apion. I. 7), suo tempore sacerdotum genealogias describi consuevisse accuratissime, atque sacros libros habuisse genealogiam pontificum ab initiis gentis completam; non affirmat, singulas tribus accuratas ab initio genealogias condidisse et asservasse neque, si id eas fecisse supponamus, videtur auctor 1 Par. eiusmodi accuratas et completas genealogias prae manibus habuisse: ea, quae comperta habebat, tradebat, accuratiores et, studiose conquisitis appendicibus, completiores quarumdam tribuum genealogias, aliarum tenues et mancas. Et accuratiores quidem tradit earum tribuum, quae postea etiam in republica Hebraeorum plurimum valuere, i. e. praeter Manassen, tribuum Iuda, Ephraim, Beniamin, Levi.

Facta nobis genealogiae supplent fere haec. Non Ioseph solum, sed filii eius similiter, apud Pharaones summo in honore fuere. E quibus Ephraim dux exstitit expeditionis in Gethaeos susceptae, infausto utique successu. Habuere in Aegypto Hebraei, quod CEL p. 6 sqq. 11 etc. discutiebamus, sua sacra, sacerdotes e Manassaeorum familia principe. Qui Moysi populum educenti pertinaciter obnisi Ex. 32 tandem trucidati sunt. Maribus interfectis omnibus mulieres servatae. Pontificis, uti videtur, viduam Bathiam, Pharaonis filiam, ad suum torum transtulit Mered Zaraita. Hesron Ephratham, familiae illius principis, uti videtur, filiam, filio Caleb ereptam suam fecit uxorem, ut familiae exstinctae suscitaret prolem. Interim Hebraei (Ex. 12,38)

plurimum erant alienigenis permixti, illis iungebantur coniugiis, filias nuptui dabant, ut in Hebraeorum familiis quandoque plus esset sanguinis alieni quam hebraei.

Habent praeterea alia rerum gestarum *vestigia* genealogiae, quae clariora fiunt, si cum iis conferantur, quae aliunde de Israelitarum apud Cades apostasia comperimus. Tribum *Levi* Moysi fideliter adhaesisse, dicebamus p. 168 sqq. Inter tribus apostatas primus fere locus tribuendus erit tribui *Manasse*, quae ob caedem Ex. 32 debuit Moysi esse infensa neque Num. 32 illi videtur fuisse plene reconciliata, quaeque tantis per illos 37 annos aucta est incrementis (v. p. 23). Sed Machir, eius tribus princeps, duplici coniugio (cum Maacha et Meleketh) devinctus erat stirpi Ahiram inter *Beniaminitas* nobilissimae: coniugia principum haud raro foederibus gentium consummantur. Mered item Zaraita de tribu *Iuda* coniugio filiae Pharaonis Manassaeis affinitate iungebatur. Hesron, numerosissimae Iudaeorum familiae caput, Manassaeis favebat, Esrielis familiam exstinctam suscitare studebat; num vero totam propriam familiam, Caleb etiam et Hur, ad suas partes traxerit, ambigimus; Aaron uxorem duxerat stirpis Ram. *Rubenitae* (cf. Num. 16) Moysi adhaeserant inviti, neque postmodum Num. 32 Moyses illis videtur plene fisus esse. Cui parti tribus *Ephraim* accesserit, non liquet. Iosue utique, fidus per omnia Moysis comes, credendus est Moysi adhaesisse : sed Iosue neque genere erat suae tribus caput, neque a Moyse ad eam dignitatem evectus fuerat (Num. 1,10). Manasse et Ephraim, licet essent distinctae tribus, arctiori quam reliquae tribus inter se vinculo nectebantur tamquam domus Ioseph (cf. Num. 1,10. 32; 26,28; item 13,12; 34, 23; 36,1. 5. 12), ita ut post Iacob (Gen. 49,22) Moyses utrique tribui sub nomine Ioseph unam Deut. 33,13 largitus sit benedictionem. Genealogiae cum Num. 1,5-15 collatae nequaquam efficiunt Num. 1 sq. illos a Moyse tribubus esse praefectos, qui *genere* essent tribuum capita. Quodsi autem homines novos tribubus Moyses praefecit, exasperavit profecto animos eorum, penes quos antea rerum summa fuerat, multasque familiarum excitavit invidias; qui turbis Cadesae natis fortasse usi sunt occasione ad suas res restituendas. Non sunt haec nisi indicia quaedam, quae suggerunt, initio magnae illius apostasiae tribus potiores omnes a Moyse defecisse; quarum exemplum facile sequebantur secundae notae tribus. Consonant haec omnino cum Deut. 33,9, tribum Levi in ea apostasia habuisse necessarios quosque adversarios.

At versam esse in melius Moysis sortem putaverim, quando defuncto Hesrone stirpi Hesronis praefuit Caleb. Etenim praefuisse mihi

certum est virum, cuius tanto studio genealogia, quanto postmodum nullius regis genealogia, describitur. Caleb, revocata ad suum torum Ephrath, eius cum Hesrone convictum irritum fuisse declarabat. Neque ita multis post ortam apostasiam annis mortuus est Hesron, cum eo defuncto Ephrath adhuc fuerit par edendis liberis.

Redeo tandem ad *Esrielis* 7,14 (Num. 26,31) nomen, quod in illis turbis fere debuit esse pugnantium tessera, aliis pro Esrielis familia et Manassaeorum iuribus contendentibus, aliis eadem respuentibus. Quam simile porro nomen אשריאל sit nominis ישראל, nemo non videt. Posteriores Hebraei a trium magnorum patriarcharum (non tamen a tredecim minorum) nominibus suis filiis imponendis reverenter, quantum novimus abstinuere. Potuit tamen Ioseph nepotum primo, quem principem totius gentis futurum speraret, nomen imponere *Israel*, quod nomen, postquam familia illa Israel dignitatis avitae loco divino iudicio excidit necnisi viros habebat Hesronis facinore ei accensitos, utique mutaverint Hebraei in aliud similis formae nomen, *Esriel;* itaque invaluerit tempore magnae apostasiae distinctio illa certe Davide antiquior (1 Reg. 11,8; 15,4; 17,52 etc.) inter *Iuda* et *Israel;* invaluerit potissimum inde ab illo tempore, quando Caleb tribum Iuda ad Moysis obsequium reduxit.

Habent genealogiae praeter filiorum pauca aliqua *filiarum* nomina. Eiusmodi genealogiis sacris adscribi non consueverunt, nisi filiae aut ob illustres initas nuptias aut ob famose acta memoria dignae reputentur. Ita habes Gen. 4,22 nomen Noema (de qua cf. quae dicebamus CG p. 190 sq.); 36,22. 25 nomina Thamnae et Oolibamae (cf. ib. v. 12. 2); 46,15 nomen Dina; Num. 26,59 nomen Mariae sororis Moysis; 1 Par. 2,16 nomina Saruiae et Abigail, matrum Ioab et Amasae; 3,9 nomen Thamar ab Amnon foedatae; 7,15 filias Salphaad, quarum nomina habet Num. 27,1. Iamvero genealogiae 1 Par. habent nomina aliarum quarumdam filiarum; sc. praeter Saram filiam Aser (7,30; cf. Gen. 46,17; Num. 26,46): Asom filiam Ierameel (2,25; cf. p. 194), Asalelphuni iudaeam 4,3, Mariam 4,17 filiam filiae Pharaonis, Suaa aseritam 7,32. Fortasse tribuum concordia non sine principum coniugiis tandem restituebatur. Habuerint illae mulieres sua fata, quae haud secus norant Hebraei antiqui, quam praeclare gesta Iabes 4,10 et Selaitarum 4,22; nos vero ignoramus. Norat haec hebraea traditio, quo tempore libri Par. condebantur: quis enim sapiens auctor librum farciat inanibus nominibus? Norat certe, quo tempore lacuna illa 7,14 sacrum textum invasit.

VII. DE NOMINIBUS PROPRIIS VIRORUM AEVI MOSAICI.

Affirmabat *I. Wellhausen* (Prolegomena zur Geschichte Israels, Berlin 1883, p. 372) : « Duodena nomina Num. 1; 8; 14 » (fortasse corrigendum 1; 13; 34) « secundum unum systema omnia sunt efficta, penitus sunt dissimilia genuinorum antiquorum nominum propriorum. Quod nomen Iahve in illis desideretur, nihil aliud demonstrat, nisi accurate efficta esse nomina ad normam systematis praeiudicati, quod sibi construxerat scriptor ». Hoc magistri placitum suum fecere, uti patet, critici alii non pauci. *G. Buchanan Gray* (Studies in hebrew proper names, London 1896), a criticorum opinionibus de fontibus et antiquitate scriptorum V. T. profectus, iustae molis condidit volumen, in quo omnia V. T. nomina discussit. Verum, qui ab aliquo systemata profectus facta explicare aggreditur, tot inquam facta quot sunt in V. T. nomina, nonne is in praesenti periculo erroris versatur? Solide pridem V. T. nomina discusserat *E. Nestle :* Die israelitischen Eigennamen nach ihrer religions geschichtlichen Bedeutung, Haarlem 1876. *Hommel* p. 76 sqq. 298 sqq. dynastiam babylonicam regis Chamurrabi aequalis Abrahae censet fuisse arabem ob similem indolem nominum eius aevi babyloniorum cum iis, quae habent textus sabaei, minaei etc. Arabiae australis. Nominum autem illorum plurima ostendit esse eiusdem penitus indolis atque nomina propria libri Num. : componuntur vocibus *ili* (= *el*), *abi, ammi, akhi* etc., et sensu affinia sunt nominum hebraeorum. Liber Hommelii criticis, uti patet, plurimum displicuit et tamquam opus nulli usui futurum ab illis exploditur. Neque tamen inter protestantes defuere viri, historici imprimis et archaeologi, qui de illo aequius iudicium tulere. Cf. Dr. Zehnpfund (Neue Kirchliche Zeitschrift, November 1897), Prašek (Berliner philologische Wochenschrift, 25. Sept. 1897), C. Niebuhr (Die Umschau, 1. Ian. 1898), Larfeld (Zeitschrift für evang. Religionsunterricht, Ian. 1898). Hommelii labor utique est incompletus, colligenda et examinanda manent exempla longe plura, eiusmodi inductionis argumentum tanto firmius evadit, quanto plura congeruntur exempla. Illud vero abunde demonstravit auctor eam, quam modo referebamus wellhusianam opinionem temere omnino et arbitrio esse confictam.

Nostrum non est omnia V. T. nomina discutere. Conspectum subiicimus nominum libri Num., atque ex illis inter se comparatis aliquas non improbabiles, minime vero certas, conclusiones derivamus. Quarum ne valorem exaggeres, adverte nomina illa esse tandem

numero pauca; eorum plura sine dubio esse non hebraea (v. g. *Moyses*, quod est aegyptium, uti fortasse etiam *Aaron*); aliqua esse truncata, uti 13,10 *Phalti* ex *Phaltiel*. Fortasse nominum plura, imprimis eorum quae nunc desinunt in iod (גמלי, שלמי etc.), affixum habebant nomen divinum אל : sed Hebraei, uti aliae gentes, longiora quaedam nomina ad breviorem formam revocabant.

Porro licet aliquando homines priore nomine abdicato novum nomen assumant (Osee-Iosue), universim tamen supponere fas est, nomina, quae legimus, imposita esse a parentibus. Si alicuius generationis viri plures nomina habent, quorum pars sit nomen aliquod divinum, id non probat eorum virorum pietatem, sed aliquod argumentum est, eorum *parentes* aliquam habuisse numinis reverentiam.

Patriarcharum nomina inde ab Abraham nullum nomen divinum habent. *Israel* non est nativum viri nomen, sed nomen illi a Deo praeter nomen *Iacob* impositum. Habent quidem אל nomina quorumdam filiorum patriarcharum, qui non sunt de stirpe electa, v. g. *Ismael* : sed haec nomina h. l. negligimus. Nomen *Abraham* habet אב. Cum patriarcharum nominibus proxime comparanda sunt nomina virorum Num. 26, qui sua familiis nomina indidere. E 64 hisce nominibus habent solummodo sex nomen אל : *Namuel, Ariel, Ialel, Esriel, Melchiel, Iesiel.* Unum nomen habet בעל (*Asbel*, filius Beniamin), quod tamen crediderim fuisse non idoli, sed veri Dei appellationem. Habetur praeterea *Ahiram*, אחירם, et inter Rubenitas familiae Phallu *Eliab*, alter *Namuel* et *Abiron*, אבירם, nomen simillimum nominis אברם. Non videntur tum saepe viris indita esse patriarcharum nomina, habetur tamen unum eius moris indubium exemplum : 13,8 *Ioseph* Issacharita.

Perpendendi veniunt *tres elenchi* Num. 1 (cf. 2; 7; 10 et, quoad levitas 3,24. 30. 35), Num. 13 et Num. 34. Cf. quae ib. de nominibus propriis dicebamus vel dicturi sumus. Nomina schemate subiicimus. Columna A tradit nomina *patrum*, quae in elenchis Num. 1 et 13 habentur, qui viri exstitere aequales inter se. Columna B tradit sequentem generationem, eorumdem *filios*. Columna C recenset *patres* Num. 34, columna D horum *filios*. Virorum C potuere quidem aliqui aequales esse virorum B (cf. Iosue, Caleb), tamen universim possumus A, B, C, D, considerare ut quatuor successivas generationes.

A	B	C	D
Num 1; 2; 7; 10		Num. 34	
Schaddaiur שדיאור Ruben	*E*lisur אליצור Ruben		
Suri*schaddai* צורישדי Sim.	Salami*el* שלמיאל Sim.	Ammiud עמיהוד Sim.	Samu*el* שמואל Sim.
Aminadab עמינדב Iuda	Nahasson נחשון Iuda	Iephone יפנה Iuda	Caleb כלב Iuda
Suar צוער Iss.	Nathana*el* נתנאל Iss.	Ozan עזן Iss.	Phalti*el* פלטיאל Iss.
Helon חלן Zab.	*E*liab אליאב Zab.	Pharnach פרנך Zab.	*E*lisaphan אליצפן Zab.
Ammiud עמיהוד Ephr.	*E*lisama אלישמע Ephr.	Sephthan שפטן Ephr.	Camu*el* קמואל Ephr.
Phadassur פדהצור Man.	Gamali*el* גמליאל Man.	Ephod אפד Man.	Hanni*el* חניאל Man.
Gedeon גדעני Beni.	Abidan אבידן Beni.	Chaselon כסלון Beni.	*E*lidad אלידד Beni.
Ami*schaddai* עמישדי Dan	Ahiezer אחיעזר Dan	Iogli יגלי Dan	Bocci בקי Dan
Ochran עכרן Aser	Phegi*el* פגעיאל Aser	Salomi שלמי Aser	Ahiud אחיהוד Aser
Du*el* דעואל Gad	*E*liasaph אליסף Gad		
Enan עינן Nepht.	Ahira אחירע Nepht.	Ammiud עמיהוד Nepht.	Phada*el* פדהאל Nepht.

Num. 3,24 30. 35 (levitae)

A	B
La*el* לאל	*E*liasaph אליסף
Ozi*el* עזיאל	*E*lisaphan אליצפן
Abihai*el* אביהיל	Suri*el* צוריאל

A	B	C	D
Num. 13		Cf. Num. 25,14	
Zechur זכור Ruben	Sammua שמוע Ruben		
Huri חורי Sim.	Saphat שפט Sim.	Salu סלוא Sim.	Zambri זמברי Sim.
Iephone יפנה Iuda	Caleb כלב Iuda		
Ioseph יוסף Iss.	Iga*el* יגאל Iss.		
Nun נון Ephr.	Osce הושה Ephr.		
Raphu רפוא Beni.	Phalti[*el*] פלטיאל Beni.		

A	B	C	D
Sodi סודי Zab.	Geddi*el* גדיאל Zab.		
Susi סוסי Man.	Gaddi גדי Man.		
		Cf. Lev. 24,11	
Gemalli גמלי Dan	Ammi*el* עמיאל Dan	Dabri דברי Dan	
Micha*el* מיכאל Aser	Sthur סתור Aser		
Vapsi ופסי Nepht.	Nahabi נחבי Nepht.		
Machi מכי Gad.	Gu*el* גאואל Gad.		

In columna A leguntur nomina tria habentia nomen divinum *Schaddai : Schaddaiur, Surischaddai, Amischaddai.* Videntur igitur patres virorum A adhuc eo nomine Deum coluisse, post illos vero nomen in desuetudinem abiisse. Quod est aliqua textus Ex. 6,3 confirmatio. Nomen *Iahve* a columnis A-D exsulat (excepto nomine *Iosue* a Moyse imposito) : tenebantur homines maxima eius sacrosancti nominis reverentia, necnisi exemplo Moysis paulatim inducebantur, ut eius truncatam formam nominibus propriis adhiberent.

Sed inter *Schaddai* et *Iahve* alterum intercedit nomen divinum *El.* Illud in col. A Num. 1 habetur semel tantum (*Duel*), sed in col. B Num. 1 omnino octies, et quidem quater initio (*Elisur, Eliab, Elisama, Eliasaph*), quater in fine nominum (*Salamiel, Nathanael, Gamaliel, Phegiel*); in col. A Num. 13 semel (*Michael*), in col. B Num. 13 quinquies (*Igael, Phaltiel, Geddiel, Ammiel, Guel*). Si autem ad Levitarum nomina deflectas oculos, reperies omnia et singula, tam columnae A quam columnae B, habere nomen *El : Lael, Oziel, Abihaiel, Eliasaph, Elisaphan, Suriel.* Quibus addas *Eliezer* filium Moysis (אליעזר, contra *Gersam* גרשם Ex. 18,3 sq.), *Eleazar* filium Aaron (אלעזר, contra *Nadab* נדב, *Abiu* אביהוא, *Ithamar* איתמר), *Elisabeth* (אלישבע) et *Phutiel* (?-פוטיאל Ex. 6,23. 25), et viros fortasse item Levitas Num. 11, 26 *Eldad* (אלדד) et *Medad* seu *Elmodad* (אלמודד). Videtur igitur inter periodum, qua invocabatur *Schaddai*, et alteram, qua invocandus erat *Iahve*, intercessisse alia, qua Hebraei rursum fere solo antiquo nomine *El* Deum appellarent : fuit illud imprimis tempus, quando « ascendit clamor eorum ad Deum ab operibus » (Ex. 2,23). Quo tempore, si fas sit e nominum indole derivare conclusionem, videtur tribus Levi fuisse eximie pia, ut illis postea sacerdotii honor non prorsus immeritis sit attributus.

Nomina quatuor *Surischaddai*, *Phadassur*, *Elisur*, *Suriel* habent vocem צור « rupes » (cf. nomen babylonium *Tçuri-ʿaddana*, Hommel p. 320); ea voce numen utique designatur, sed non potest ea probari fuisse apud Hebraeos nomen aliquod divinum proprium. Praeterea sunt nomina cum עמי *Aminadab*, *Ammiud*, *Amischaddai*, *Ammiel;* cum אב *Abihaiel*, *Eliab*, *Abidan;* cum אח *Ahiezer*, *Ahira*. Quae nominum formae omnes antiquum quid sapiunt.

In col. C deest omne nomen divinum; correspondet ea fere temporibus, quando Hebraei continuo in Moysen rebellabant, ad apostasiam vergebant. At faustiora tempora indicat rursum col. D, ubi septem nomina e decem habent *El*. Praeterea habes in C duos *Ammiud*, in D *Ahiud*.

Pauca nobis supersunt dicenda de nominibus propriis, quae in *genealogiis antiquioribus* 1 Par. leguntur. Apud Manassaeos habes *Esriel*, *Abiezer*, *Ahin* (אחין), *Aniam* (אניעם); apud Ephraimitas *Eliada*, *Elad*, *Ammiud*, *Elisama*. Apud Iudaeos non sunt frequentia antiquitus nomina, quorum pars est nomen aliquod divinum. In familia *Ierameel* (ירחמאל) habes 2,28 *Abisur*, cuius uxor *Abihail;* habes v. 29 *Ahobban* (אחבן). De *Achia* v. 25 dicebamus p. 194. In 7ª tandem generatione nomen *Iahve* deprehenditur in v. 32 *Ionathan*. — In familia Ram 2,10 sqq.; 4,16-20 habes 4,16 *Ialeleel* (יהללאל), v. 16 *Asrael* (אשראל), v. 18 *Icuthiel* (יקותיאל). *Ezra* v. 17 videtur genuina lectio, contra *Azarias* 2,8 (עזרה — עזריה). Inter filios Isai reperiuntur *Eliab*, *Abinadab*, *Nathanael*, quorum soror Saruia genuit *Ioab*. In familia David habes *Daniel*, *Absalom*, duo *Elisama*, duo *Eliphaleth*, *Eliada;* tandem etiam *Adonias*, *Saphatias*. — Rursum in familia Caleb habetur 2,47 Calebi nepos *Ioathan* (יותם); praeterea 4,3 *Iezrahel*, 4,4 *Phanuel*, 4,13 *Othoniel*, tandem 4,14 *Ioab*. Lentius apud Iudaeos videtur invaluisse mos nominis *Iahve* nominibus propriis adhibendi.

Aliter res apud Beniaminitas habebat. Exsulant quidem nomina divina a brevi genealogia Belae 8,3-7. Ubi leguntur *Abiud*, *Abisue*, *Ahoe* (אחוח), *Ahiud*, antiquae formae nomiña. Sed apud Asbelitas v. 8-28 illa abundant. Habes vel in tertia generatione filium Asbel *Sechia* (שכיה); in quarta duos *Elphael*, *Zabadia*, *Michael;* in quinta *Zabadia*, *Elioenai* (אליעיני), duos *Eliel*, *Adaia*, *Baraia*, *Hanania*, *Anathothia*, *Iephdaia*, *Phanuel*, *Sohoria*, *Otholia*, *Iersia*, *Elia*. Pari gressu crescunt series nominum habentium *El* et habentium *Iahve*. Sc. in nostra de nominibus quaestione non sufficit generales quatuor describere periodos : praedavidicam, davidicam, posteriorum regum periodum et eam, quae fuit post exsilium (*Gray* p. 20); sed res eodem tempore in diversis tribubus diverse habebat. Vivebant tribus

post Iosuen, imo vel ante eius mortem, separatae; nonnisi ad brevius tempus earum aliquae uni iudici adhaerebant; singulae suos habebant mores, suaque sibi effingebant nomina. Multiplicabantur in una tribu nomina habentia *Iahve*, in alia fere ignorabantur; una tribus pia affectabat nomina, altera communia. Nihil est in illis nominibus, quo fides narrationis minuatur.

C. De narrationis libri Num. integritate.

Compertam igitur habebant veteres Hebraei magnam illam in deserto apostasiam, norant non pauca e tribuum eius aevi historiis. Fuerene haec apud illas tradita ore tantum, an etiam antiquitus *scriptis consignata?* Hoc alterum per se probabilius. Cum tam copiose descripta habuerint reliqua sub Moyse et Iosue acta, vix probabile videtur eos haec tanti momenti totque annorum acta in scriptis non habuisse. Si obiicias fuisse haec acta non Dei, sed Israelis Deum relinquentis, respondeo fuisse utique etiam acta Dei, haud minus quam minores quae ante narrabantur rebelliones; fuisse aptissima, quae eius circa populum providentiam illustrarent atque potissimum illas misericordiae et longanimitatis eius divitias, quas ipse Moyses ad Aquas Contradictionis addubitaverat. Manifestabant illa, quam parum populus, imo ipse Moyses valeret, ubi primum Iahve fidem fallerent; magis etiam, quam priores atque minores rebelliones, Deum ostendebant non esse immemorem Abrahae, Isaac et Iacob et antiquarum promissionum; magis etiam Deum populo tandem reconciliatum clarificabant coram omnibus circum nationibus; lectores hebraeos gravissime, quam id fieri potuit, commonefaciebant, ne sibi fiderent nimis neve de sua e patriarchis origine superbirent.

Scriptam vero horum narrationem primitus ipsi libro Num. infuisse, sequentes suadent rationes. Id exigere videtur tota narrationis ab Ex. ad Num. indoles, quae ita ingeniose est disposita, ut ad acta Cadesiana tamquam ad suum apicem tendat (cf. p. 1 sqq. 163 sq.), ideoque haec acta non potuerit praetermittere. Id planam reddit rationem facti, affirmari in nostro sacro textu 40 annorum in deserto commorationem, referri trium tantum annorum historiam : sc. reliquorum etiam 37 annorum historia primitus in textu erat, sed inde postmodum est expuncta. Explicat illa hypothesis, cur tempus adventus Cadesae Num. 20 sit defiguratum, tempus profectionis et tempus mortis Aaron ib. taceatur : horum gravissimorum eventuum oportebat adscribi tempus, uti aliorum aeque aut minus gravium, quae p. 167 exhibebamus; adscribebatur illud reapse primitus, sed obscuratum est ab eo, qui postea narrationem actorum Cadesianorum excidit, ne ipsa illa tem-

pora indicia essent lacunae. Admirationem facit, narrari Num. 15 suspensam esse legem de minchis victimarum, eamque suspensionem Num. 28 sq. revocatam referri. Erant quippe haec longe minoris momenti quam reliqua acta Cadesiana, neque sine his a prudente scriptore narranda; qui ista sola sine his narraverit, animum prodiderit magis sollicitum de quaestiuncula quadam rituali, quam de 37 annorum historia populi electi. Nobis plana praesto est dubii solutio : utrumque primitus in textu erat.

Quaeres, *qualis fuerit illa narratio,* quam e libro Num. excisam esse coniicimus. Rem ita concipimus animo. Concedunt auctores (cf. *R. Cornely* : Introd. II. 1 p. 332), genealogias 1 Par. 1 e *Genesi* esse excerptas : supponamus igitur, uti 1 Par. 1 e Genesi, ita antiquas illas genealogias 2,18-50 ; 4,1-20 ; 7,14-27 excerptas esse e *Numeris,* qui liber prolixiorem quam nunc habuerit narrationem, describentem apostasiam per plures annos protractam, Iuda et Israelis foedera et invidias, Manasse fata, Bethiae et Ephrath repetita coniugia, aliorum coniugia, incestus, praeclare acta, tam Hebraeorum quam alienigenarum. Non quasi ea pars libri nudis constiterit genealogiis, aut commentarium quemdam historicum proposuerit genealogiarum 1 Par. 2 ; 4 ; 7 : sed ita habuerit illa in Numeris narratio ad has genealogias, uti habet tota Genesis ad genealogias 1 Par. 1. Illam porro universam narrationem exciderit tandem aliquis sacrae narrationis decurtator, sicut e libro Exodi sacerdotum praemosaicorum fata expunxit, Moysis peccatum Num. 20 vix non obliteravit decurtator idem vel alius.

Quaeres porro, *quas ob rationes* ille vir sacrae narrationi violentas manus intulerit.

Sacerdotum praemosaicorum ruinam CEL p. 5 suggerebamus ideo reticeri, quod res putaretur esse *periculosi exempli,* quod metus subesset, ne quando in sacerdotes aaronicos attentaret quis idipsum, quod factum esse legeret in sacerdotes praemosaicos. Potuit eadem fere ratione decurtator sacri textus h. l. moveri. Ut aliquae in sacro textu narrarentur in Moysen et Aaron breves turbae, quae illico inflictis plagis plecterentur, id optimi exempli et salutaris doctrinae esse existimaverit : nonne his constantis obsequii erga maiores commonefiebat populus? Aliter profecto senserit de universi fere populi per annos plures continuata apostasia, quibus elapsis in gratiam populus sit receptus. Neque tamen hanc putaverim illius omissionis potissimam fuisse rationem.

Sed primum illius narrationis caput erat *insigne peccatum Moysis et Aaronis :* monebamus autem CEL p. 3 alias etiam in antiquis Hebraeorum historiis velari virorum verendorum peccata. Expunxerit

ergo ille vir istud peccatum et, quod apostasia cum illo intime connecteretur tamquam eius poena, eraserit etiam hanc. Memento tamen in Exodo illum peccatum quidem sacerdotum praemosaicorum tacuisse, poenam vero tacitis nominibus enarrasse. Non erat, cur in Numeris totam fere commorationis in deserto historiam supprimeret, quae poena esset non tam peccati Moysis cap. 20, quam potius peccati totius populi cap. 13 sq. At deliquere fortasse in illis turbis alii etiam viri, quibus tamquam piis et sanctis gloriabantur posteriores Hebraei; virorum, qui suae quisque tribus communes fere parentes et totius generis ornamenta haberentur, enarrabantur probra, totius populi apostasiae et discordiae per continuos annos productae. Erat haec aliqua ratio, cur posteriores Hebraei, imprimis *Iudaei* posteri Hesron et Caleb, suae magis stirpis dedecus quam divinae misericordiae divitias attendentes, eam historiam erubescerent et lubentes ignorarent. Neque hanc tamen unicam narrationis omittendae fuisse rationem existimamus.

A tenuibus pedetentim initiis profecta invaluit inter Iudaeos supremis ante Christum saeculis *immoderata carnalis ex Abraham originis aestimatio*. Omnia censebant illi constare origine illa crasse intellecta, ut quis esset carne ex Abraham et ex uno e tredecim patriarchis tribuum auctoribus prognatus. Non ita anguste senserant hac in re Hebraei antiquiores. Promittens Deus se Abrahae semen multiplicaturum esse sicut stellas coeli, non tamen sola carnali generatione hoc semen circumscripserat. Gen. 17,10 sqq., vi pacti cum *semine* Abrahae stabiliendi, exegerat ut vernaculi et emptitii omnes, « omnes mares, qui non essent de semine eius », ergo (Gen. 14,14) plures hominum centuriae, circumciderentur. Iacob Gen. 34 paratus erat ad Salemitas universos circumcisione populo electo aggregandos. Moyses plurimam alienigenarum multitudinem ex Aegypto educens eo ipso profitebatur animum paratum ad eosdem tribubus incorporandos. Lex de Ammonitis et Moabitis usque ad decimam generationem ab ecclesia excludendis, demonstrat proselytarum admissionem legi mosaicae omnino consonam fuisse. Largius atque nobilius hac in re sentiebant Hebraei antiquiores, quam posteriores. Moyse usus est Deus, ut foedus suum, quod ante Abraham Sethitas omnes, Noachidas omnes complectebatur, ad unam gentem electam contraheret; totam legem humanam, in qua antiquioribus patriarchis auspicibus illae gentes vixerant (CEL p. 24 sq.), suam fecit et genti electae observandam sua auctoritate imposuit. At licet reliquas gentes permiserit iam ingredi vias suas (Act. 14,15), non ideo a via sua, a foedere suo voluit penitus excludere homines, qui in illis gentibus essent bonae voluntatis : ii,

abdicata sua in qua nati erant *gente*, poterant circumcisione fieri semen Abrahae spirituale, poterant civitatem gentis electae adipisci et omnibus eius beneficiis frui.

Saeculis, quibus semen electum finibus terrae sanctae continebatur, elanguit fervor alienigenarum ad sacra mosaica perducendorum : revixit is, quando Iudaei per totum orbem dispergi coeperunt. « Quin et iam pridem nostrorum Dei colendi rituum imitandorum quam plurimis desiderium incessit; neque ulla vel Graecorum urbs est vel barbarorum neque ulla gens, ad quam non pervenerit septimi diei, quem sine labore traducimus, celebrandi consuetudo, et apud quam ieiunia et lucernarum incensiones et multa, quae nobis comedere nefas est, non observentur » (*Ios.* c. Apion. II. 39). Quo tempore ita iam praevalebant numeris ii, qui se nativum esse semen Abrahae gloriabantur, ut conversorum illorum posteri coniugiis Hebraeorum brevi efficerentur carne etiam et sanguine semen Abrahae. Tamen vel tum Pharisaei conversos illos minori loco habebant quam nativam Abrahae sobolem, dum Iudaei Hellenistae aequa secum iisdem iura concedebant. Praevalebat autem tum omnino illa immoderata carnalis ex Abraham originis aestimatio. Non affirmamus quidem, *S. Paulum* gnarum fuisse eius, quam suggerimus, textus Num. decurtationis; sed quam vehementer is iterato in eam carnalem Hebraeorum fiduciam invehatur, norunt quicunque eius ad Rom., Gal., Phil. epistolas pervolverunt. Quam is non sine ironia carpit Phil. 3,4 sqq. : « Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis : circumcisus octavo die, ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebraeus ex Hebraeis, secundum legem Pharisaeus, secundum aemulationem persequens ecclesiam Dei, secundum iustitiam, quae in lege est, conversatus sine querela. Sed, quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta ».

Quomodo hac in re senserint Hebraei posteriores, exemplo tibi sit *Ios.*, qui c. Apion. I 14.26 duas profert Manethonis narrationes, quarum una priorum Pastorum, altera eorum, qui videntur ipsi Hebraei fuisse, posteriorem ex Aegypto exodum describit. Porro disquirens Ios., utra correspondeat exodo biblicae, illa praelata hanc repudiat ob eam maxime rationem, quod ex ea sequeretur, Moysen ex Hebraeis et Aegyptiis coactam multitudinem eduxisse. Ita n. 26 conqueritur, Manethonem post plura vere narrata « incredibilia quaedam interspargere, volentem nobis *admiscere* multitudinem Aegyptiorum leprosorum aliisve corporum infirmitatibus laborantium atque Aegypto excedere compulsorum ». Et n. 27 : « Quod autem postea », inquit, « nobis non fuerint *admixti* Aegyptii morbis affecti, neque ex eorum numero fuerit Moyses sed multis aetatibus eos praecesserit, hoc ex ipsis illius dictis ostendere conabor ». Tandem, collatis duabus Manethonis narrationibus, ad hanc optatissimam devenit conclusionem n. 30, « neque ex Aegypto genus nostrum oriundum, neque inde aliquos nobis esse *admixtos*. Leprosorum quippe aliorumque aegro-

torum multi in lapicidinis », in quas a Pharaone relegati fuerant, « diuturno atque duro labore confecti interierint; plures in iis, quae postea accidere, proeliis, plurimi in extremo certamine et in fuga ». Ios. igitur, ut illos invisos Aegyptios excutiat, in lapicidinis et præliis conficit ad unum omnes : en quantopere Ios. Pharisaeus sollicitus est, ne quos in exercitu Moysis alienigenas adfuisse concedat. Et tamen id ipse in sua versione graeca Ex. 12,38 legebat : καὶ επίμικτος πολὺς συνανέβη ἀυτοῖς. Quod ipse eiusque aequales Iudaei ignorabant, fortasse de gregibus violenter interpretabantur, certe non expressit ipse Ios. Ant. II 15.

Illi porro immoderatae aestimationi carnalis ex Abraham originis obsunt quaedam in genealogiis 1 Par. et obstabant, uti putamus, longe plura in narratione Num. completiore, cuius illae tandem genealogiae summam eadem ratione valde incompleta adumbrabant, qua 1 Par. 1 adumbrat totam Geneseos historiam. Habes ibi unam integram tribum, tribum Manasse, quae sanguinis Manasse vix haberet quidquam in venis; exstincta radicitus fuerat eius tribus familia princeps; ea, quae postmodum maxime effloruit familia Iair et fines transiordanicos videtur potissimum obtinuisse, ortum duxit e coniugio quodam enormi, foedo; adde aliquam certe proselytarum partem, qui ex illa multitudine Ex. 12,38 sacris Hebraeorum accessere, Manassaeorum tribui esse accensitos : poterantne posteriorum saeculorum Manassaei vere et sensu iudaico gloriari, se esse « de tribu Manasse, Hebraeos ex Hebraeis »? Tribuum omnium longe numerosissima erat tribus Iuda, cuius stirps tum numerosissima et florentissima erat stirps Caleb; eius stirpis summa laus et, post Iosuen, totius populi summum decus erat ipse Caleb. Caleb autem erat Cenezaeus et, cum Gen. 15,19 Cenezaei tribubus Palaestinam tempore Abrahae incolentibus, in historia autem Pentateuchi et Iosue nunquam Hebraeorum inimicis accenseantur, veri haud absimile videtur, cum Caleb totam Cenezaeorum tribum Hebraeorum sacra suscepisse. Hi postea Hebrone et prope ipsa patriarcharum sepulcra consedere. Poterantne haec attendentes posteriores Iudaei vere et sensu iudaico gloriari, se esse « de tribu Iuda, Hebraeos ex Hebraeis »? Erantne « Hebraei ex Hebraeis » Iosue, Hur, Beseleel, imo ipse Moyses? Similia, uti in tribubus Manasse et Iuda, in aliis quibusdam tribubus, v. g. Rubenitis, facta esse prodebat fortasse eadem narratio. Ne putes, in castris Moysis paucos illos tantummodo viros, qui 1 Par. 2-7 nominantur, habuisse uxores aegyptias, aramaeas, madianitas (Num. 12,1) : quin imo fuisse plurimas, imprimis aegyptias, quis miretur? Accessere ad Hebraeorum nationem uno die Num. 31,35 virgines alienigenae 32,000; vir alienigena non semel tantum 1 Par. 2,34 sq. accepit uxorem filiam hebraeam, quandoque haeredem, et familiae caput

factus est; ingens illa Ex. 12,38 alienigenarum multitudo maximam certe partem in gentem Hebraeorum transfusa est : haec et horum similia si in illa completiore Num. narratione ad oculum demonstrabantur, impingebant in Hebraeorum posteriorum placita. Legebantur non sine multorum admiratione, neque sine quorumdam scandalo. Hinc *legi* aliquando desiere. Fuere dein, qui concinnarent narrationis sacrae apographa usui legentium accommodata, omissis hisce, quae nemo requireret, quaeque nemini usui futura crederentur. Ab eiusmodi apographis nostri textus derivantur.

Iuverit, quae modo dicebamus, *factis* quibusdam indubiis illustrare. Apostolica aetate longe antiquior (Act. 15,21) apud Iudaeos exstitit consuetudo sabbatis in synagogis Pentateuchi praelegendi. Quem ad finem Palaestinenses Pentateuchum in lectiones 153 distribuerant, ut tertio quoque anno, Babylonii in lectiones 54, ut singulis annis totus praelegeretur. Erat et tertia 175 sectionum divisio, qua totus praelegebatur trinis cum dimidio annis, seu bis intra duos annos sabbaticos. Cf. *I. Hamburger* : Real-Encyclopaedie für Bibel u. Talmud, I. 824,2. Aufl. Strelitz 1884. E quibus licebit fortasse inferre, divisiones primitus factas esse potius ad arbitrium, et fuisse variis locis atque temporibus diversas. Quo tempore in libro Num., uti suggerimus, longe plura quam nunc narrarentur, nimia sane erat praelegendorum copia, quam quae statuto tempore commode perlegi posset. Pronum erat quaedam omittere, quae minori usui futura viderentur. Potuit vel tum invalescere opinio eius, quae hodiedum pluribus placet, opinionis affinis, historiam illorum 37 annorum referre acta Israelis potius quam Dei, minoris esse momenti faciliusque praetermittendam. Accedebant deinde quas supra recensebamus rationes, narrari res, quae Moysis gloriam, maiorum aestimationem, tribus Iuda honorem et sanguinis Abrahamici excellentiam viderentur obscurare. Quae omnia simul in causa fuerint, ut pro usu sabbatico concinnarentur breviaria quaedam Pentateuchi, quae illam narrationem Num. ignorarent.

Nihil in his omnibus deprehenditur scripturis sacris indignum. Abbreviatio illa fiebat e variis motivis, quorum potissimum ex usu communi Pentateuchi desumptum totum practicum erat et pium. Falsi in textum sacrum ingerebatur nihil, sed vera quaedam, quae minoris tum reputarentur momenti, praetermittebantur. Si concedere fas est, Rabbinos in libro Danielis omisisse historiam Beli et draconis, potuere eorum antecessores omittere partem libri Num.; et si integri libri inspirati concedi possint interiisse, fieri item potuit ut libri inspirati pars aliqua interiret. Cf. *R. Cornely* : Introd. II. 2. 512, I. 247.

Textus mutationem etiam habes 1 Par. 7,14, ubi nomen matris Esrielis itemque nomen pontificis anonymi cultus praemosaici desiderantur. Potuit utique fieri, ut haec *casu* exciderint. Verum, si advertas, quam intime is textus cohaereat cum illorum sacerdotum historia; si advertas, narrationem item coniugiorum Ephrath 1 Par. 2, 19. 21 videri consilio esse obscuratam, narrationem vero peccati Moysis Num. 20 utique consilio esse obliteratam : concedes fortasse, *uno eodemque consilio,* licet non eodem necessario tempore, has omnes textui sacro adhibitas esse mutationes.

Et mutationes 1 Par. fuere quidem exsilio babylonico longe posteriores, cum haud credendus sit genealogiarum collector textum evidenter mutilatum descripsisse aut lacunarum ipse esse auctor. Neque censendi sunt brevi post ipsum aliqui eius scripto irreverentes manus intulisse. Textus autem mutatio in Ex. et Num. credenda est exsilio babylonico esse antiquior. Si ex 4 Esdr. 14 concludere fas est, Esdram in libris sacris disiectis atque deperditis colligendis plurimum insudasse, non est mirandum eum textum Ex. et Num. ad popularem usum accommodatum recepisse : cuius textus apographi textibus integris fortasse tum erant frequentiores. Cur non in illa rei publicae hebraeae strage interierint sacri textus pericopae aliquae, quae ipsam cum tabulis mandatorum arcam absorbuit? Id certe minus est admiratione dignum, quam tam diversos Danielis textus in Hebraeo et apud LXX reperiri.

Verum liber, *antequam* decurtabatur, expurgabatur, *exsistebat;* imo *diu ante exstiterit* necesse est. Actorum apud Cades factum omnium gravissimum, populi sc. a cultu Iahve diuturnam defectionem, explicite appellat Amos. Suggesserit quis, id eum e traditione compertum habuisse : erit tamen saltem aeque probabilis opinio, eum illud in suo textu sacro legisse. Reliqui prophetae illa acta non appellant : sed alia item non appellant, quae etiamnum in libris sacris leguntur, uti praeclare facta Iabes, Selaitarum de Moabitis victoriam; imo Balaamum, praeter Mich. 6,5 et 2 Esdr. 13,2 posteriorum scriptorum hebraeorum citat nemo; norunt tamen David 2 Reg. 23,1 et auctor Prov. 30,1. Igitur non appellaverint haec prophetae, quod ea rarius *legerentur,* populo essent vix non ignota : prophetae vero nota appellabant, non ignota. Ergo ipsa, quam adstruimus, narrationis Num. decurtatio *libri confirmat venerandam antiquitatem.*

Quae nos tentantes veluti atque coniectantes in medium proferimus. Quodsi tamen haec aliquando solidioribus rationibus confirmaverit quis, nonne idem demonstrabit praepropere egisse criticos nostros recentiores in sacra narratione decomponenda et particulis quibusvis

ad suos fontes revocandis? Habet sua profecto iura etiam sacri textus critica. Aequum est, ut in fontes librorum critice inquiras, vicissitudines rimeris, quas textus decursu saeculorum passus est. Verum antequam librum decomponas, librum habeas necesse est substantialiter eundem, qualis ex auctoris manu e variis fontibus concinnatus prodiit. Quodsi librum habeas mancum, cuius partes aliquae haud negligendae sint aliquando excisae, alia erasa aut defigurata, librum restituas oportet ante, quam illum in partes resolvas, ne forte fontibus tribuas illud, quod breviatoris est aut corruptoris. Sunt hic duae quaestiones criticae, non una.

D. De Hebraeorum Aegypto excedentium numeris.

Recusa igitur fuerit narratio Ex., Lev., Num. eatenus, quatenus excisa sit sacerdotum praemosaicorum historia, narratio item magnae apud Cades Barnea apostasiae, palliatum Moysis et Aaronis peccatum : exsurgit quaestio, sitne textus sacer passus has solas mutationes, an alias praeterea. Agendum h. l. est de Hebraeorum in libro Num. *numeris*.

Summa approximativa Ex. 12,37; Num. 11,21 virorum 600,000 satis consonat summae distinctiori Ex. 38,25 et Num. 1,46 virorum 603,550, exceptis Levitis. Post 38 circiter annos scribitur Num. 26, 51 summa fuisse virorum 601,730. Haec summa est altera paulo inferior : passus igitur sit illis 38 annis non augmentum, sed decrementum populus Hebraeorum. Reapse, secundum Num. 14,29 sqq. credi possunt illi 38 anni fuisse maxime ferales; et quid novimus de illorum annorum bellis, plagis, defectionibus? Summae particulares Num. 1 et 26 omnino concordant cum summis generalibus 1,45 et 26,51.

Verum illud a limine suspicionem movet, summam Ex. 38,25 adamussim eandem esse atque alteram Num. 1,45, cum eae omnino videantur referri ad duos census diversos atque diversis temporibus habitos. Ubi suggerit *Calm.* (ad Num. 1,2) aut nullum inter utrumque censum virum adultum decessisse, aut numerum eorum, qui interea annum vigesimum expleverint, praecise aequasse numerum eorum, qui supremum interea diem obiissent. Miram sane coincidentiam!

Sed numeri praeterea omnes sunt *rotundi*. Ubi rursum suggerit *Calm.* reputatum esse minus necessarium describere numeros centenario minores. Verum computus Ex. 38,25 non est solorum virorum, sed item siclorum : in siclis vero computandis haud consuevere Hebraei negligere, quae centenarium excedant. Praeterea, dum

summae reliquae omnes centenariis continentur. at in utroque computo Num. 1 et 26 habetur summa particularis una, quae ad denarios delabitur : 1,25 Gaditarum 45,650 et 26,7 Rubenitarum 43,730 (cf. 4,36. 40 summas 2750 et 2630, et quae ib. dicebamus) : cur non item negligebantur illi 50 et 30 viri?

Sunt porro alia, quae in eos numeros suspicionem movent. Adverte autem, ubi habentur 600,000 viri, viginti annos vel amplius nati, ibi haberi viros, mulieres atque liberos fere 2,500,000; quibus addendi Ex. 12,38 alienigenae plurimi gregesque infiniti. Porro

1. *Aegyptus* hodierna, quae longius quam Aegyptus antiqua ad austrum protenditur, non tantum Philas (Assuam) sed secundas cataractos usque, 1877 pro 24,195 kil. quadratis terrae cultae numerabat incolas 5,517,627, ergo incolas 228 pro singulis kil.; 1883 numerabat incolas 6,798, 230, ergo incolas 280 pro singulis kil. Sed Aegyptus inferior habet 14,991 kil. terrae cultae, et habebat 1877 incolas 3,385,766 (61·36 de centenis), seu 225 pro singulis kil. Tempore Neronis, teste censu qui Romanis pendebatur, erant incolae 7,500,000 in tota Aegypto, excepta Alexandria quae numerabat 300,000 (*Ios.* Bell. iud. II. 16. 4). Sacerdotes aiebant, tempore Pharaonum totius regionis incolas fuisse 7,000,000. Vixque adstrui potest numerus fuisse maior. Etenim pars regionis cultissima, Aegyptus inferior antiquitus longe plura habebat pascua (Gen. 46,34), pastores autem non consuevere frequentes habitare; erant vastae paludes, in quibus hippopotami latitabant, et in quas abdebatur Psammetichus rex; tractus ille, aquis Maris Mediterranei lente recedentibus, hominum memoria auctus est. Si ergo supponamus Aegypti incolarum tempore exodi fuisse 7,000,000, et proportionem incolarum Aegypti inferioris et superioris fuisse fere eandem atque nunc est, fuere illi 2,500,000 Hebraei 35·7 d. c. incolarum totius Aegypti et, qui omnes Aegyptum inferiorem incolerent, 58·21 d. c. incolarum Aegypti inferioris. Quis rex tam vesanus reperiatur, ut angariis opprimere et exterminare attentet eos, qui sint 35·7 d. c. totius populi et 58·21 d. c. incolarum eius provinciae, qua robur regni consistat? Quod si id reapse attentaverit Merenpthah, non erat opus tot plagis ad Hebraeos liberandos. Poterant ipsi, tot cum essent, angarias et tributa impune recusare, postea aut gravem seditionem movere aut regno valedicere.

2. Hebraei terram *Gessen*, Aegyptiis permixti, incolebant Ex. 8, 22; 9,26; quorum maior pars vel tum videntur fuisse *pastores*, cum usque *gregum* mentio fiat (cf. Ex. 9,6; 10,24; 12,38); pastores autem non consuevere conferti habitare, indigent pascuis late patenti-

bus. Perpende, num ille pagus capax sit 2,500,000 incolarum, quorum maior pars fuerint pastores.

3. Aegyptii in monumentis non consuevere *copiarum suarum numerum* accurate describere, bombastice loquuntur de pluribus militum chiliadibus. Sed optatam lucem nobis affundit *Diodor. Sic.* I. 54 narrans, Sesostrin (= Ramses II) secum ad bella duxisse pedites 600,000, equites 24,000, currus 27,000. Haec, quam Diodor. refert, narratio tota est fabulosa, expungendi a limine equites 24,000, cum in Ramsis exercitu non fuerint equitum cohortes. Rem tamen summi momenti ea narratione edocemur : Aegyptii posteriores, quando libere phantasiae indulgerent et res mythice exaggerarent, tribuebant famoso suo Pharaoni exercitum 600,000 circiter virorum; erat is eorum iudicio numerus plane immanis, inauditus. Certe neque Ramses II neque Merenpthah tantum unquam exercitum in aciem produxit : eorum exercitus fabulosis illis 600,000 erant longe inferiores. Ergo, si summa 603,550 Hebraeorum armis gestandis idoneorum retineatur, erant illi Hebraei militibus Pharaonis longe plures. Atqui non totum exercitum misit Pharao post Hebraeos, sed quam forte ad manum haberet partem; certe non revocavit praesidia per Aethiopiam, Isthmum et Asiae provincias disposita. Sensus obvius sacrae narrationis hic est, quos praesto haberet Pharao milites, eos raptim misisse post Hebraeos. Si porro Hebraei tantopere praevalebant numeris, cur se « furtim » (Ex. 14,5) et per ambages (ib. v. 2) subduxere, neque potius explicatis vexillis recta finibus sunt egressi? Cur non audacter restitere? Cur « timuerunt valde » (v. 10), sibi obiectos contuiti adversarios numeris longe infirmiores?

Suggeres fuisse inermes. Quod tamen facilius affirmaveris quam demonstraveris. Turba, quae est 35·7 d. c. totius populi, non consuevit nulla omnino habere arma; vomeres etc. sat facile in gladios vertebantur, virgae pastorum in lanceas; ad manus erant clavi, lapides. Quibus armis Aegyptii decertaverint, e monumentis comperimus : pedites lancea et pugione decertabant, curru vehebatur praeter aurigam sagittarius unus. Currus Ex. 14,7 erant 600, singuli millenis viris Hebraeis obiiciebantur. — Urgebis fuisse Hebraeos rei militaris plane imperitos. Id omnino negandum, quamdiu illi defendantur fuisse 35·7 d. c. totius populi. Multa bella gesserat Ramses II, bella Merenpthae gerenda fuere primis regni annis; duxerant hi mercenarios etiam e nationibus, quae extra Aegypti fines incolebant : putasne a militia exempturos fuisse Hebraeos, qui essent 35·7 d. c. incolarum Aegypti? Ergo Hebraeorum plures, si tot fuisse supponantur, stipendia fecerant, armis erant assueti, poterantque

clavis et lapidibus se ab Aegyptiis defendere, quoad aliqua illis arma eripuissent. Tamen textus nobis describit multitudinem imbellem, perterritam, adversarios Ex. 15,9 de facili reportanda victoria exsultantes.

4. Illi plus quam 2,500,000 homines duos fere annos narrantur impendisse migrationi per *desertum* de finibus Aegypti usque Cades Barnea. Cui tanto hominum numero per tantum tempus sustentando paeninsula sinaitica erat omnino impar. Neque de cibo hic loquor, ubi manna quis mihi obiecerit, sed de pecorum pabulo atque de potu. Dicebamus CEL p. 172, Sinaitiden antiquitus minus sterilem fuisse, atque nunc sit, frequentiores habuisse arbores, abundantiores aquas : attamen vel tum fuisse *desertum* tota narratio clamat. Ex. 15, 22 caruere Hebraei aqua triduo; Marae non offenderunt nisi amaras aquas; in Elim non erant nisi duodecim fontes et septuaginta palmae; in Raphidim miraculo fuit sedanda populi sitis; profecti de Sinai undecim dierum itinere perrexerunt Deut. 1,19 per « eremum terribilem et maximam »; in Cades Barnea rursum illos defecit aqua. Si regio fertilior erat, certe non pauci tantum eam incoluissent nomades (Madianitae, Amalecitae), sed fixissent ibi pedem Asiani illi, qui continuo Aegyptum ab oriente impetebant; neque Aegyptii solas fodinas aliquas, sed totam regionem occupassent. Cf. *W. M. Müller* : Asien u. Europa, Leipzig 1893 p. 133. Quomodo poterant in regione tam arida biennio subsistere homines plus quam 2,500,000 cum suis gregibus? Conficiendi erant *siti* primis itineris mensibus. Obiicies, Deum non semel miraculo aquam suppeditasse. Sed quaero ex te, quid prosit ad tot hominum et pecorum continuam sitim sedandam miraculum intra 40 annos patratum bis?

5. Ipsa *sacra narratio* humiliorem depingit Hebraeorum Aegypto excedentium conditionem, quae non satis concordat cum illis immanibus summis. Moyses et Hebraei Pharaonem habent regem potentissimum. Quem Moyses adit non tamquam tertiae populi partis orator, sed fretus Ex. 4,1 sqq. duobus signis divinis. Opprimuntur Hebraei terrore potentiae Pharaonis, flagellati 5,13 sqq. humiles supplicationes proferunt, impossibilia iussi 5,10 gemunt. Rex continuo insolenter agit, promissa revocat, procacia loquitur. Servi Pharaonis exanimantur 10,7 imminente locustarum plaga, simul animis aequissimis suadent, non ut illa tertia totius populi pars demulceatur, sed ut finibus regni emittatur. Deus vero continuo magnifice loquitur, promittit se illos 2 1/2 milliones defensurum esse « in manu excelsa » a violentia inimicorum longe pauciorum, eoque omnes circum gentes in stuporem esse acturum. Tandem ad Mare Rubrum devecti Hebraei, conspectis hostibus insequentibus, praeter trepida-

tionem, querelas, orationem agunt nihil (14,10 sqq.), a Moyse ipso excitantur ut « stent et videant ». Traiiciunt mare unica nocte, tramite sane latitudinis plurium leucarum. Quos Aegyptii, licet pauciores essent numero, admirabili alacritate 15,9 insecuti sunt, rati se facili negotio illos omnes esse reducturos. Mitto transitum per desertum, de quo modo dicebam, in quo sat diu Aaron filiique duo omnibus suffecere sacrificiis, quae illi 2 1/2 milliones offerebant. Pertingunt tandem ad limitem australem terrae promissae, ubi Num. 13 sq. terrore Chananaeorum omnino exanimantur illi plus quam 603,550 viri bellatores, qui tunc (cf. Ex. 32) armis nequaquam destituebantur. Si reguli Chanaanitidis omnes suas in Negeb iuncturi erant copias, non erant producturi exercitum 600,000 virorum : Aegyptii quippe exercitibus longe minoribus eo, quod extravagans fabula Sesostri tribuit, totam dudum regionem subegerant atque diu in suo obsequio retinuerant. Praevaluerint Hebraeorum inimici statura, curribus, munitionibus : at certe numeris praevalebant Hebraei. Non erat locus abiectissimae formidini, quam exprimunt verba 14,3. Meminisse debebant copias sibi esse numerosiores iis, quas ullus unquam hominum memoria rex in aciem produxisset. Quam tamen gravissimam rem neque Iosue neque Caleb illis tum in memoriam opportune videntur revocasse : sed his defendentibus regionem « posse » subigi, aliisque obiicientibus id fieri « non posse » (13,31 sq.), consensu fere unanimi comprobata est obiectio. Dicendum igitur erit, vesania quadam in eo negotio abreptos esse Hebraeos. Quod fieri potuisse non infitior. Verum si illa 603,550 virorum summa aliunde deprehendatur non carere suspicione, omnino eam suspicionem augebit vesanus ille terror. Ad naturam humanam accommodatiora sunt Hebraeorum Num. 13 sq. effata et acta, si iidem adstruantur non statura solum et munitionibus, sed ipsis numeris fuisse adversariis inferiores. Num. 21,9 serpentem aeneum in pertica elevatum facile contuentur illi 2 1/2 milliones omnes. Neque minor acies oculorum Moysis, qui Ex. 32,19 castris appropinquans illico discernit vitulum aureum mediis in castris constitutum : is quippe in castris locus erat numinis unice proprius. De Cades perveniunt ad Iordanem, ubi aliquibus certe mensibus substitere in campestribus Moab. Quamvis autem numerus eorum, qui fructibus regionis vescerentur, subito incursu auctus sit 2 1/2 millionibus, tamen annonae penuriam, quantum novimus, non sunt passi. Recole tandem immensum tripudium de devicto Amorrhaeorum rege Sehon, quod et Num. 21,27 sqq. aliisque per V. T. textibus exprimitur. Lubens concedo, quod Iud. 11,20 legitur de « infinita multitudine » a Vulg. textui esse adscriptum. Verum

illud indubie omnes laudati textus intendunt, eam victoriam egregium esse argumentum Dei circa populum Israel providentiae. At non eo illustrius demonstratur Dei providentia, quod homines numero plures conficiant pauciores. Quot ergo bellatores Sehoni concedes? num illi 600,000 denegabis? In illo igitur etiam angulo, qui Iordane, Basanitide, Ammonitide et Moabitide concluditur, vixerint 2 1/2 milliones hominum! O miram eius aevi humani generis foecunditatem! neque tamen minus miram ea, quae in cisiordanica deprehenderetur, ubi Deut. 7 erant tum gentes septem, singulae Hebraeis numerosiores, incolae omnino saltem 17 1/2 milliones.

Habet tamen, inquies, magnas istas summas textus sacer. Habet omnino, et *rotundas* quidem habet, quo uno demonstrantur non ita integrae ad nos pervenisse, sicuti primum in tabulas ad radices montis Sinai et prope Iordanem relatae fuere. Neque hominum census neque siclorum computi summis constant usque rotundis. Nequaquam igitur arbitrio nos illas summas in dubium vocamus : rotunditate sua convincuntur.

Habet illas summas textus. Sed habet etiam in illis *evidentem errorem*, quem dudum perspexere interpretes. Summae sc. particulares 3,22. 28. 34 efficiunt summam 22,300, maiorem ea quam v. 39 habet 22,000. Haec concordat cum computo v. 40 sqq., quem illa facit absurdum. Utram reiiciamus? Aliis arrisit summa 22,000 : nos censemus summis etiam 3,22. 28. 34 aliquid inesse veritatis, easque fortasse viam sternere difficultati v. 40 sqq. solvendae.

Habet textus illas summas. Verum concedunt interpretes, nulla in re facilius textum defigurari, quam in numeris; de qua re copiosi prostant virorum doctorum tractatus. Habes Gen. 5 et 11 series numerorum in pluribus certe, si non in omnibus recensionibus studiose deformatorum. Habes, quod nostram quaestionem proxime attingit, textum narrationis Ex. — Num. in aliquibus putatum, deformatum, obscuratum. Oportebit igitur illas quoque summas diligenter discutere, cum quod rotundae sint ideoque minus accuratae, tum quod difficultates suggerant haud spernendas. Discutiendae erunt tanto diligentius, quod earum mutandarum eadem potuerit esse *ratio*, ob quam historia etiam magnae in Cades apostasiae e sacra narratione expungebatur. Res ita concipi potest. Legebantur primitus egressi ex Aegypto Hebraei certo numero (de quo v. infra), et cum ipsis « turba multa » (Ex. 12,38) alienigenarum. Ipsa narratio primas post Moysen et Iosue partes assignabat Calebo Cenezaeo, demonstrabat aliorum alienigenarum in constituenda Hebraeorum re publica partes fuisse non ignobiles, distincte agebat de Cenezaeis aliisque familiis

alienigenis, quae Hebraeorum sacra susceperint. In opinionem deducebatur lector, illos alienigenas comparatione Hebraeorum non fuisse paucos, fortasse Hebraeos numeris vix non aequasse. Minime vero talis opinio constabat cum illo posteriorum Iudaeorum axiomate, Hebraeos omnes carnalem esse Abrahae progeniem. Admirationi futura erant piis lectoribus hebraeis, quorum aedificationi apographum destinabatur. Quid igitur? Summas Hebraeorum ita exaggeraverit scriba aliquis inepte pius, ut alienigenae illi, quotquot tandem fuissent, non potuerint esse nisi minima quaedam fractio eorum, qui cum Moyse Aegypto excesserint. Ob unam igitur eandemque rationem et acta in Cades fuerint suppressa Hebraeorumque numeri exaggerati.

Qui his aliisve rationibus permotus numeros in textu auctos esse iudicaverit, inquiret porro, qui numeri primitus in textu fuerint : quod sola coniectura definiri potest. Suggerat quis summas esse *multiplicatas per centum.* Neque tamen placuit summas omnes scribere centenarias, ne primo obtutu mutatio facta detegeretur; sed 1,25 scripti sunt Gaditae 50 et 26,7 Rubenitae 30; similiterque Num. 3 sq. et 26,57 sqq., multiplicatis primum levitarum summis per centum, 4,36. 40 pro Caathitis 2700 et Gersonitis 2600 scripti sunt 2750 et 2630. Quae omnia conferas cum numerorum mutationibus Gen. 5 et 11 factis : quod sc. ibi potuit fieri, cur h. l. fieri potuisse negetur? Secundum eam igitur, de qua agimus, coniecturam habes

Rubenitas	in numeratione	Num. 1	465,	in numeratione	Num. 26	437;
Simeonitas	—	—	593,	—	—	222;
Gaditas	—	—	456,	—	—	405;
Iudaeos	—	—	746,	—	—	765;
Issacharitas	—	—	544,	—	—	643;
Zabulonitas	—	—	574,	—	—	605;
Ephraimitas	—	—	405,	—	—	325;
Manassaeos	—	—	322,	—	—	527;
Beniaminitas	—	—	354,	—	—	456;
Danitas	—	—	627,	—	—	644;
Aseritas	—	—	415,	—	—	534;
Nephthalitas	—	—	534,	—	—	454;
			6,035,			6,017;
Levitas	—	Num. 3	220,	—	—	230.

Sed adverte, levitas numeratos esse ab uno mense et supra, reliquos a viginti annis et supra. His summis correspondent homines omnis sexus et aetatis non 2,500,000, sed 25,000. Loco summae 220 (Num. 3, 39) habes ib. v. 22. 28. 34 : 75 + 86 + 62 = 223; sc. summa 220 meros recenset levitas, summae partiales insuper recensent Aaron,

Eleazar et Ithamar. Numerum primogenitorum Israelis dicas fuisse 220 + 273 = 493. Ubi 220 est summa levitarum (3,39), 273 est excessus 3,46. Adverte, in hac prima redemptione primogenitorum redemptos esse primogenitos non pueros tantum, sed etiam adultos.

Hac hypothesi solvuntur difficultates omnes, quas supra attingebamus. Perspicis, quomodo Ex. 1,15 obstetrices *duae* omnibus suffecerint Hebraeorum necessitatibus, praesertim cum Hebraeae haud raro sine obstetricibus parerent (v. 19). Intelligis Pharaonis insolentiam, Moysis et Hebraeorum humilitatem, exercitus aegyptii alacritatem, qui, quod praeter peditum agmen haberet 600 currus, omnino confidebat se turbam 25,000 virorum atque mulierum facili ope esse reducturum. Iter per desertum defendes, quin alia, quam quae textus enarrat, infinita affingas miracula. Omnia omnino ita agi potuere, sicut acta esse narrantur. Evanescit difficultas, censum Ex. 38,25 *eandem* summam totalem habere, atque alterum censum Num. 1,46, inter quos ad summum octo menses intercessere. Ut enim eo intervallo nullus e 603,550 naturali morte occubuerit, difficile concedetur; ut nullus e 6,035, facile admittetur. Perspicitur, quomodo Num. 21,9 serpens aeneus in pertica elatus ideoque non magnae molis per universa castra facile potuerit conspici. Cf. ad Num. 23,10. Explicatur Hebraeorum terror Ex. 14 et Num. 13, tripudium de Sehonis clade, etc.

Cum summis tribuum mutati fuerint etiam alii aliqui in textu numeri. Multiplicatis per centum iis, quibus praeda divideretur, multiplicata fuerit item 31,32 sqq. praeda eisdem dividenda. 31,5 fortasse pro 12,000 legendum 120 : factum fuerit ibi omnino simile facti Gedeonis, qui Iud. 7,6 cum trecentis viris et tubis noctu in Madianitarum castra irrupit. Fuerit item Ex. 32,28 numerus interfectorum 30 : et nota numerum Levitarum armatorum, qui illos interfecere, vix attigisse centenarium (220 ab uno mense). Cf. etiam Ios. 8. Tandem liberaliter adscripti identidem chiliarchae, centuriones. Etc.

Numerus Hebraeorum tempore exodi tanto minor erit adstruendus, quo minor erit *numerus generationum* inter exodum et duodecim patriarchas; hic erit minor, si series generationum nobis in Pentateucho et 1 Par. exhibitarum supponatur esse completa; erit maior, si eadem supponatur incompleta, quibusdam membris suppressis. Atqui series illa videtur esse *completa*.

Non quaerimus, generationesne ita sint completae, ut omnes singulorum virorum recenseantur filii; sed suggerimus generationum seriem esse completam, ut tot successivae exstiterint generationes, quot in illis libris describuntur. Quarumdam tribuum genealogias monuimus esse perquam ieiunas, ideoque etiam incompletas; consi-

derandae autem h. l. veniunt eae tribus, quarum magis articulatae nobis traduntur genealogiae. Ubi aliqua praemittimus principia.

1. Chronologiam immediate ex ipsis *genealogiis* construere, haud tutum esse censemus. Quod aliqui tentavere comparantes nomina, quae in variis genealogiis leguntur. Quarum aliquae pluribus nominibus reperiuntur longiores, paucioribus aliae breviores : censent igitur tantum temporis esse adstruendum, quantum longissimae etiam genealogiae sufficiat. Verum eiusmodi computus speciosior quam verior esse facile perspicitur. Etenim illae nominum series in pluribus vitiatae et obscuratae esse deprehenduntur, et merito suspicetur quis plura etiam adesse menda, quorum nullum nos maneat vestigium. Vel una copula unove בנו omisso, confunditur quandoque tota aliqua genealogia. Quarum aliquae initio quidem exaratae sunt magno cum studio, postmodum leviori calamo absolvuntur; v. g. genealogia Caleb 1 Par. 2,42-55, quae ab individuis variarum uxorum filiis exorsa in civitates et pagos desinit. Nisi mavis 2,20 tamquam spurium expungere, debebis adstruere Uri et Beseleel provectiore aetate sacris Hebraeorum se iunxisse atque Huri familiae esse adscriptos. Et quomodo expunxeris textum, cui critica ratio obstat nulla? Plurimos tum non Hebraeos ad Hebraeorum fidem transiisse certum est; item singulos uni alicui tribui et familiae esse adscriptos; conversione sua efficiebantur Uri et Beseleel filii Israel, filii Iuda, filii Hur, eorumque in genealogiam nomina referebantur hac formula : Hur genuit Uri, et Uri genuit Beseleel. Quod vero in his duobus viris factum est, sine dubio factum est item in aliis. Quae cum ita sint, nullum chronologiae inde affunditur lumen, quod una genealogia aliis sit longior.

2. Propter difficultates sive veras sive apparentes, quas chronologia ex illis genealogiis patitur, sapienter permissi sunt exegetae, ut genealogias *incompletas* esse concederent; minime tamen obligatur interpres, ut eas omnes incompletas esse defendat, sed ei plena manet libertas, ut eas si non omnes, at certe quasdam *completas* esse tueatur.

3. Ergo, si quod e genealogiis 1 Par. chronologiae lumen quaeratur, non ab ipsis genealogiis procedat interpres necesse est, sed a *factis genealogiis intersparsis*. Quae si factorum aliunde notorum reperiantur esse aequalia, lucem affundent etiam quaestioni, sitne aliqua genealogia completa an incompleta.

His praemissis ad facta componenda accedimus. Igitur tempore exodi erat Moyses 80, Aaron 83, Caleb 40 (Ios. 14,7), Calebi pater

Hesron (1 Par. 2,21) 60 circiter annos natus. Eodem tempore Calebi filius Hur (Ex. 17,10. 12; 24,14; 1 Par. 2,19) Moysis partes fortiter tuebatur; Ephrath, Huri mater, Calebo iuncta fuerat matrimonio annis certe 15, fortasse 20. Igitur e genealogiis 1 Par. derivantur sequentes series genealogicae [1]:

1	2	3	4	5	6	7	8
		Zara	Etham	Ezra (= Azarias)	*Mered*		
Iuda				Ram	Aminadab	*Nahasson*	
					Hur	[Uri	*Beseleel*]
		Phares	*Hesron*	[*Caleb*]	Ela	Cenez	*Othoniel*
				....	....	Segub	*Iair*
		Manasse	Esriel	*Anonymus*	*Ephrath*		*filiae*
Ioseph			Machir	Galaad	Hepher	*Salphaad*	
		Ephraim	Suthala	Adan	Ammiud	*Elisama*	[Nun-*Iosue*]
Beniamin	Asbel	Baria	Ierimoth (?)	*Azuba*			
	Ahiram (?)	Maacha					
		Meleketh					
		Amram	*Moyses*				
Levi	Caath		*Aaron*	*Eleazar*	*Phinees*		
				Ithamar			
		Oziel	*Elisaphan*				
		Isaar	*Core*				
Ruben	Phallu...	Eliab....	*Dathan*				
			Abiron				

Schema, praeter senes 4ae generationis, exhibet viros potissimum 5ae et 6ae generationis fuisse exodi aequales. Viri tum haud raro et in prima iuventute generabant et ad provectam vivebant aetatem : ita Hesron 60° fere aetatis anno genuit Segub; ergo minime mirandum est viros 4ae generationis virorum 7ae et 8ae generationis quadamtenus exhiberi aequales. Nulla est ratio negandi, in schemate nostro generationes a 4a ad 8am reapse esse continuas. Sed continuae item agnoscendae sunt generationes a 1a ad 4am. Filii quippe Machir Gen. 50,22 sedere super genua Ioseph. Porro, si in schemate series generationum

---

1. Hoc schemate nomina *subducimus* eorum, qui tempore exodi vel post illud, vixisse scribuntur. *Numeri*, quos columnis inscripsimus, designant generationem, ad quam eius columnae viri pertinent; in *prima* generatione sunt 12 patriarchae a Iacob prognati. Phares et Zara non 2ae sed 3ae generationi attribuimus, quod nati sint, quando frater eorum Sela aetate iam erat aptus ad coniugium ineundum; item Manassen et Ephraim 3ae tribuimus generationi, quod eos, cum propemodum 37 annorum esset, Ioseph genuerit. Segub, quem Hesron genuit sexagenarius, 7ae adscribimus generationi. Ibi abrupimus laborem, quod aetatem, qua suum quisque filium genuerit, in plerisque ignoremus. Neque plenam in nostro schemate quaeras aetatum aequalitatem, sed vagam, quae tamen abunde demonstret, has genealogias non fuisse arbitrario atque inde inaequaliter decurtatas. — Quos viros coniicimus adultiore aetate ad Hebraeorum fidem conversos alicui familiae esse accensitos, eorum nomina *uncinis* [ ] inclusimus.

sit completa, nunquam profecto posteritas patriarcharum ad exodum usque excrevit ad 2,500,000 homines : veri similior longe est numerus 25,000, includens universam patriarcharum sobolem cum domibus eorum.

Duo sunt, quae proposito schemati difficultatem faciunt. *Maacha* et *Meleketh*, uxores Machir, sunt 3ae, ipse Machir 4ae generationis. Respondeo primum, dubiam tandem esse earum mulierum genealogiam, cum non certo constet, sitne Aher 1 Par. 7,12 idem atque Ahiram. Qui si provecta aetate illas sorores genuit, potuere eae Machiro esse iuniores. Ceterum illa genealogia 1 Par. 7,6-12 non est ex antiquioribus, eique v. 12 appendicis instar ad calcem adhaeret : atqui in eiusmodi versu adiectitio facile *filiorum* nomine recitari possunt etiam ii, qui non immediate sed mediate ab aliquo geniti sunt. — Alteram difficultatem facit *Elisabeth*, soror Nahasson et uxor Aaron. Porro Aaron tempore exodi erat 83 annos natus eiusque quatuor filii adulti, ut crediderim Aaronem saltem ab anno vitae 50 Elisabethae fuisse iunctum : at quomodo tum potuit illa esse soror Nahasson, 7ae generationis viri? Respondeo, genealogiam Ex. 6,13-28 esse textui assutam (CEL p. 75 sq.), ergo non eandem habere auctoritatem quam genealogias Manasse, Ephraim et Iuda 1 Par.; illam praeter nudam genealogiam nuptias commemorare duas, Amrami cum Iochabed et Aaronis cum Elisabeth; nomen Iochabed (CG p. 7 sq., CEL p. 73) non carere suspicione. Neque ideo affirmamus, Ex. 6,23 falso adscribi nomen Nahasson, sed fuerit Elisabeth soror Nahasson sensu latiore, mulier e cognatione eius.

E. Psalmus Cadesianus.

Tempus est, ut longiorem hunc de Commoratione Cadesiana tractatum absolvamus. In quem plura congessimus specie tenus ab actis cadesianis aliena, sed quae omnia in illud unum conspirabant, ut illorum 37 annorum historiam elucidaremus. Pro conclusione adiicimus brevem conspectum Ps. 28 (29), qui portentum cadesianum celebrat aquae e rupe elicitae. Tribuum post apostasiam reconciliationem consecravit sane festiva solemnitas religiosa, cuius monumentum aliquod in illo Ps. nobis videmur deprehendere. Inscribitur is « Psalmus David »; neque dubitamus, eum a David esse transmissum, fortasse adhibitum esse a Davide in translatione arcae de domo Obededom in novum tabernaculum, in aliquibus fortasse etiam mutatum. Cf. v. 5 sq. imagines *cedrorum*, *Libani* et *Hermonis*, quae a mente vatis in deserto constituti erant fere alieniores. Sed psalmum esse Davide antiquiorem et acta cadesiana celebrare infero, cum e textu, qui bis Cadesam appellat illisque actis consonat, tum ex altera inscriptionis parte apud *LXX* : ἐξοδίου σκηνῆς (aliqui codices ἐξόδου). De qua monet *Or.* : οὐδὲ ταύτην εὗρον ἐν τῷ ἑξαπλῷ τὴν ἐπιγραφὴν, ἀλλ' ἔν τισιν ἀντιγράφοις. Porro ἐξόδιον ex etymo est aliquid *exodum* aliquam attingens. Lev. 23,36; Num. 29,35; Deut. 16,8; 2 Par. 7,9; 2 Esdr. 8,18

exprimit hebraeum עצרת, quod certe *festum* sonat, probabilius festum populare (cf. CEL p. 518). Certe expressio illa non dicit « octavam festi tabernaculorum » (*Theodoret.*), sed potius « (canticum) spectans exodum tabernaculi ». Accipe iam canticum :

v. 1 Afferte Iahve filios arietum[1], — afferte Iahve gloriam et robur[2],
v. 2 afferte Iahve gloriam nominis eius, — prosternimini coram Iahve in vicis[3] Cades.
v. 3 Vox Iahve super aquas, — intonat Deus gloriae, — Iahve super aquas copiosas.

v. 4 Vox Iahve fortis, — vox Iahve magnifica,
v. 5 vox Iahve frangens cedros : — confringit Iahve cedros Libani.
v. 6........... [4] — concutit uti vitulum Libanum, — Sarionem uti filium bonassi.

v. 7 Vox Iahve findens fulgura, — ....[5]
v. 8 Vox Iahve quatiens desertum, — quatit Iahve desertum Cades.
v. 9 Vox Iahve perforans arbores[6], — denudat sylveta, — sed ecclesiae[7] suae universae decernit gloriam.

v. 10 Iahve in inundatione residet, — residet Iahve rex in aevum.
v. 11 Iahve robur populo suo dat, — Iahve benedicit populo suo in pace.

Sensus hic est. Ad solemnitatem sacram Cadesae omnes convocantur ob insigne aliquod Iahve beneficium, quod consecutum est delictum aliquod sacrificio arietum luendum. Beneficium autem fuit hoc. Iahve nubibus insidens ut throno diluvium aquarum profudit cum tonitru et fulgure. Concussit montes et desertum, subvertit arbores : verum, dum se terribilem omnibus circum exhibebat, exhibuit se misericordem ecclesiae suae israeliticae, ei *toti* benedixit, robur et pacem largitus est.

---

1. Sola effertur victima *pro delicto*.
2. An forte pro כבוד ועז legendum בכורי עז, *primogenitos generosos?*
3. Pro הדרת legunt *LXX Vulg. Syr.* חצרת ; nota Hebraeorum circa Cadesam diu *divisa* fuisse castra.
4 Adverte v. 3-9 versum quemque (praeter v. 6) ordiri verbis *vox Iahve;* secundum stichum v. 5. 8. 9 habere verbum eiusdem aut synonymae radicis atque primum stichum : ויחשף — יחולל, יחיל — יחיל, וישבר — שבר. Non imprudenter conieceris, initio v. 6 excidisse stichum fere hunc : קול יהוה מרקיד הרים, *vox Iahve concutiens montes.*
5. Versus vel in editionibus receptis aequo brevior apparet. Fuerit ibi alter stichus fulgura describens.
6. Ita אילות merito vertit *Syr.*
7. Pro ובהיכלו lego ובקהלו. Qua voce paulum defigurata, facile posteriores Hebraei, qui *templum* ubique subodorarentur, ad lectionem ובהיכלו delabebantur. Bene autem *universae* ecclesiae benedixisse scribitur Iahve, quae ante in factiones exstiterit divisa.

Quaero iam, cui *exodo tabernaculi* haec consonent? Num exodo de monte Sinai? aut de campestribus Moab? aut translationi davidicae? Nihil in his de portento aquarum traditum habemus. Praeterea translatio davidica non fuit proprie exodus tabernaculi, sed exodus arcae de domo Obededom in tabernaculum. Verum exodum tabernaculi cadesianam scimus praecessisse magnum aquarum portentum. Praeterea Cades in cantico nominatur bis.

Sane canticum nobis pleniorem et grandiorem portenti Num. 20, itemque portenti Ex. 17, imaginem ob oculos ponit. Monebamus, nihil haberi in textibus, quo fons perennis natus esse demonstretur. Ex. 17,6 docemur, in illis portentis *nubem* prope petram fuisse. En tibi igitur nubem illam, quae castra praecedebat, tabernaculo incumbebat, petram veluti obvolventem. Percutit virga petram Moyses, et ecce emicant fulgura, rugiunt tonitrua, inundatio imbrium super totam petram effunditur, per omnes saxorum sinus praecipitantur aquae, loca demissiora replent.

Ita igitur psaltes noster illud miraculum imaginabatur; ita illud, si non oculis conspexerat, at traditione factum esse acceperit : portentum utique grande, in quod coeli et terra conspiraverint. Confer cum his verba apostoli 1 Cor. 10, 4 : « petra autem erat Christus ». Apte Christus, qui in plenitudine temporum copulaturus erat divinitatem humanitati, coelum terrae, componitur cum deserti petra, quae incumbente nube illa miraculosa aquas effudit ad vitam sustentandam.

DE CADES AD IORDANEM

NUM. 20,14-36,13

Huius narrationis tres discernuntur partes :
iter ad Iordanem Num. 20,14-21,35,
acta Balaam Num. 22-24,
alia ad Iordanem acta Num. 25-36.

A. Iter ad Iordanem Num. 20,14-21,35.

Restituto apud Cades Barnea foedere cum Iahve et Hebraeorum inter se concordia, resumitur iter ad terram promissam. Verum, dum ante Num. 20 narratio sedatius procedebat et biennii acta et statuta 86 capitibus explicabat, nunc ad Iordanem veluti ruit narratio. Relata actione cum rege Edom habita breviter expeditur Aaronis mors, Chananaeorum clades, serpens aeneus. A statione ad stationem festinat narratio : ab Oboth ad torrentem Zared, hinc ad ripam Arnonis, ubi inseritur scheda militaris bellum sacrum Hebraeis iniungens et prima stropha cantici putei; inde per quatuor stationes raptim pervenitur ad fauces montium Abarim septentrionales, ubi proelio funditur Sehon, et mox altero item proelio Og. Narratio haec est instar brevium notularum in ipsis itinerum angustiis cursim descriptarum. Vel dicas narrationem depingere Moysis flagrans desiderium intrandae terrae promissae. Defecerat eius aliquando fides, sed longa 37 annorum poenitentia refloruerat. Sententiam ipse tulerat 20,12, se non introducturum populum in terram promissam : unum iam habet in votis senex fere 120 annorum, ut ei terrae pedem inferat, sententiae revocationem impetret. Iuvenili ardore arripit iter, transiordanicam ingreditur, ad Iordanem properat, a Deo ut cisiordanicam etiam ingredi permittatur incassum efflagitat.

I. DE CADES AD MONTEM HOR NUM. 20,14-21,3.

Cum Num. 13 sq. recusassent Hebraei via brevissima per Negeb terram promissam intrare, noluit Deus hac via, quam eorum inobedientia desecraverat, illos eo perducere, sed per septentrionalem plagam Maris Mortui. Decreverat insuper, ne pugnarent contra Edomitas, Moabitas, Ammonitas (Deut. 2), fratres suos ex Abraham et Lot. Quare aut obtenta venia horum populorum fines erant traiiciendi, aut negata venia longiori itinere circumeundi. Hinc legationes missae ad Edomitas h. l.

et ad Moabitas (Iud. 11,17 sq.); haec tamen altera legatio censenda est missa esse non de Cades Barnea, sed quando Hebraei Moabitarum fines attigere (cf. h. l. v. 16). Missa item Num. 21,21 et Deut. 2,26 sqq. legatio ad Amorrhaeos, qui fratres non erant, sed iis transitum denegantibus ventum est ad arma.

1. *Rex Edom Hebraeos transitu prohibet Num.* 20,14-21.

Arg. — Itineris initium facturus Moyses mittit ad regem Edom, ut per suos fines Israelitas transire permittat. Renuit is neque postmodum, Israelitis conditiones proponentibus, petita concessit. Israelitae igitur ab Edomitarum finibus deflexerunt iter.

Cum ex documentis apud Tell-el-Amarna et alibi repertis efficiatur reges, regulos et praefectos Asiae anterioris consuevisse literis communicare inter se, cum Moyses certe scribendi artem calluerit et rex Edom sine dubio scribas habuerit apud se, veri simillimum est v. 14-17 esse textum epistolae a Moyse ad regem Edom submissae. Non vero loquitur Moyses nomine suo sed Israelis (v. 14), actio item v. 19 nomine filiorum Israel habetur. Licet plurimum in rebus etiam politicis valeret Moyses, tamen earum rerum cum exteris transigendarum auctoritas videtur fuisse apud principes in concilium adunatos. Ita fratres cum fratribus (v. 14) tractabant. — De Edomitarum regibus cf. Gen. 36,31 sqq., inter quos recensetur Bela filius Beor, et Balaam etiam scribitur filius Beor. Sed Balaam Num. 22,5; Deut. 23,4 certe non erat Edomita. Ergo videntur intelligendi duo diversi Beor.

v. 14 « *Misit* [*interea*] *nuntios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent* » : — etiam *LXX* λέγων : facile excidebat ויאמר, sequente voce אמר — « *Haec mandat frater tuus Israel : Nosti omnem laborem, qui apprehendit nos* », qui v. 15 sq. accuratius describitur; v. 15 « *quomodo descenderint patres nostri in Aegyptum, et habitaverimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Aegyptii et patres nostros* », v. 16 « *et quomodo clamaverimus ad Dominum et exaudierit nos miseritque angelum, qui eduxerit nos de Aegypto* », nos praecedens in columna nubis (*Lap.*). Iam etiam in documento ad extraneum misso scribitur nomen Iahve (cf. CG p. 9) : Iahve sc. magnis portentis testificatus est se esse Deum Israelis, quae etiam Edomitis innotuerunt (Ex. 15,15). « *Ecce in urbe Cades, quae est in extremis finibus tuis, positi* » v. 17 « *obsecramus, ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis* »; intellige : sine pretio. « *Sed gradiemur via publica, nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos* ». *Via regia*, v. 19 *via trita*, qua cives et imprimis reges in suis expeditionibus incedere consueverunt. Non aedificabantur tum viae, quod postmodum Romani fecere, sed pedibus terebantur, licet aliquae quandoque soli inaequalitates emendarentur (cf. Is. 40,3 sq.). v. 18

« *Cui respondit Edom* » per proprium legatum et fortasse item per epistolam : « *Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi* ».

De *Grotii* et *Seldeni* controversia, an iuste potuerit rex Edom Hebraeis transitum per suos fines denegare, cf. *Calm.* Cum Deus nomine Iahve non esset Edomitarum Deus, revelatio mosaica non ad ipsos dirigeretur, fas erat regi Edom suos fines secundum prudentiae naturalis dictamina tueri. Prudenter autem excludebat Hebraeos. Toto eo aevo tribus plures bellicosae (Hyksos) ex Aegypto in Asiam pedem retulerant atque gentium eos tractus incolentium fines attigerant. Ut pacificus sibi transitus concederetur, plures sine dubio petierant; sed venia obtenta fidem fefellere aliquae, aut aliqua suborta rixa mutatae sunt in hostes. Maluit igitur rex Edom armis fidere suis, quam advenarum promissis. Neque hic neque Deut. 2 reprehenditur.

Porro Israelitae cum legato Edomita agunt, conditiones v. 17 accuratius definiunt. Quam modo dixerant *regiam*, nunc vocant *tritam viam*, ab agris et vineis oppido distinctam. Explicite pretium aquarum paciscuntur, atque transitum citissimum. De cibo uti v. 17 tacent; hunc, si proferebatur, pretio fore emendum evidens erat, neque censendus erat rex Edom suos velle prohibere a quaestuosa mercatura; sed dubium esse poterat de aquis. v. 19 « *Dixeruntque filii Israel : Per tritam gradiemur viam et, si biberimus aquas tuas nos et pecora nostra, dabimus quod iustum est; nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus* ».

רק אין דבר ברגלי אעברה, *tantum non verbum in pedibus meis transibo.* Ubi pro ברגלי *LXX* rursum במסלה, utrobique vertentes *supra montes* (!). *Syr.* omittit אין דבר : *solum pedibus transibimus*, eodemque recidit *Vulg.* vocem *solum* ad extrema trahens. Sensus est facilis. Non « cum peditibus », sc. armatis (*Ros.*) : armatorum quippe mentio potius suspicionem movisset Edomitis. Non « pedibus », i. e. sine mora (*Cai.*), cum is non sit sensus vocis; sed : pedibus tantum terram vestram attingemus, nihil auferemus, nihil retinebimus. Verum, quid sibi vult אין דבר? Iungit *Vat.* : « modo non sit res aliqua pedibus meis, transibo; modo ne quid impediat transitum ». Verba, si hoc sensu essent accipienda, utique Edomitas a venia concedenda absterruissent; timuissent, ne Hebraei facilius « impedimentum » aliquod effingerent atque intra fines permanerent. Reliqui igitur omnes duas extremas sententiae voces iungunt. *Chald.* : *solum nullum verbum malum* : sed gratuito additur vox *malum*, neque sententiae sensus est satis clarus. Cum restrictivum רק certe (cf. Deut. 2,28) sensu pertineat ad ברגלי אעברה, vox אין vertatur oportet *sine* (Ex. 21, 11; Ioel 1,6) : *tantum, sine verbo, pedibus transibimus;* tantum transibimus humum pedibus attingentes, silentio, nullum edentes sonum.

Prudens tamen in generatione sua rex Edom. v. 20 « *At ille respondit : Non transibis. Statimque egressus est obvius cum infinita multitudine et manu forti* », v. 21 « *nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos;* [*quam ob rem*] *divertit ab eo Israel* ». Obtinebat igitur rex Edom cum suis montem Seir (Deut. 2,4),

ad loca regionis munitiora Israelitas non admisit, sed non est ausus in planitie Hebraeorum agmina adoriri. Incolebant autem sane Edomitae aliqui ad orientem montis in planitie : per illos incessere Hebraei pacifice, pretium solventes pro aqua et cibis, nemini iniuriam inferentes (Deut. 2,5 sq.). Potuit igitur vere dicere Moyses Deut. 2, 28 sq. regi Amorrhaeorum : « Concedas transitum, sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir ».

2. *Moritur Aaron Num.* 20,22-30.

Arg. — Aaron in monte Hor moritur, suscipiente pontificatum Eleazaro filio eius.

Est alius *mons Hor* prope Libanum 34,7 sq. Mortuus dicitur Aaron in monte Hor etiam Deut. 32,50. Quem *Ios.* dicit esse Petram, atque hinc geographi aliquem prope Petram montem demonstrant. Sed tenuis hac in re Iosephi auctoritas. Montes prope Petram obtinebant tum (v. 20) Edomitae armata manu. Cum res ordine historico narrentur, fuere Hebraei prope montem Hor, antequam cum rege Chananaeo Arad cap. 21 dimicarent : at is eos certe adortus est non prope Petram, sed prope Cades (cum 21,1-4 cf. 14,45). Ad Deut. 10,6 cf. quae dicturi sumus ad Num. 33,30.

v. 22 « *Cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terrae Edom* », v. 23 « *ubi locutus est Dominus ad Moysen* » *et Aaron :* v. 24 « *Pergat, inquit Aaron, ad populos suos* ». Cf. Gen. 25,8; 15,15 : expressio prodit fidem immortalitatis animae (*Cai.*). « *Non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad Aquas Contradictionis* ». Reliqui *quod contumaces fueritis.* v. 25 « *Tolle Aaron et filium eius cum eo, et duces eos in montem Hor* », v. 26 « *cumque nudaveris* » — *exuere feceris :* non « quasi degradando » (*Cai.*) ipse exues — « *patrem veste sua* », — *Hebr. Sam. Chald. Syr. : vestibus suis,* plures erant vestes sacrae pontificis — « *indues ea Eleazarum filium eius. Aaron colligetur et morietur ibi* ». v. 27 « *Fecit Moyses, ut praeceperat Dominus, et ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine* ». Non quod talis formae fuerit mons, ut totus populus de planitie potuerit discernere (*Ios.*), quid in cacumine ageretur. Censeo porro cum *Cai.*, ascendisse illos « cum honorabili societate ». Decebat plures adstare testes mortis Aaron et legitimae successionis Eleazari, ministros qui unum pontificem exuerent, alterum induerent vestibus sacris, decebat adesse praeter Moysen et Eleazarum, qui cadaver componerent (cf. Lev. 21, 11). v. 28 « *Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius* ». v. 29 « *Illo mortuo in montis supercilio, descendit*

cum Eleazaro ». v. 30 « *Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas* »; pro quo *Hebr.* : *omnis domus Israel*, non sola tribus Levi. — Vide Aaronis laudem Eccli. 45,7 sqq., et implicite etiam Mal. 2,4 sqq.

3. *Chananaeorum clades illata clade aboletur Num.* 21,1-3.

Arg. — Antequam meridiem versus iter flecterent Hebraei, ulti sunt cladem, quam ipsis Deo inobedientibus 14,45 Chananaei inflixerant. Hoc eis concessit Deus, licet directum in Chanaanitiden iter ob eandem inobedientiam denegaverit.

Pro אתרים v. 1, quod accipiendum esset ut nomen proprium (*LXX* Ἀθαρείν), legebant *Vulg. Targ.* תרים, *exploratorum*. Sc. eventus v. 1 idem est, qui 14,40 sqq. narrabatur quique h. l. repetitur tamquam narrandorum v. 2 sq. occasio. Hebraei tum, Moyse incassum dehortante, incesserant ea via, quam ipsis exploratores demonstraverant, quaeque ideo *exploratorum via* appellatur. Chananaeorum 14,45 imperator tum erat rex Arad. Cladem 21,1 eandem esse atque illam 14,45, prodit cum exploratorum mentio tum utrobique nomen Horma. Utrum *votum* v. 2 Hebraei emiserint mox post acceptam cladem, an potius circa tempus resumptae peregrinationis, non liquet. Sed eventus v. 3 locum habuit brevi post mortem, fortasse post luctum Aaron. *Bonfr.*, montem Hor apud Petram collocans, cogitur eventum v. 3 postponere usque post tempus subactae terrae sanctae, post mortem Iosue Iud. 1,17, quod rex Arad utique nequeat supponi usque Petram processisse, et multo minus Hebraei de Petra reversi esse Hormam. Non officit, Ios. 12,14 rursum haberi regem Arad et regem Horma. Civitas Arad h. l. non traditur ab Hebraeis esse destructa, parum probabile est, eos tam longe septentrionem versus esse progressos. In Sephaath-Horma destructa non reliquere colonos; ergo Sephaathenses suam urbem reaedificaverunt, nomine uti patet Sephaath. Postea Iudaei et Simeonitae urbem rursus cepere eique rursum imposuere nomen Horma. Attento chronologico ordine narrationis Num., haec explicatio nobis arridet prae altera (cf. CI p. 48). — *Arad* erat in Negeb (h. l. v. 1 et 33,40), nunc Tell Arad, quatuor vel quinque horis ad meridiem Hebronis.

Cap. XXI v. 1 « [*Quod*] *cum audisset Chananaeus rex Arad, qui habitabat ad meridiem* », i. e. *in Negeb*, « *venisse* [*sc.*] *Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum et* [*victor exsistens*] *duxit ex eo praedam* ». Vox etiam captivos designat. v. 2 « *At Israel voto se Domino obligans ait : Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes eius* ». v. 3 « *Exaudivitque Dominus preces Israel et tradidit Chananaeum, quem ille interfecit subversis urbibus eius* » illis, quas Hebraei reapse adorti sunt, certe urbe Sephaath : sed quam longe septentrionem versus Hebraei processerint, ignoramus. « *Et vocavit nomen loci illius Horma,* [*i. e. anathema*] ». De exsecratione

חרם cf. Lev. 27,29, et de exsecratione urbis hebraeae idololatrae Deut. 13,12 sqq.

II. DE MONTE HOR AD FINES AMORRHAEORUM NUM. 21,4-20.

1. *Serpens aeneus Num.* 21,4-9.

Arg. — In itinere a monte Hor ad Mare Rubrum ad circumiendos fines Edom, murmura quaedam populi puniebantur plaga serpentum venenatorum. Iubet Deus erigi in altum serpentem aeneum, quem aspicientes, qui morsum erant passi, sanarentur merito fidei suae.

Hanc pericopen explicantes plura ingeniose congerunt interpretes aliqui de serpente ab antiquis habito ut symbolo numinis, sanitatis etc. Quae cum per se non satis sint certa, textum magis confundunt quam elucidant. Quamvis enim una alterave antiquarum nationum serpentem venerata sit ut symbolum vitae vel ipsius numinis, tamen hoc symbolum ante vel post diluvium commune fuisse omnium, nullo probabili argumento demonstratur. Serpens utique fuit symbolum sanitatis apud Graecos et Romanos fuitque Aesculapio sacer; sed neque hoc quidquam efficit pro aevo mosaico. Cf. *P. Scholz :* Götzendienst u. Zauberwesen etc., Regensburg 1877, p. 101 sqq. Nos textui sacro adhaeremus. Igitur Hebraeis in plaga serpentum ad Deum pro salute recurrentibus, Deus non totam plagam sustulit, quod fecerat in plagis aegyptiacis Moyse intercedente, non Moysis, qui ante a fide defecisset, verbo vel orationi eliminandam permisit, sed aliquod providit salutis signum visibile, quod fide et fiducia contuentibus restitueret sanitatem : « qui enim conversus est, non per hoc quod videbat sanabatur, sed per te omnium salvatorem » (Sap. 16,7). Debebat hoc signum omnibus ubique praesens adesse, quod veneni virulentia moras non ferret; debebat esse tantae molis, ut etiam procul discerni posset. Erexit igitur Moyses iussu Dei illud signum in pertica (articulum ignorant *LXX Chald. Syr.*), non vexilli militaris aut regii instar, nam singuli exercitus sua habebant vexilla, sed instar signi monitorii (cf. 26,10). — Signum selegit Deus eius *formae*, a qua etiam plaga proficiscebatur. Sicut decreverat Deus per *hominem* redimere, quos perdiderat *homo*, et per *lignum* reparare damnum a *ligno* profectum, ita decrevit *serpentis aenei* specie sanare malum a *serpentibus* inflictum. Neque putes, hanc serpentis speciem ideo fuisse minus aptam, quod ea in paradiso daemon hominem deceperit : si enim *homo* et *lignum*, quae ipsa quoque in hominis ruinam conspiraverant, assumebantur salutis instrumenta, cur non item assumeretur *serpens?*

Narratio clare ostendit, ex mente Dei, Moysis eiusque aevi Hebraeorum eum esse mandati Ex. 20,4 sq. sensum, ut eae solae imagines confici prohiberentur, quae conficerentur ut adorarentur : secus Deus serpentem aeneum confici iubens Moysi et populo occasio fuisset eius mandati transgrediendi. Hic serpens ad certum malum certo aliquo tempore avertendum Dei iussu confectus est. Neque tamen mirum, Hebraeos illum reverenter asservasse, imo postmodum variorum malorum levamen ab illo requisivisse, superstitiose egisse, quare pius rex Ezechias illum comminuit 4 Reg. 18,4. Fuit illi appellatio נחשתן, sane contracta ex נחש נחשת. Absurde serpentem aeneum recentiores aliqui proclamant esse vestigium aliquod ophiolatriae, cui pridem stirps electa indulserit. Id plane gratis asseritur; si tali

unquam superstitione infecta fuisset stirps electa, certe Deus non elegisset serpentis formam ad salutem miseris largiendam.

Eo usque castra habuerant Hebraei ad radices montis Hor. Inde aliqua populi pars Chananaeos v. 3 adorta est; neque enim puto totum populum processisse ad ulciscendam cladem quibusdam (14,44) inflictam. Incedunt iam Hebraei *via Maris Suph,* versus illud. Eadem expressio atque 14,25. Cf. quae dicemus ad 33,37. v. 4 « *Profecti sunt autem* [*et*] *de monte Hor per viam, quae ducit ad Mare Rubrum, ut circumirent terram Edom* ». Ii, qui Hebraeorum itinerarium describere conati sunt (v. g. *R. v. Riess :* Bibel-Atlas, Freiburg i. B. 1895), illos fere e Cades vel Sephaath deducunt orientem versus, usquedum apud Ain el Webe descendant in Wady el-Arabah, depressionem illam, quae a Mari Mortuo protenditur ad Sinum Aelaniticum, atque inde eos ad eius sinus caput dimittunt. Verum, cum Edomitarum tum fines 20,16 usque prope Cadesam pertigerint, et Edomitae utique Deut. 2,4 montem Seir obtinuerint, illud itinerarium deduxisset Hebraeos per medios Edomitarum fines, quod esset contra Num. 20,20. Crediderim igitur, Hebraeos Cadesa recta petiisse caput Sinus Aelanitici, cui itinerario consonat Deut. 8,15 : « ductor tuus in deserto magno et terribili, ubi serpentes venenosi et scorpiones, et regio arida sine aqua ». « *Et taedere coepit populum itineris* [*ac laboris*] ». *Hebr. abbreviata est anima eorum,* impatientia abrepta est : cf. Ex. 6,9. v. 5 « *Locutusque contra Deum et Moysen ait : Cur eduxisti nos de Aegypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquae : anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo* », manna.

Textus omnes habent אלהים : potuit ea vox antiquissimo tempore, errore scribae alicuius subintrare in locum יהוה. Tamen eius h. l. adhibitae probabilis etiam ratio assignari potest. Ex Lev. 24,15 sq. sciebant Hebraei longe gravius puniri blasphemiam prolatam contra verum Deum nomine Iahve, quam alio nomine appellatum. Hi igitur murmuratores, prioribus plagis edocti, religiose abstinuere a nomine Iahve pronuntiando. Crediderim totam hanc murmurationem fuisse levius quid iis, quibus Hebraei pridem indulserant. Non scribitur numerus eorum (cf. 16,49), qui morsibus serpentum interiere. Serpentes non videntur constanter castra infestasse, secus enim non fuisset tempus serpenti aeneo cudendo; sed fortasse vespere tantum et noctu. Haec rursum fortasse ratio adhibiti aeris, quod politum lucet etiam noctu, dum luna et stellae suum lumen affundunt.

v. 6 « *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes* », i. e. quorum morsus inflammationem causaret; plurimi in Sinaitide sunt uraei et aspides, serpentes maxime venenosi. « *Ad quorum plagas et mortes plurimorum* » (Iudith 8,25), v. 7 « *venerunt ad Moysen atque dixerunt : Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum*

et te », licet fortasse haud appellato nomine Iahve; « *ora, ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo* », v. 8 « *et locutus est Dominus ad eum : Fac serpentem aeneum, et pone eum pro signo* », i. e. *super perticam;* « *qui percussus aspexerit eum, vivet* ». v. 9 « *Fecit ergo Moyses serpentem aeneum et posuit eum pro signo; quem cum percussi aspicerent, sanabantur* ».

Io. 3,14 sq. : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam ». His Christus pronuntiat serpentem aeneum esse typum sui. *Exaltantur* ambo, ille in pertica, hic in cruce; ad utrumque *fide suspiciunt* homines; per utrumque *salvantur,* et Hebraei quidem a morte temporali per serpentes infligenda, christiani a morte aeterna ab antiquo serpente infligenda. Typum ab ipso Christo expressum agnovere Patres et interpretes : *Iustin.* (Apol. I pro christian. et Dial. c. Tryph.; *M.* 6,418.702), *Theodoret., Proc., Tert.* (Liber de idololatria cap. 5; adv. Marcion. III. 18; adv. Iudaeos cap. 10; *M.* 1,667; 2, 347. 628), *Ambr.* (Apologia prophetae David cap. 3; *M.* 14,856), *Ps. Ambr.* (De 42 mansionibus f. I., mansio 34; *M.* 17,34), *Hier., Ps. Prosper Aquit.* (Liber de promiss. et praedict. Dei cap. 11; *M.* 51,780), *S. Maximus* ep. Taurin. (Homil. 49; *M.* 57,340), *Aug.* (De peccatorum meritis I. 32; *M.* 24,145), et interpretes evangelii S. Ioannis universim.

2. *Bellum sacrum indicitur Num.* 21,10-15.

Arg. — Praeteritis finibus Edomitarum Hebraei incedebant ad orientem finium Moabitarum. Vetuerat eos Iahve, ne fratres suos filios Esau et Lot armis adorirentur; at ubi perventum est ad limitem septentrionalem regionis Moab, flumen Arnon, indixit Moyses nomine Iahve Hebraeis bellum contra gentes alienigenas ibidem degentes.

v. 10 « *Profectique filii Israel castrametati sunt in Oboth* » (33,43 sq.). Sed 33,41 sq. inter montem Hor et Oboth inseruntur stationes duae, *Salmona* et *Phunon, Sam. Syr.* פינן, *LXX* Φινώ, quod idem nomen est principis cuiusdam Edomitae Gen. 36,41; 1 Par. 1,52. Censent eundem esse locum, qui Φαινώ audiebat (*Eus.-Lagarde* 123. 9; 299. 85), inter Petram et Zoaram situs, quatuor milliariis distans a Dedan (ib. 116. 26; 251. 86), abundabatque (ib. 270. 21; 109. 7) auro et aere. Credideris intelligi locum ad orientem montis Seir situm. Tamen Dedan, qui locus idem esse creditur atque Dana, *M. I. Lagrange* putat se reperisse in loco, qui nunc Fenan audit (Revue biblique VII. 112 sqq., Paris 1898). Quod si pro vero recipiatur, dicendum erit Edomitarum tum fines haud longe ad septentrionem Petrae excurrisse, Hebraeos ib. reapse terram Edom circumeuntes aliquantum occidentem versus iter deflexisse ob causam nobis ignotam. Non vero oportet negare, quod 21,4 (cf. Deut. 2,4) explicite affirma-

tur, circumiisse Hebraeos Edomitarum fines, aut affirmare eos a Sinu Aelanitico ad Mare Mortuum rediisse per depressionem illam, quae Araba audit. Non hoc dicit Deut. 2,8, sed Hebraeos *praeteriisse* sicut Edomitas ita etiam viam Arabae inde ab Aila et Aziongeber. *Oboth* erat ad septentrionem Phunonis, propius fines Moabitarum. v. 11 « *Unde egressi fixere tentoria in Ieabarim, in solitudine quae respicit Moab contra orientalem plagam* », in deserto ad orientem Moabitidis. Incedebant iam Hebraei fere via, qua nunc utuntur « carawanae » Mecca petentes Syriam.

Ieabarim, 33,44 accuratius *Iieabarim* : עיי העברים. עי est *acervus* (*Hier.*; v. *Eus.-Lagarde* 15. 25), sane lapidum, quam vocem Hier. addit Mich. 1,6; 3,12; Ier. 26,18; *Symm.* βουνοῖς i. e. *collibus*. העברים *Syr.* et *Scholiastes* ap. Field vertere *Hebraeos* : hoc sane nomen non Hebraei loco imposuere, sed alii post eos. עברים est etiam nomen montium, qui ad occidentem Moabitidis ad Mare Mortuum protenduntur, e quorum numero erant cacumina Nebo et Phasga (33,47; Deut. 32,49). Putat *Kn.* idem nomen habuisse montes seu colles ad orientem Moabitidis, ita ut עברים designaverit duo *latera* (Ex. 32,15) eius regionis. Coniectura haec est audacior. Cur non vertamus *acervum transeuntium*, transeuntium inquam sive viam, sive montes, sive ipsum acervum, in quem more orientalium quorumdam transeuntium quisque lapidem coniecerit? Cf. Gen. 31,46 sqq.; Ios. 7,26. *Syr.* עיי mutavit in עין, *fontem*. *Chald.* vertit *vadum* vel *fauces*, utrumque enim sonat vox מגיזת. *LXX* 33,44 recte Γαΐ; sed h. l. Ἀχαλγαί vel Ἀχελσεείν vel Ἀχιλείμ χαιείμ (*Lagarde* : Librorum V. T. canonicorum Pars I, Gottingae 1883) : obscura est eius apud LXX praefixi origo.

v. 12 « *Et inde moventes venerunt ad torrentem Zared* », qui supponitur esse idem atque Wady Kerak, quem traiecerint Hebraei haud procul a Katrane, quae est in via « carawanarum ». Tamen res est incerta. Hebraeis eum torrentem traiicientibus (cf. dicenda ad Deut. 2,13 sq.) incepit 40us annus, e medio sublatis praeter Moysen omnibus, qui tempore turbarum Num. 14 adulta fuissent aetate. *Sam.*, uti post v. 11 inserebat Deut. 2,9, ita post v. 12 inserit 2,18 sq. v. 13 « *Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quae est in deserto, et prominet in finibus Amorrhaei* ». *Arnon* reputabat *Hier.* (ib. 86. 4) esse rupem, *Euseb.* (ib. 257. 33) provinciam; sed indubie est nomen torrentis (Deut. 2,24; Ios. 12,1 etc.); an vero eiusdem nominis provincia aut rupes fuerit, ignoramus. Creditur esse Wady Modjeb. Ergo verte : *Arnon, qui est in deserto* illo, de quo v. 11, *qui egreditur de finibus Amorrhaeorum*. « *Siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhaeos* ». Cf. Iud. 11,18. Ergo Arnon, antequam *egrediatur*, totus est in finibus Amorrhaeorum; postea regionem dividit ita, ut plaga septentrionalis Amorrhaeorum sit, australis Moabitarum. Duas torrentis partes distinguunt sc. v. 14 sq. : Ar-

nonem superiorem finibus Amorrhaeorum conclusum, qui constat pluribus rivis in unum confluentibus, qui v. 14 sq. vocantur *rivi* seu *valles* Arnon, הנחלים ארנון, ubi altera vox per modum appositionis adscribitur priori in statu absoluto permanenti; et Arnonem inferiorem e confluentibus illis rivis coactum magnoque impetu decurrentem versus Mare Mortuum per fauces, quae prope Dhiban 650 m. sunt altae (*K. Bädeker :* Palästina u. Syrien, Leipzig 1897, p. 176). Arnon inferior v. 15 vocatur אשד הנחלים, *effusio rivorum* (*Chald.*) seu *declivum rivorum* (cf. Ios. 10,40; 12,8; Deut. 3,17; 4,49). His praemissis facilius intelliges v. 14 sq., quorum versuum sensum versiones non sunt assecutae, imprimis quod in textu subodorarentur sublimem quamdam poesin, dum is totus quantus sit prosaicus, licet, quo certius memoriae rudium militum inhaereat, stichis quibusdam ac veluti parallelismo decurrat. Sed textus ipse est oppido prosaicus, est *scheda militaris*, *gall.* un ordre du jour, *germ.* ein Armeebefehl. Ante omnia textum eiusque genuinam versionem describimus :

מלחמת יהוה	Bella Iahve (sunto)
את והב בסופה	contra Weheb in Supha,
ואה הנחלים ארנון	et contra valles Arnon *superioris,*
ואשד הנחלים	et (contra) effusionem vallium, *i. e. Arnon inferiorem,*
אשר נטה לשבת ער	quatenus extenditur versus habitaculum Ar,
ונשען לגבול מואב	et innititur finibus Moab.

Scheda haec militibus Hebraeis indicit, quid facto opus sit in hac parte itineris. Hostes habeant *Weheb,* ignotam tribum ignoti pagi *Supha,* item accolas Arnon superioris universos, et accolas ripae septentrionalis Arnon inferioris; hi erant Amorrhaei, illi fortasse item; sed ab omni damno Moabitis inferendo (cf. Deut. 2,9) abstineant. v. 14 « *Unde dicitur in libro bellorum Domini* » : — duas extremas voces *LXX Chald.* ad sequentia trahunt. ספר non est solum *liber* seu volumen, sed cuiusvis generis ac molis scriptum (Is. 29,11 sq.), epistola (3 Reg. 21,8), tabula factae emptionis (Ier. 32,12 sqq.), liber repudii (Deut. 24,1) : ergo in nostro contextu scheda militaris. Inter fabulas autem relegandus liber ille bellorum Domini, de quo ingeniose disputavere viri docti — « *Sicut fecit in Mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon* ». ים סוף *Mare Rubrum* designat, nunquam סופה. Recte *LXX* interpretati sunt nomen proprium Ζωόβ, quae vox סופה exprimit, non vero est corruptio vocis והב in זהב (*Kn.*) : *LXX* quippe cum *Syr.* pro והב legebant להב, *flamma,* ἐφλόγισε. v. 15 « *Sco-*

puli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar, et recumberent in finibus Moabitarum ». Quomodo voci אשד *Syr.* tribuerit sensum *stabiliendi*, *LXX* κατέστησε, haud video. ער מואב (v. 28; Is. 15,1), Num. 22,36 עיר מואב est caput Moabitidis, alia a Rabbath Moab vel Areopoli urbs.

Librum bellorum Domini declarat *Dillm.* fuisse librum non amorrhaeum aut praemosaicum, quod aliqui interpretes protestantes sensere, sed postmosaicum; e quo fortasse etiam v. 17 sqq. et Ex. 15,1-19 fuerint excerpta; qui tradiderit Israelitarum sub Moyse et post Moysen contra gentiles gesta, et etiam cantica quaedam popularia, sitque congestus certe post Moysen, probabilius diu ante Davidem. Verum totus hic liber putatitius reducitur tandem ad unam schedam indubie mosaicam : cui enim recentiorum in mentem venerit talem schedam confingere? Secundum Dillm. v. 4 sq. est fragmentum cantici incipiens accusativo את, ante quem supplendum sit verbum « ceperunt » vel « peragrati sunt ». Occasionem inserendi fragmenti censet fuisse verba v. 13b : sc., qui inserebat, respiciens posteriores Hebraeorum cum Moabitis contentiones, volebat illud v. 13 de Moabitarum finibus confirmare prolato illo fragmento Libri bellorum Domini.

Secundum nostram interpretationem v. 14 sq. intime connectitur non cum v. 13b solum, sed cum toto v. 13 totaque praecedente narratione, ostenditque rationem tum itineris mutatam esse pro mutatis circumstantiis. In deserto Sinaitidis processerant Hebraei tamquam per regionem si non amicam, at inimicis fere vacuam. Circumspectius sine dubio incessere, dum Edomitarum fines circumirent, qui armati prope abessent. Moabitae item Iud. 11,17 transitum negavere, sed ab Amorrhaeis undique pressi armatam manum contra Hebraeos non videntur coegisse, hi ad orientem Moabitidis praeteriere. At versa est rerum facies, ubi Amorrhaeorum finibus, qui non essent « fratres », appropinquavere Hebraei. Incedebant iam Hebraei tamquam per terram hostilem iusto agmine; Moyses tum edidit schedam militarem v. 14 sq., demonstrans qui ut hostes, quive ut fratres Hebraeorum essent habendi. Est illa scheda veluti clangor tubae bellicae, Moysen exhibet non prophetae sed imperatoris partes agentem. Tamen initium itineris laetum consecravit festum :

3. *Canticum putei Num.* 21,16-20.

Arg. — In ipso deserti extremo limine concessit Deus Hebraeis, ut fodientes aquam reperirent abundantem. Quem eventum festivo cantico celebrarunt. Inde recta prorupere ad fauces montium Abarim prope Iordanem.

v. 16 « *Ex eo loco* [*apparuit*] *puteus, super quo locutus est Do-*

minus ad Moysen : Congrega populum, et dabo ei aquam ». Verte : *Inde profecti sunt Beeram : hic est puteus, super quo etc.* Cui loco utique nomen imposuere Hebraei a puteo; verique simile est, prope eum puteum, loco hoc eventu consecrato postmodum Rubenitas aliquos fixisse sedes. Ex modo, quo eventus narratur, effici videtur rem actam esse sine insigni miraculo. Utique Deus locum indicavit. Sed in multis deserti locis, si quis parumper *fodiat,* reperit aquam (cf. Gen. 26,15 sqq.). Tamen in hac prima intra fines terrae promissae statione res acta est cum solemnitate quadam, quam frustra circumspicias Ex. 15,25; 17,1 sqq.; Num. 11,32; 20,11, quibus tamen locis insignia Deus patraverat miracula. Foditur quippe puteus virgis principum, ergo sane a principibus ipsis : an forte virgis illis 17,2, quae nomina tribuum inscripta habebant? Eventus celebrabatur cantico, quod certe adiunctam habuit solemnitatem. En, maior iam redditur Iahve *fides* pro beneficio specie minori, quam antea pro magnis portentis. Cf. *Cai.* v. 17 « *Tunc cecinit Israel carmen istud* » :

Ascende, putee; cantate alternatim ei.
Puteus, quem foderunt principes,
quem forarunt inclyti de populo
sceptris, virgis suis.

« *Ascendat puteus. Concinebant* » *ei.* ענו est imperativus. Verbum etiam Ex. 15,21 usurpatur de choris alternantibus. *Sam.* עלה, ergo *ascendit.* v. 18 « *Puteus, quem foderunt principes, et paraverunt duces multitudinis in datore legis* » (!) « *et in baculis suis* ». « *De solitudine Matthana* ». Has voces *Hebr. Sam.* interpunctione trahunt ad praecedentia (cf. *Chald.*), vertique possunt *ex deserto donum.* Erunt eae igitur ultimus versus Cantici Putei, qui describatur uti donum a deserto Israelitis oblatum. Ita belle descripserit puteum illum nostri saeculi poeta, verum poeta hebraeus non poterat alteri puteum dono acceptum attribuere nisi ipsi *Iahve.* Praeterea, si hanc explicationem sequaris, fateare oportet nomen *Matthana* v. 19 ortum esse erronea repetitione vocis מתנה v. 18, stationem Matthana esse fictitiam : cuius tamen asserti sufficientem rationem haud suppeditat interpunctio illa serius adscripta. Cf. *K. Budde :* Preussische Jahrbücher, Berlin 1895, p. 492 sqq.

Cur autem scribitur *de deserto,* et non potius *de Beera?* Quia Beera, locus antea inaquosus, ultima fuit in deserto v. 11, et generatim in toto deserto inde a Mari Rubro, statio : hoc autem erat omnino posteris indicandum, nunc tandem Hebraeos valedixisse desertis, at-

que fertilioribus pagis pedem intulisse. — Nomina v. 19 sq. prorsus dissonant a nominibus 33,45 sqq. Sed adverte, Num. 33 describi stationes, ubi castra posuerint, fortasse semper etiam sanctuarium suum erexerint Hebraei; hic describi lineam militarem (cf. v. 14 sq.) recta trans fines Amorrhaeorum Iordanem versus. Non dicuntur Hebraei « castra posuisse » (cf. v. 10 sqq.) in singulis locis v. 19 sq. Ceterum hi loci nobis sunt ignoti, praeter Bamoth, quae fortasse eadem est atque Bamothbaal Ios. 13,17. v. 19 « *De Matthana in Nahaliel, de Nahaliel in Bamoth* », v. 20 « *de Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum* ». Verte : *De Bamoth ad vallem sylvestrem, quae est in planitie Moab,* quae hoc nomine appellatur, quod antea v. 26 Moabitarum fuerit; *caput Phasga,* ergo ad radices eius montis sita, *et despicit super Iesimon.* Nomen est hoc deserti seu planitiei, quae sita est ad septentrionem Maris Mortui, ad occidentem Iordanis et etiam ad orientem, si vere civitas Beth ha-Iesimoth 33,49 nomen ab hoc deserto nacta sit. Ergo illa vallis videtur traiectis montium faucibus patuisse in latere montis septentrionali vel occidentali, elevata super desertum Iesimon.

Montes Abarim (cf. 33,48) censentur esse continui montes ad orientem Maris Mortui. Quorum extremus septentrionem versus est *Mons Nebo.* Cf. 33,47 : « Venerunt ad Montes Abarim contra Nebo »; et Deut. 32,49 : « ascende in montem hunc Abarim, montem Nebo ». Hodie Djebel Neba. Sed hic mons aut plura cacumina habebat aut plures complectebatur montes, quorum unus erat *Phasga* (semper articulum habens), late prospiciens in terram promissam. Deut. 34,1 : « Ascendit Moyses in montem Nebo, caput Phasga, quod est e regione Iericho ». Cuius *declivia* ad planitiem usque demittebantur : declivia Phasga Deut. 3,17; 4,49; Ios. 12,3; 13,20. — *LXX* pro גיא Ἰαννή vel Ἰαννά : sed lectio genuina videtur esse νάπη, *vallis sylvestris.* — *Sam.* versui 20 adscribit Deut. 2,24 sq.

Dillm. censet canticum v. 17 sq. esse completum, cantatum esse primum post effossum puteum, inde quoties aquae haurirentur; eo carmine rogari puteum, ut aquas proferat de profundo, laudari ob nobilitatem, quod sit a principibus effossus. Sapientius *Cai.* v. 17 sq. ait esse « carmen laetitiae et gratiarum actionis cantatum a populo », et *Philo* (Vita Moysis I. 46, M. 121) suggerit « cantatum esse hoc canticum novum, ductis circa puteum choreis ». Quibus si assentiamur, concedamus item oportet canticum *non esse completum.* Ille versus cum dimidio non sunt integrum canticum. Desideratur praecise illud, quod in re putei omnino primarium erat et in cantico non potuit non celebrari, puteum illum esse donum Iahve. Recensetur solus primus versus cantici oppido noti eius aevi hominibus. At, cur non totum describitur? Fortasse, quod non fuerit tanti momenti res, quanti Ex. 15; quod hic eventus non fuerit annua solemnitate celebrandus, uti ille; potissimum ob eam rationem, quod inde a v. 13 tota narratio veluti currat atque in praeceps ruat. Editur scheda militaris, res putei tribus versibus absolvitur, festinatur de Beera in Matthana, de Matthana in Nahaliel, de Nahaliel in Bamoth, de Bamoth in vallem sylvestrem, dum ex adverso Sehon raptim exercitum colligit et Og de extremis finibus Basan

accurrit. Fortasse cantici scriptio primum ad pacatiora tempora remittebatur, postea omittebatur.

III. AMORRHAEORUM STRAGES NUM. 21,21-35.

Arg. — Moyses Amorrhaeorum fines ingressus per legatos a Sehone rege Hesebon petit, ut Hebraeis ad cisiordanicam transitum concedat. Quem renuentem vincit eiusque fines ab Arnone ad Iebocum occupat. Facti memoriale recitatur carmen in Amorrhaeorum opprobrium tum concinnatum. Ammonitarum fines Hebraei non transgrediuntur. Og rex Basan Amorrhaeus Hebraeis se obiiciens funditur, eiusque regio subigitur.

De *Amorrhaeis* dicebamus ad Gen. 10,16 (C G p. 326). Eorum duo erant ad orientem Iordanis regna. Regnum *Sehon*, cuius caput erat Hesebon, pertingebat ab Arnon usque ad Ieboc, et a deserto orientali ad Iordanem (Ios. 12,2 sq. etc.). Regnum *Og* regis *Basan*, cuius capita erant Astaroth et Edrai, a Ieboc pertingebat ad montem Hermon (ib.); Damascum versus ei obiiciebantur regna Syra Gessuri et Machati. *Ammonitae*, qui prius etiam ipsi ad Iordanem pertigerant (Iud. 11,13), reiecti fuerant ad superiorem Ieboc, ubi urbem munitissimam Iazer (h. l. v. 24. 32) obtinebant, dum eius urbis viculi in manibus essent Amorrhaeorum; simul regno Sehon a Moabitis dividebantur. *Moabitae* pridem etiam ad septentrionem Arnonis imperaverant, saltem usque ad ostium Iordanis, cum ille tractus 22,1 vocetur « campestria Moab », sed a Sehon reiecti fuerant ad australem Arnonis plagam 21,26. Pactus fuerat Deus, ne Hebraei potirentur finibus Moabitarum et Ammonitarum, quos tum hae gentes obtinerent (Deut. 2,9. 19. 24), concesserat vero fines Amorrhaeorum : Moabitae et Ammonitae flagrabant desiderio antiquorum suorum finium recuperandorum : hinc futurorum cum Hebraeis dissidiorum semina, cf. Iud. 11. E Num. 21,26 sqq. effici videtur, Sehonem primum obtinuisse Hesebonem, inde subiecisse regionem usque ad Arnon : sitne Sehon primus potitus Hesebone, an alius Amorrhaeorum rex brevi ante ipsum, an ea urbs dudum fuerit Amorrhaeorum nescimus. Quoad Amorrhaeos in Basan recordare (C G l. c.), Amorrhaeos iam pridem in partibus septentrionalibus praevaluisse, ipsam aliquando Cadesam ad Orontem Amorrhaeorum fuisse.

v. 21 « *Misit autem Israel* » — Deut. 2,26 Moyses — « *nuntios ad Sehon regem Amorrhaeorum dicens* » : — Deut. 2,26 « de deserto Cademoth ». Urbs Cademoth Ios. 13,18; 21,37 (ap. Hebr.); 1 Par. 6,79 (64) postmodum fuit in finibus Ruben, ergo certe cis Arnonem; e Deut. 2,24. 26 crediderim fuisse in ipsis Amorrhaeorum finibus. Moyses, extra fines Edomitarum et Moabitarum constitutus nuntios miserat ad harum gentium reges, quia ipsis invitis nolebat eorum fines ingredi. Amorrhaeorum fines primum ingressus est, postea nuntios misit, quos invitos armis erat adorturus; fortasse ipsos nuntios proxime est secutus, ne Sehoni tempus daret rei militaris parandae et sociorum arcessendorum — v. 22 « *Obsecro, ut transire mihi li-*

ceat per terram tuam. Non declinabimus in agros et vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos ». Quonam cupit Moyses *transire?* Utique ad terram promissam. Patriarcharum semini quandoque (Gen. 15,18; Ex. 23,31; Deut. 1,7; 11,24; Ios. 1,4) promittebatur terra ad Euphraten usque : non hunc immensum tractum in votis tum habebat Moyses. Promissiones imprimis spectabant terram Chanaan, terram in qua peregrinati fuerant patriarchae, i. e. terram cisiordanicam ad occidentem Iordanis sitam. Ubi terrae promissae incolis accensebantur Amorrhaei, eorum nomen ita permiscebatur Iebusaeis, Hethaeis aliisque cisiordanicis, ut Amorrhaei imprimis cisiordanici designari intelligerentur. Nusquam explicite et distincte promittebatur tractus ab Arnon Syriam versus. Moyses ipse de terra promissa loquens in mente habebat regionem cis flumen (Ex. 3,8. 17; 6,4; 13,5. 11), hanc Num. 13 ingredi meditabatur. Dixerat ei quidem nunc primum Deus Deut. 2, 24 sq., se terram etiam inde ab Arnone Hebraeis concedere; tamen Num. 27,12 iubet Moysen iam Arnonem transgressum, in vertice Phasga constitutum, « contemplare terram, quam daturus sum filiis Israel ». Ista erat terra κατ' ἐξοχήν promissa, hanc unam Moyses in votis habebat. Ex quo illi Deus indixerat poenam, eum non esse ingressurum terram illam, exarsit in sene ardentissimum eius terrae ingrediendae desiderium. Deut. 3,23 sqq., ut illa poena revocetur, incassum supplicatur. Nuncipsum summo conatu ad illam *transire* nititur. Non incedit v. 18-20 via, quae Hesebonem ducit, sed ea urbe praetermissa ad fauces montium Abarim Iordanem versus properat.

v. 23 « *Qui concedere noluit, ut transiret Israel per fines suos; quin potius* », *toto* « *exercitu congregato, egressus est obviam in desertum et venit in Iasa pugnavitque contra eum* ». Huic versui *Sam.* inserit Deut. 2,31; etiam textum v. 22 conformat Deut. 2,27-29. *Iasa,* יהצה vel יהץ recensetur Deut. 2,32; Ios. 13,18; Iud. 11,20; Is. 15,4; Ier. 48,21. 34; 1 Par. 6,78 (63); de situ nihil scitur, nisi quod fuerit in tribu Ruben. Nomen item habetur in Inscriptione Mesa regis Moab lin. 19 sq. Sat dubitanter *Eus.-Lagarde* 264. 96 loquitur : δείκνυται νῦν μεταξὺ Μηδαβῶν καὶ Δηβοῦς, inter Medabam et Dibon. Videndum ergo de illo *deserto.* Quod h. l. scribatur « desertum », et Deut. 2,26 « desertum Cademoth », sane non est argumento h. l. agi de deserto Cademoth. Servetur historica successio eorum, quae narrantur : v. 20 linquebamus Hebraeos in valle, quae respiciebat desertum inter montes Abarim et Iordanem interiectum; illuc pervenerant citatis itineribus, quibus Sehonem anteverterent; iam e montium faucibus in apertum desertum emergebant eorum agmina,

cum ecce adest cum exercitu Sehon. v. 24 « *A quo percussus est in ore gladii, et possessa est terra eius ab Arnon usque Ieboc et filios Ammon* »; haec cum deserto et Iordane totos fines describunt. At ubi erant fines Ammonitarum? « *quia forti* [*praesidio*] *tenebantur termini Ammonitarum* »; verius corrige cum *LXX : quia Iazer* (יעזר pro עז) *erat terminus Ammonitarum.* Auctor, ubi semel descripsit *filios Ammon*, putavit locum etiam sibi indicandum esse, ad quem fines Ammonitarum pertingerent. *Bonfr.*, secutus lectionem *Hebr. Vulg.*, putat ultimo inciso reddi rationem, cur Hebraei Ammonitas non subegerint, fuisse sc. eorum praesidia fortissima : erat tamen ratio longe validior, Deum id prohibuisse. *Kn.* putat reddi rationem, cur Sehon non subegerit Ammonitas, sc. fortiora fuisse eorum praesidia : at nemo huius rei rationem quaerit post narratam Sehonis cladem. — *Iazer,* tribui Gad attributa (Ios. 13,25), in Galaaditide sita (1 Par. 26,31; cf. 2 Reg. 24,6), secundum *Eus.* (Lagarde 264. 98 et 265. 1) 10 milliariis ad occidentem Philadelphiae (Rabbath Ammon) et 15 milliariis ab Hesebone, secundum *Hier.* (ib. 86. 21) 8 circiter milliariis a Philadelphia, nomen Iazer servabat etiam tempore Hier. Putant eo fuisse loco, ubi nunc aut Sar aut Chirbet. Fuit Iazer Is. 16, 8 sq.; Ier. 48,32 penes Moabitas, 1 Mach. 5,8 rursum penes Ammonitas. v. 25 « *Tulit ergo Israel omnes civitates eius* ». Reliqui *istas :* unde censet *Dillm.* excidisse vel omissa esse v. 24 plura nomina civitatum subactarum. Potuit tamen etiam vox scribi, non mendose quidem sed negligentius, ut referatur ad sequens *in omnibus urbibus Amorrhaei.* « *Et habitavit in urbibus Amorrhaei, in Hesebon* [*sc.*] *et viculis eius* »; *et filiabus eius* : « vocantur filiae tamquam dependentes » (*Cai.*). Cum his absolvatur narratio belli contra Sehon suscepti, proleptice per modum conclusionis referuntur Hebraei perpetuas in ea regione sedes fixisse, quod non ante illam Rubenitis etc. assignatam effectum est (*Lap.*). Dein adscribitur v. 26-30, post quem v. 31 eadem sententia repetitur.

v. 26 *Quoniam* « *urbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhaei* ». Deut. 2, 24 vocatur « rex Hesebon Amorrhaeus », hic v. 21 dicebatur solum « rex Amorrhaeus », sed v. 25 habetur mentio urbis Hesebon. Iam praefixa voce *quoniam* edocetur lector, quo iure Sehon imperaverit Hesebonι, quo iure reliquae usque ad Arnonem regioni. Hesebon erat urbs *eius,* quam propriam obtinebat, uti patet etiam regni caput. An inde sequatur, Sehon illam possedisse iure suo, a maioribus acceptam, an priore aliquo bello nactum esse a Moabitis aliisve, non video. « *Qui pugnavit contra regem Moab et tulit omnem terram, quae ditionis illius fuerat, usque Arnon* ». Reliquum igitur eripuit

regi Moab הראשון: quod potest verti *priori*, ut eripuerit regi antecessori regis Balac (22,10), aut generatim regi priori. *LXX Chald.* vertunt *prius*, ergo ante Moysis adventum. v. 27 « *Idcirco dicitur in proverbio* » :

Dicunt, carmine circumferunt οἱ αἰνιγματισταί, « parabolatores » (*Cai.*). משלים sunt ii, qui recitant משל, sive a se ipsis sive ab alio compositum. משל autem genus est aliquod carminis concinne expressum, sive didacticum (Ps. 48,5; 77,2; Iob. 27,1), sive satiricum (Is. 14,4; Mich. 2,4; Hab. 2,6; h. l.), sive propheticum (Num. 23,7. 18; 24,3 sqq.). Cf. *Dillm.* Nostrum carmen *totum* non est poetae amorrhaei, habet enim acerbam contra Amorrhaeos ironiam; neque hebraei (*Dillm.*), nullam enim earum idearum exprimit, quas ex ore poetae hebraei merito opperias; sed probabilius moabitae. Totum quippe carmen est in Moabitarum adversis et prosperis vicibus celebrandis; nemo nisi vates moabita exhibiturus erat captivas Amorrhaeas famulantes in domibus *Moabitarum*. Quomodo Moabitae tum affecti fuerint in Moysen, dicemus p. 254. Sed quaeri potest, sitne *totum* carmen unius auctoris. Ubi defendi posse videtur, v. 27-29 fuisse carmen triumphale poetae cuiusdam Amorrhaei, Sehonis de Moabitis victoriam celebrantis. Quando autem Sehon tam misere victus est, aliquis moabita, non ignobilis poeta hoc carmen triumphale amorrhaeum addito v. 30 transformavit in acerbissimam contra Amorrhaeos ironiam. Ita, salvo meliori iudicio, rem concipi posse arbitror. — Adscribo primum carminis versionem :

Ite in Hesebon
ad aedificandam et muniendam urbem Sehon.

Quoniam ignis egressus est de Hesebon,
et flamma de urbe Sehon,
et devoravit Ar Moab
et habitatores excelsorum Arnon.

Vae tibi Moab,
periisti, popule Chamos.
Posuit filios tuos extorres,
et filias tuas captivas.

Quoad regem Amorrhaeum Sehon :
Sed novale eorum periit,
et mulieres eorum usque ad sufflandum
ignem in urbibus (?) Moab (?).

« *Venite in Hesebon, aedificetur et construatur* », seu instruatur, « *civitas Sehon* ». Bene alterum incisum *LXX* construunt ut sententiam finalem. Censet *Dillm.* verba supponere Hesebonem iam esse destructam, sc. ab Hebraeis. Nequaquam ita habet : verba per se aeque possunt intelligi aut de urbe primum aedificanda, aut de urbe aedificata amplificanda, aut de urbe destructa reaedificanda. Si supponantur pronuntiata esse a Moabitis, erunt intelligenda ironice de civitate reaedificanda; si ab Amorrhaeis (*Bonfr.*), erunt intelli-

genda de civitate amplificanda post Sehonis de Moabitis reportatam victoriam. v. 28 « *Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon* ». Hanc paraphrasin *Chald.* tradit : « Quia ventus urens fortis ut ignis egressus est de Hesebon, et proeliatores in flamma de civitate Sehon ». Apte furor bellicus incendio comparatur. « *Et devoravit Ar Moabitarum et habitatores excelsorum Arnon* ». Pro ער falso *LXX Sam. Syr.* et aliqui codices hebraei עד. Ar Moab, quae sita erat in australi plaga Arnonis, non incidit in manus Amorrhaeorum, experta est tamen et ipsa incendium bellicum, quatenus eius pugnatores occisi sunt etc. Ceterum, si advertas quam variae et incertae in hoc carmine sint lectiones vocum ער, עד, על, fatebere probabilitate non carere levem emendationem ab *E. Meyer* (ap. Dillm.) propositam : ערי pro ער, *devoravit urbes Moab.* Copulam ante ultimum incisum exprimunt *LXX Vulg. Syr.* Porro *dominos excelsorum Arnon* non crediderim esse sacerdotes fanorum (*Chald.*), sed habitatores montium, qui opponuntur urbium incolis, quae in planitie sitae sunt. Nullus locus ab illo incendio fuit tutus, neque planities neque montes. Sed *LXX* pro בעלי legebant בלעה, κατέπιε : *deglutivit excelsa Arnon.* Quae lectio utique praebet sensum longe commodiorem et parallelismum reddit evidentiorem : opponuntur sibi urbes et excelsa, planities et montes, illa devoratur, hi deglutiuntur.

v. 29 « *Vae tibi Moab, periisti popule Chamos* », quod numen est Moabitarum principale (cf. C I p. 217). « *Dedit* » — Sehon, vel potius aliquis, ergo *dati sunt* (*LXX*) — « *filios eius in fugam* », extorres trans Arnonem, « *et filias in captivitatem regi Amorrhaeorum Sehon* ». Sed incisum *regi Amorrhaeo Sehon* v. 29 abundat, symmetriam et parallelismum confundit; v. 30 vero nonnisi tres stichos habet : ergo illud incisum trahas ad v. 30. Verumtamen, inquit vates moabita assumens et continuans carmen poetae Amorrhaei, verumtamen post illud Vae, quod nobis Moabitis occinuistis, superest mihi verbum ad vos Amorrhaeos, quoad Sehon regem vestrum : Concidit potentia eius. Sunt haec poetae ferventis et eloquentis. v. 30 « *Iugum ipsorum disperiit ab Hesebon usque Dibon* », civitatem haud procul Arnone sitam, ut verba idem sonent atque : ab Hesebon usque Arnon. In Dibon, nunc Diban, reperta est celeberrima inscriptio Mesae regis Moab. ניר non est *iugum* (*Vulg.*, על?); neque est *semen* (*LXX*) aut *regnum* (*Chald.*), licet *lucerna* 3 Reg. 11,36; 15,4; 4 Reg. 8,19; 2 Par. 21,7 Davidi promissa utique sit etiam *semen* et *regnum.* Neque significatio *lucerna* h. l. quadrat : quomodo enim Amorrhaei nunc lucernae quiete lucenti comparentur, qui modo saevo incendio comparabantur? Sed vox item significat *novale*, agrum recens aratro

apertum : Prov. 13,23; Ier. 4,3; Os. 10,12. Pulchre novali comparatur regnum Sehon, quod brevi, postquam fundatum fuerat, interiit, et quidem totum, ab Hesebon usque Dibon. « *Lassi pervenerunt in Nophe et usque Medaba* ». נשים sunt *mulieres* (*LXX*). Prius עד *LXX* mendose legere עיד, ἔτι. נפח *Vulg. Chald. Syr.* interpretati sunt urbem quamdam moabiticam, de cetero plane ignotam, Nophe. Sapientius *LXX Sam.* (הנפח) intelligunt formam verbi נפח, *sufflare,* halitu excitare *ignem,* pro אשר etiam legentes אש. Ergo : *mulieres eorum* deperiere, defecere *usque ad sufflandum ignem;* ancillae factae sunt, humillimis funguntur officiis domesticis. Ubi advertas pulchram antithesin : v. 28 Amorrhaei effecti *ignis* totam regionem devorans, v. 30 eorum mulieres sufflantes *ignem* in domibus incolarum regionis. — Supersunt explicanda haec pauca : ר עד מידבא. Ubi pro עד legunt על *Sam. LXX Syr.* et codices hebraei quidam, et pro מידבא *LXX* מואב. Textus utique erant corrupti. Iam si advertas, quam similia invicem fuerint in antiqua scriptura ר et ב, itemque ר et ל, poteris unam alteramve sequentium pro (מ) י ר עד emendationum acceptare : בעלי *habitatores,* בערי *in urbibus.* Pro (י) מ דבא autem omnino cum *LXX* legendum censeo מואב. Ubi semel in textu misere defigurato ר עד sensu carebat, ideoque נפח pro nomine proprio accipiebatur, putavit aliquis etiam in ultima versus voce latere debere *novum* aliquod urbis nomen : quare, unico ו mutato in ד, e מואב fecit מדבא. Igitur, pro עד נפח אשר עד מידבא lege עד נפח אש בעלי מואב, vel melius etiam עד נפח אש בערי מואב, *usque ad sufflandum ignem in urbibus Moab.* — Recentiorum ingeniosas huius carminis explicationes vide ap. Dillm. — v. 31 « *Habitavit itaque Israel in terra Amorrhaei* ».

v. 32 « *Misitque Moyses, qui explorarent Iazer* », de qua cf. quae dicebamus ad v. 24. Ergo non totus eo profectus est exercitus, neque totus exercitus contra Og dimicavit. Explorationis Iazer ideo meminit auctor, quia ea occasio fuit belli contra Og. Exploraverunt autem Iazer, ut perspicerent, quid eius regionis esset Amorrhaeorum, quid Ammonitarum : igitur omissa civitate ipsa (cf. v. 24 et Deut. 2,37) occupavere viculos, quos iam Amorrhaei eripuerant Ammonitis : « *cuius ceperunt viculos, et possederunt habitatores* », *Hebr. Amorrhaeos, qui erant ibi.* Non videntur illos exstirpasse. v. 33 « *Verteruntque se* » a Iazer septentrionem versus, ut occuparent regionem usque ad Ieboc, quae fuerat Sehon, « *et ascenderunt per viam Basan* », quae ipsa tendebat ad Ieboc. Non miserunt nuntios ad Og, quia non volebant per eius fines *transire.* Non liquet, eos ea mente esse progressos, ut regnum Basan subigerent : progressi sunt ad Ieboc

tamquam ad terminos suos, illis occurrit Og cum exercitu, sicut 20, 20 occurrerat rex Edom, ad proprios fines tuendos, fortasse etiam ad ulciscendam cladem « fratrum » suorum Hesebonitarum. « *Et occurrit eis Og, rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai* ». Plura vide Deut. 3,1 sqq. Non dicitur occurrisse in Edrai, sed in Edrai tandem fuit prœlium totius belli ultimum. *Edrai* (Deut. 1,4; 3, 1. 10; Ios. 12,4) postea tribui Manasse attributa (Ios. 13,12. 31). Secundum *Eus.-Lagarde.* 213. 36 'Αδραά 6 milliariis distabat ab Astaroth, 25 a Bostra. Creditur esse Der'at ad flumen Wady Zedi, qui e regione Bostrae fluit versus Lacum Tiberiadis iungiturque Iordani. Dei mandato inducti sunt Hebraei, ut cum Og proelium committerent v. 34 : « *Dixitque Dominus ad Moysen : Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum et omnem populum ac terram eius; faciesque illi, sicut fecisti Sehon regi Amorrhaeorum, habitatori Hesebon* ». v. 35 « *Percusserunt igitur et hunc cum filiis suis universumque populum eius usque ad internecionem, et possederunt terram illius* ».

Famosissimae apud Hebraeos semper exstitere hae duae primae victoriae de hostibus valentibus intra fines terrae sanctae relatae. Celebrantur Deut. 29,7; 31,4; Ios. 2,10; 9,10; 12,2. 5; 13,10. 21. 27; Iud. 11,19; 3 Reg. 4,19; 2 Esdr. 9,22; Ps. 134 (135),11; 135 (136),19.

B. Acta Balaam Num. 22-24.

Moabitae, quo tempore Hebraei e deserto adfuere, videntur bello Amorrhaeorum fuisse omnino fracti, Hebraeos armis aggredi non audent, proelio Num. 31 non intersunt. Hebraeis transitum per fines petentibus negarant Iud. 11,17, commeatum Deut. 23,4 non praebuerunt, impulsi sane etiam Amorrhaeorum reverentia, quos censebant poenam exacturos esse ab iis, qui Hebraeos in eorum fines immisissent. At ubi Hebraeos conspexere suis finibus pacifice praetervectos, citatis itineribus cisiordanicam petentes, ubi suos oppressores Amorrhaeos prostratos videre, nata est in eorum animis spes antiquorum suorum usque ad Iebocum finium per Hebraeos recuperandorum. Quae spes subest etiam parabolatorum carmini 21,27-30. Hebraeos igitur amice convenere, sua tentoria (Num. 25) prope eorum castra fixere, antiquam Abrahami cum Lot amicitiam appellavere. Ubi tamen mox didicere, regionem etiam transiordanicam (Num. 21,34; Deut. 2,31) a Iahve Hebraeis esse attributam, hosque eandem minime esse manu missuros. Hebraeorum iam plures, Rubenitae sane, cum suis gregibus ad aquilonem Arnonis consederant, qui e Bamoth Baal

22,41 late conspiciebantur. Quibus rursum exasperabantur Moabitarum animi. Neque tamen vel tum arma capessere ausi sunt, sed ad Balaam recurrere, qui si Hebraeis maledicebat, melioribus animis ipsi belli fortunam experituri erant. Quorum consilium confudit Deus voluitque ut, sicut Abraham terram promissam ingressus nactus est benedictionem pontificis cuiusdam antiquiorum sacrorum, Melchisedech, ita Israel in eiusdem terrae limine benedictionem nancisceretur unius eorum, qui inter gentes supererant, praemosaicorum prophetarum.

Undenam narrationis nostrae auctor hebraeus comperta habebat acta Balaam? Cum tota ab Exodo ad Deut. narratio sit historica, e testium immediatorum memoria aut documentis coaevis profecta, acta item Balaam censenda sunt ad illum auctorem devenisse, non immediata divina revelatione, sed testimonio humano. Quinam hi testes fuere? Legationibus ad Balaam missis et sacrificiis a Balac oblatis certe nulli intererant Hebraei : res contra Hebraeos et clam Hebraeis agebatur, legati illi utique seligebantur viri Hebraeis infensi. Ergo a Moabitis (vel Ammonitis) didicit narrator haec acta Balaam. Balaami quatuor eloquia prophetica potuere accurate tradi ab aenigmatistis (21,27), quorum aliqui fortasse, similiter atque apud alias gentes, regem Moab comitabantur, eius sacrificiis interfuere. Aut « pueri » illi Balaam 22,22 non erant meri servi, sed pueri seu filii prophetarum (cf. 3 Reg. 20,35; 4 Reg. 2,3 sqq.; etc.), qui magistri prophetica effata religiose praeservaverunt. Reliquam narrationem auctor noster a Moabitis accepit, a testibus sane mediatis magis quam immediatis, narrationem legationum vix immediate ab iis, qui legationibus illis erant functi.

Redit in actis Balaam quaestio de *nominibus divinis*. Neque miraberis scribi nomen אלהים, si memineris eorum, quae CG p. 9 sqq. dicebamus, excludi nomen ss. ab actis profanorum : reapse nostra pericope pertractat acta profanorum, imo prophetae non Israelitae. In *quatuor eloquiis propheticis* Balaam omnia illa nomina divina in ore habet, quae inde a patriarchis sanctiora habebantur et efficaciora, imprimis nomen *El*. Hoc in primo eloquio 23,8 profatur et, parallele illi copulans nomen *Iahve*, profitetur Iahven eundem esse atque El, unum verum Deum. In altero eloquio rursum habetur *El* 23,19. 22. 23, qui cum v. 22 affirmetur eduxisse populum ex Aegypto, evidenter statuitur idem esse atque *Iahve*, qui v. 21 in oppositione ad simulacra scribitur *Deus Israel*. In tertio eloquio 24,4 nomini *El* (cf. *Sam.*) iungit Balaam nomen *Schaddai*, v. 6 *Iahve* celebrat Israelitarum numen, numini *El-Iahve* v. 8 eductum ex Aegypto populum attribuit. Quarto tandem eloquio 24,16. 23 nominibus *El* et *Schaddai* tertium copulat nomen *Elion* (cf. Gen. 14). Ergo nulla in illis quatuor eloquiis mutata divina nomina, merito Balaam, cum Israelita non sit, nomen *Iahve* usurpat : ostendit quippe eundem esse Iahve atque El-Schaddai-Elion.

Atqui hinc genuinum item esse demonstratur nomen *Iahve* 24, 11. 13. Sc. ironice Balac ad Balaam : Decreveram quidem, inquit, magnifice honorare te, sed *Iahve* privavit te honore disposito. Cui respondet Balaam : Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero praeterire sermonem *Iahve*. Ubi perperam sola *Vulg.* adscribit *Dei mei;* sed Balaam non Israelita vix potuit Iahve appellare Deum suum. Ob quam rationem etiam 22,18 praeplacet lectio *LXX* omittentium pronomen possessivum : *Iahve Dei mei.*

Cum igitur Balaam his agnoscat Iahven esse Deum, nulla est ratio affirmandi eum idipsum non iam ab initio agnovisse. Quaerentibus nuntiis remedium contra Hebraeos subtiliter 22,8 respondet Balaam : Respondebo quidquid mihi dixerit *Iahve*. Item v. 13 : Prohibuit me *Iahve* venire vobiscum (perperam *LXX Deus*); v. 19 : ut sciam, quid mihi rursum respondeat *Iahve*. Quare etiam probabiliorem censemus lectionem *Iahve,* in verbis Balaam 23,3 contra *Sam. LXX* et 23,26 contra *Sam. LXX Vulg.* Stomachatur tandem Balac, sibi usque repeti nomen Iahve, invisae gentis numinis; quare ipse etiam 23,17 ironice : Quid, inquit, locutus est *Iahve?* Tamen non credit in Iahven Balac, ideoque 23,27 dicit : si forte placeat *Deo*. Quae verba 24,1 excipiunt alia haec verba : Cumque vidisset Balaam, quod placeret *Iahve* etc. Non datur in hoc negotio placitum Dei, quod non sit placitum Iahve. Pro nomine naturae accipiatur vox *Deus* 22,38 : Num potest aliud loqui *homo,* quam quod *Deus* posuerit in ore eius? Eundem fere sensum 23,12 his exprimit Balaam : Num aliud possum loqui, nisi quod iusserit *Iahve* (*LXX Deus*)?

Miracula 22,28. 31[a] tribuuntur *Iahve :* aperuit Iahve os asinae, aperuit Iahve oculos Balaam (*LXX* utroque versu *Deus*). 22,22[b]. 23. 24. 25. 26. 27. 31[b]. 32. 35 habetur *angelus Iahve*, quem excepto v. 31[b] *LXX* constanter transformavere in *angelum Dei* : agitur sc. de notissimo illo angelo Iahve, qui populum antecesserat in itinere. Quem aliis item tribus locis perperam introducit *Sam.* : 23,4 *angelum Dei* pro *Deo,* 23,5. 16 *angelum Iahve* pro *Iahve*. 24,2 poterit fortasse vox *Dei* sumi pro nomine naturae, ut idem sit spiritus Dei atque spiritus divinus.

Supersunt textus pauci habentes alterutrum nomen divinum, non in effatis virorum sed in narratione factorum. Sex textus habent nomen *Deus* : 22, 8[b]. 20 : venit Deus; 22,10 respondit Balaam Deo; 22, 12 : dixit Deus; 22,22 : exarsit ira Dei (*Sam.* Iahve); 23,4 : occurrit illi Deus. Textus duo habent *Iahve* : 23,5 : Iahve posuit verbum in ore eius; 23,16 : occurrit illi Iahve. Merito mireris 23,4 scribi « occurrit illi Deus » et 23,16 « occurrit illi Iahve »; et 23,4 sq. post illud

« occurrit illi Deus » continuo pergi « et posuit Iahve verbum in ore eius » (*LXX* Deus). Ad quae noto haec. Comparatis textibus patet *LXX* mutasse nomina divina plura, *Sam.* aliqua : potuere etiam alia quaedam mutari, quorum mutatorum nullum nos maneat vestigium. Cum porro textuum, quos nunc discutimus, pars maior habeat nomen אלהים, coniiciat quis hoc nomen aliquando usuvenisse in tota hac narratione, quae esset de propheta non Israelita, iis exceptis textibus non paucis (v. s.), ubi scribendi nominis יהוה specialis erat ratio. In qua hypothesi poterit concedi, nomen יהוה serius subintrasse in textus 23,5. 16 et fortasse etiam 22,28. 31[a]. Verum probabilius fortasse suppones totam fere primitus narrationem, uti etiam narrationem praecedentem et subsequentem, habuisse nomen יהוה; postea minus commodum visum esse scribae cuidam distributionis nominum divinorum in Genesi haud ignaro, ut in narratione, quae esset de propheta non Israelita, ubique prostaret ss. nomen יהוה; ideoque illum aliquibus locis atque veluti tentando substituisse nomen אלהים, v. g. 22,8[b]. 10. 12. 20. 22; 23,4; fortasse item 22,38 et 24,2. Vides profecto, nominum divinorum in actis Balaam diversitatem nullum praebere fundamentum opinioni, diversa in unum confusa esse documenta.

I. BALAAM QUIS FUERIT.

In actis Balaam deprehenduntur plura, quae non levem movent admirationem. 21,24 dicuntur *Ammonitae* obtinuisse Iazer, cuius viculos v. 32 Hebraei eripuerint Amorrhaeis. Ceterum Ammonitas tota ignorat narratio, etiam oraculum 24,17 sqq. Et tamen Ammonitae prope aberant ab Hebraeis, munitiones obtinebant, bellis Amorrhaeorum videntur minus fracti esse quam Moabitae, his in tota sua historia sunt iunctissimi. An igitur nihil omnino egerunt in illis turbis? Id non sentiebat Ammonitarum rex aequalis Iephte, qui Iud. 11,13, quae Moyses egerat contra Moabitas, refert tamquam acta contra Ammonitas. Et cur Ammonitarum nomen exsulat a vaticinio 24,17, ubi eo praecise loco, ubi nominandi erant Ammonitae, legitur aenigma illud « filii Seth »?

Neque hic est mirabilium finis. Moabitae consiliis collatis cum Madianitis arcessunt Balaamum. Madianitae item cap. 25 cum Moabitis conspirant in Hebraeis ad luxuriam et superstitionem pelliciendis. Quare Moyses v. 17 : « Hostes vos sentiant Madianitae et percutite eos ». Quae sententia effectui mandata est in Madianitarum strage cap. 31. Hucusque plana sunt omnia. Sed Deut. 23,3 (4) sq. lex editur de hisce rebus, his verbis : « Ammonites et Moabites etiam post decimam ge-

nerationem non intrabunt ecclesiam Domini in aeternum,... quia conduxerunt contra te Balaam etc. ». Quid est hoc? Peccarunt Madianitae, plectuntur Ammonitae. Certe genuinum reorum nomen in illa lege reperitur : poterat reorum nomen in narratione benigne supprimi aut velari, sed non poterant pro Madianitis Ammonitae perpetuae poenae adiudicari. Ergo Ammonitae cum Moabitis Balaamum arcessivere, populum seduxere, Ammonitae proelio caesi sunt. Nonne mentitur narrator vocans Madianitas, qui vere erant Ammonitae? Non mentitur si, uti Edomitae Seiritis, ita Ammonitae Madianitis plurimum intermiscebantur coniugiis, quod reapse factum esse ex hac narratione infero. Tum iidem dici poterant et Madianitae et Ammonitae. Verum cur non uti Deut. 23,3 eosdem appellat Ammonitas, quo omnis a narratione exsulet ambiguitas? Una fingi potest ratio, noluisse eum lectorem edocere, quaenam fuerint Ammonitarum in hisce turbis partes : ideo eorum nomen in reliqua narratione suppressit, in lege supprimere non potuit. Cur illud noluit? Non ut Ammonitis parceret, secus aequo iure parcere debuit Moabitis, neque ita in nationes gentiles indulgentes esse consuevere auctores inspirati. Erat silentii ratio aliqua attingens Ammonitas, et non item attingens Moabitas : quaenam erat haec ratio?

Restant alia mirabiliora. Unde erat Balaam? Habitabat is 22,5 in *Pathur, quae est super flumen terrae B'ne Ammo*, quod nomen ridicule vertunt *LXX Chald. terrae filiorum populi sui :* quis tam insipide descripserit situm loci alicuius? *Chald.* insuper flumen illud interpretatur Euphraten : sed quis flumen notissimum Euphraten expresserit abstrusa illa circumlocutione? *Flumen* 22,5 *certe non est Euphrates*, et *B'ne Ammo nomen est populi cuiusdam.* Porro *Keri* cum aliquibus codicibus hebraeis pro בני עמו legit בני עמון, cui assentiuntur *Sam. Vulg. Syr.* Quam lectionem si sequaris, illud habes explicite affirmatum Balaamum intra fines Ammonitidis sedem habuisse. Fateor tamen lectionem עמון, licet tot tantisque fulciatur testibus, critice mihi videri minus tutam, aliquid sapere correctionis : quare ad explicandam lectionem עמו rursus convertor. Nomina in ון — quandoque amittunt ן retento ו. Ita מגדו (Ios. 12,21 etc.) natum est ex מגדון (Zach. 12,11), אבדו (Keri Prov. 27,20 contra Kethib אבדה) ex אבדון (Iob 31,22 etc.). Cf. nomen יתרו cum altero nomine יתרן (Gen. 36,26; 1 Par. 1,41). Cum his re idem sunt nomina illa, in quibus vocalis *o* non per ו exprimitur sed per ה : שלמה ex שלמון. Hac igitur ratione orta censent nomina propria plura desinentia in ו (vel ה) : ירחו, אחיו (2 Reg. 6,3 etc.), יחדו (1 Par. 5,14), עכו (Iud. 1,31), אונו (2 Esdr. 7,37 etc.) et alia. Cf. *I. Olshausen :* Lehrbuch der hebr. Sprache, Braunschweig 1861,

§ 215 g; *B. Stade :* Lehrbuch der hebr. Grammatik, Leipzig 1879, § 296 c, Anm. 3. Ergo secundum grammaticam hebraeam rursum עמו est idem nomen quod עמון; utramlibet 22,5 lectionem sequaris, sedes Balaamo attribuitur in Ammonitide. Plana se iam offert responsio ad eas, quas supra ponebamus, quaestiones : narrator hebraeus non vult, ut posteri Hebraeorum perspiciant, Ammonitas, gentem exosam et infensam, tempore Moysis verum habuisse Dei prophetam; quare eorum nomen supprimit, eorum acta Madianitis attribuit, Moabitarum e contra acta libere enarrat. Perspicitur iam, cur Moabitae miserint nuntios ad Balaam collatis primum consiliis cum Madianitis seu Ammonitis : sc. Balaam intra Ammonitarum fines habitans nonnisi his consentientibus finibus erat excessurus. Perspicitur, quomodo Balaam, postquam 24,25 reversus est Pathuram, mox 31,8 interfuerit praelio : cum suis sc. Ammonitis ad proelium profectus est. Qui virum faciunt Euphratensem, eum habent constanter inter Euphraten et Iordanem huc illuc itinerantem. Cf. ad 22,23.

Sed nondum plene soluta est quaestio : Unde erat Balaam? Ipse quippe 23,7 ait : *De Aram adduxit me Balac, de montibus orientis.* Haec altera expressio est perquam vaga (v. i.), potest designare montes Auranitidis, montes Arabiae, montes Mesopotamiae aliosve. Verum, potuitne locus, quem incolebat Balaam, simul esse in Aram et in Ammonitide? Ad septentrionem Ammonitidis incolebant Aramaei, quorum erant regna Damasci, Gessur, Maacha et fortasse alia nobis ignota. Tempora illa erant perturbatissima. Gentes plures ex Aegypto pedem retulerant in Asiam anteriorem, Amorrhaei rapuerant plagam Iordanis orientalem, Moabitas reiecerant austrum, Ammonitas orientem et aquilonem versus. Facile fieri potuit, ut Ammonitae vicissim aliquos Aramaeorum tractus cum suis incolis subigerent, atque ita Pathur simul esset in Aram et in Ammonitarum ditione.

Sed auget difficultatem Deut. 23,4 (5), ubi Moyses Balaamum scribit fuisse *de Pathur Aram Naharaim.* Tamen *LXX Vulg.* ignorant *Pathur, Sam.* legit פתורה pro מפהור, *Chald. de Pathur Aram, quae est super Euphraten.* Igitur textus hic incertus, textus 22,5 omnino perspicuus et certus, cum eundem ibi sensum exprimant tam Keri quam Kethib. Potuit h. l. *Aram Naharaim* corruptione textus irrepere. Iam 22,5 inserebat *Chald.* vocem *Aram.* Nata est Rabbinorum fabula (cf. *Ps. Ion.*), *Pathur Aram* esse *Padan Aram,* Balaamum esse ipsum Laban patriarchae Iacob socerum adhuc superstitem. Ea fabula ratio esse potuit, cur in textum Deut. 23,4 sive corruptione sive additione irreperent voces *Aram Naharaim.*

Praeplacet tamen textus nostros recipere pro genuinis. Verum Ae-

gyptiorum documentis demonstratur esse erronea opinio *LXX Masor.*, quae alteram nominis partem dualem interpretata (*Naharaim*) nomen restringit ad Mesopotamiam, regionem Euphraten et Tigrin inter. Cf. *W. M. Müller :* Asien u. Europa, Leipzig 1893, p. 249 sqq.; *J. Halévy :* Revue Sémitique II. 193 sqq., Paris 1894. *Naharim* vel *Naharin* est pluralis, nomen geographicum potius quam politicum, denotans regionem flumina (non *duo* flumina) habentem, *irriguam*, in oppositione sc. ad deserta cis et trans Euphraten, complectitur totam Syriam ad Orontem et Amanum usque. Igitur *Aram Naharim* denotat Aramaeorum sedes irriguas fertiles, in oppositione ad deserta; non est cur ab hoc nomine regionem circa Damascum et Auranitiden excludamus. Idem praeterea nomen variis temporibus et in ore hominum, qui ad varias spectarent gentes, modo latius modo arctius sine dubio accipiebatur; nulla est ratio negandi Ammonitas Auranitiden etiam, quae tot fluenta in Iordanem et Lacum Genesareth emittat, Naharinae accensuisse.

Nulla igitur textuum est discordia. Fatendum est nihilominus, loci descriptionem esse nonnihil vagam et ambiguam. Cur non plane scribitur Balaam fuisse de Pathur Ammonitidis, et adscribitur nomen *fluminis?* cur in locum *Ammon* succedit *Ammo?* et in locum *terrae filiorum Ammon* oppido notae primum vagi illi *montes orientis*, dein illud paene infinitum *Aram irriguum?* Sequentem suggerimus solutionem. Vidimus Moabitas arcessendi Balaam studiosos consilia contulisse cum Ammonitis. Id fieri potuit ideo unice, quod sine Ammonitarum venia Balaam non crederetur e finibus suis esse excessurus; potuit idem fieri etiam ideo, quod Moabitae ignorarent locum, ubi Balaam habitaret. Pretiosissimi thesauri et veluti palladii loco habebant istum prophetam Ammonitae; quem si quis vi aut dolo ex eorum medio abduxisset, fatalem id reipublicae calamitatem existimassent. Ergo locum, in quo versabatur, secreto tegebant : non ita multi, nemo certe qui Ammonita non esset, illum locum norat. Erant nonnunquam, qui curiose inquirerent, ubi degeret propheta. Respondebatur urbane, illum degere in *Pathur*, quod nomen feliciter *Syr.* vertit *augurium*. Quaerebatur, ubi terrarum esset Pathur. Respondebatur illud esse in *terra filiorum Ammo*, secus flumen quoddam. Ubi haec terra? In *Aram*. In qua parte terrae Aram? In *Aram Naharim*. Effusis gratiis abibat inquisitor ille; Euphraten petebat; perveniebat in civitatem Pitru, quam suggerebat *Schrader*, non erat ibi propheta; lustrabat Syriam totam, flumina omnia et torrentes, prophetam non reperiebat; lassus et exanimis revertebatur ad sua. In his omnibus non mentiebantur Ammonitae, sed veritatem suam fe-

liciter celabant. Annon apte *Pathur* seu *augurium* vocabatur locus, ubi propheta degebat? nonne is locus revera erat in terra *Ammo* seu *Ammon?* nonne idem erat in *Aram*, si supponatur ille Ammonitidis pagus pridem Aramaeorum fuisse? et, cum sat multi torrentes ex Auranitide nascerentur, nonne apte ad eum pagum extendebatur nomen *Aram irriguum* seu *Aram Naharim?* Porro, uti Ammonitae, ita agit etiam ipse Balaam 23,7, affirmans se esse *de Aram* adductum; quod nomen copulat *montibus orientis*, nomini perquam vago. Locum designat vere, sed nequaquam accurate. Nomina deinde, uti ab Ammonitis tradebantur, descripsit sacer auctor, qui utique interfecto paulo post Balaamo nullam habebat rationem accuratius eius domicilii perquirendi (cf. s. p. 255). Dices, his in errorem induci lectorem scripturae, qui Balaami sedem procul in *oriente* circumspiciat, vel circa Euphraten. Inducatur in errorem lector vecors, cui Pathur Aram idem sonet atque Padan Aram, nullaque sit haesitatio concedendae Labano plurium saeculorum vitae : sed non pro his solis concinnatae sunt scripturae. Lector prudens, collatis inter se Num. 22,5; 23,7; Deut. 23,4, dubitabit saltem atque ita errore carebit.

Eratne Balaam verus propheta? Iterato affirmat ipse, se a Iahve accipere oracula necnisi, quae a Iahve ponantur in ore suo, proloqui. Narrator item sacer affirmat, Balaamum loqui Iahve inspirante. Eius de Israele oracula tota sunt sancta et vera; imo futura quaedam praenuntiant, quae, quod impleta sint, verum eum esse Dei prophetam demonstrant. Idem in suis oraculis verus habetur propheta ab auctoribus inspiratis, itemque a testibus traditionis tam iudaicae quam christianae.

David supremi sui eloquii prophetici 2 Reg. 23,1 sqq. initium adamussim conformat exordiis Balaam Num. 24,3 sq. 15 sq.

> Oraculum David filii Isai,
> oraculum viri, quem constituit El,
> uncti Dei Iacob,
> suaviloqui psaltis Israel.

Cf. C R p. 429, *G. Meignan* (Les prophéties messianiques, p. 500-sq., Paris 1856), *L. Reinke* (Beiträge zur Erklärung des A. T., IV. 241, Münster 1855). Idem facit auctor Prov. 30,1 :

> Verba Agur filii Iaqeh Masitae,
> Oraculum viri quocum est El,
> Afflante El valet (edere oraculum).

Atqui auctores hi inspirati ita non egissent, nisi Balaamum prophetam inspiratum habuissent. Mich. 6,5 responsum Balaam accensetur beneficiis Israeli a Deo collatis. — Perperam censet *Reinke* p. 209, ex Ier. 48,45 effici etiam Ieremiam habuisse Balaami eloquia pro inspiratis : « In umbra Hesebon steterunt fugientes violentiam, quia ignis egressus est de Hesebon, et flamma de medio Sehon, et devoravit latus

Moab et verticem filiorum tumultus ». Priore versus parte citat Ieremias Num. 21,28 verba parabolatorum, altera parte alludit ad verba Balaam 24,17; cum non constet verba parabolatorum fuisse inspirata, neque efficitur ex hoc solo textu verba Balaam fuisse inspirata.

Traditionis iudaicae testes sunt *LXX*, 25,17 (cf. eosdem ad 24,7) pro « virga » scribentes « homo » (i. e. Messias); *Targ.* vaticinium de Messia exponentes; *Ios.*; Iudaei brevi post Christum sequentes pseudomessiam Barkochbam, i. e. « filium stellae ». Traditionis christianae testes sunt *Iustin.* (c. Tryph. n. 106; *M.* 6,724; cf. Apol. I. 32 : *M.* 6,380), *Athan.* (Or. de inc. Verbi n. 33; *M.* 25,153), *Lactant.* (Instit. IV. 13; *M.* 6,484) Balaami oraculum proferentes tamquam dictum Moysis. Item *Greg. Nyss.* (Testim. adv. Iudaeos II; *M.* 46,205), *Cyrill. Alex.* (in Iulian. VIII; *M.* 76,901), *Cyprian.* (Testim. adv. Iudaeos II. 10; *M.* 4,704 sq.) Balaami oraculum aequiparantes oraculis Iacob, David, Isaiae, Ieremiae, Lucae. Alii eum proclamant prophetam : *Euseb.* (Demonstr. evang. IX Prooem.; *M.* 22,652), *Basil.* (in Is. Prooem.; *M.* 30,125; cf. ep. 189. 5; *M.* 32,692), *Chrys.* (in Genes. serm. 10; *M.* 54, 628), *Diodor. Tars.* (*M.* 103,877), *Theodoret.*, *Theophylact.* (in Matth. 2,2; *M.* 123, 161), *Hier.* (Ep. 78 n. 42; *M.* 22,722; cf. in Matth. 2,2; *M.* 26,26), *Ps. Aug.* (De Quaest. V. et N. T., Q. 63; *M.* 35,2258), *Leo papa* (Serm. 34 cap. 2; *M.* 54,245), *Greg. M.* (Moral. lib. 27 cap. 35; *M.* 76,434), *Vigil. Taps.* (Adv. Varimadum II. 16; *M.* 62,409), *Beda* (in Matth. I. 2; *M.* 92,13). Alii praeterea explicite statuunt, eum de Messia esse vaticinatum : *Iren.* (c. Haeres. III. 9. 2; *M.* 7,870), *Or.* (c. Cels. I. 59 sq.; *M.* 11,770 sq.; cf. Homil. 13 in Num. n. 7 et Homil. 18 n. 4; *M.* 12,674 sq. 716), *Ambr.* (in Luc. II. 45; *M.* 15,1569), *Hier.* (Epist. 77 n. 7; *M.* 22,695), *Maximus Taurin.* (Homil. 20; *M.* 57,265; cf. Homil. 26; *M.* 57,282).

Neque prophetica oraculorum Balaami indoles ideo in dubium est vocanda, quod vir non fuerit sanctus.

Gratiae gratis datae, quarum una est prophetia, conferuntur a Deo quandoque etiam peccatoribus. Peccavit igitur Balaam

1. *scandalo diabolico* Num. 31,16, ipse quippe suggessit, ut Hebraei ad luxuriam et superstitionem pellicerentur. Hinc Ap. 2,14 : « Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari ».

2. Peccavit *avaritia*, de qua Iudae v. 11 : « Vae illis, quia in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt »; et 2 Petr. 2,15 sq. : « derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, » i. e. filii Beor, « qui mercedem iniquitatis amavit, correptionem vero habuit suae vesaniae : subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetae insipientiam ».

3. Quorsum deliquerit Balaam *superstitione, magia etc.*, infra dispiciemus.

Aggredimur iam quaestionem salebrosam, fueritne Balaam ante Hebraeorum adventum propheta verus an falsus.

Autumat *F. Himpel* (Die messianischen Prophetieen im Pentateuch, in Theol. Quartalschrift, Tübingen 1860 p. 668), putasse *Aug.* et *Theodoret.*, *physice* a Deo compulsum esse Balaam ut, quae nollet, proloqueretur. Id utique putabat *Ambr.*, qui Deum inducit loquentem : « Quasi organum inane sonum meis praebebis ser-

monibus », et Balaamum confitentem : « Quasi cymbalum tinniens sonum reddo » (Epist. 49 n. 8.11; *M.* 16,1157 sq.). Repugnat haec opinio narrationi sacrae, imprimis 24,1. « Attente perlecta narratione sacra persuasam habebis Balaami bonam fidem et sinceritatem consulentis Iahven, alloquentis Balac, vaticinantis... Loquitur de Iahve cum summa reverentia eiusque oracula profatur verbis pietatem spirantibus » (*Meignan* p. 484 sq.). Habetque haec ratio tanto plus ponderis, si admittas Deum Balaamo revelasse res eique verborum delectum permisisse.

Etiam ante Hebraeorum adventum videtur Balaam verum Deum novisse eiusque oracula accepisse (*Reinke* p. 222 sqq., *Meignan* p. 483 sqq. 522 sqq., *Himpel* p. 669 sq.). Hoc statuimus contra eos, qui censent Balaam antea nihil fuisse nisi praestigiatorem, et a Iahve subito conversum esse in verum prophetam.

1. Textus 24,3 sq. 15 sq. videntur describere modum *consuetum*, quo Balaam oracula nanciscebatur : hic autem modus videtur fuisse haud diversus ab eo 12,6, qui in aliis praeter Moysen prophetis hebraeis obtinebat; oracula autem illa Balaam nanciscebatur ab El, Elion, Schaddai, i. e. a vero Deo iis nominibus appellato, quae patriarchis fuerant prae ceteris sacra.

2. Cum Iahven noverit Balaam potissimum e miraculis exodi eaque mox (Ex. 15,15) gentibus terrae promissae innotuerint, norat sane Balaam Iahven pluribus annis ante Hebraeorum adventum. Sciebat eum eundem esse atque El, Elion, Schaddai : etenim Deum, a quo prohibitus fuerat maledicere Israeli, modo vocat El, modo Iahven 23,8. 19; item Deum Israelis utroque nomine appellat 23,21. 23; 24,6; affirmat, El eduxisse Israelem de Aegypto 23,22; 24,8. A legatis appellatus, illico sine ulla dubitatione aut admiratione statuit axioma, rem dirimendam esse iudicio Iahve. Nolim tamen eo procedere, ut cum *Reinke* p. 223, *Meignan* p. 522, *Himpel* p. 669 asseram, iam antea Balaam Iahven invocasse, eius nomine oracula accepisse : ubi enim titulos veluti prophetici muneris recitat, appellat El, Elion, Schaddai, non Iahve : propheta non hebraeus non poterat esse propheta Iahve. Neque affirmo, ideo Balac recurrisse ad Balaam, quod eum nosset cum Iahve habere commercium : nullo argumento probari potest scivisse Balac, Iahven eundem esse atque El.

3. Obiiciunt Balaam fuisse idololatram : sacrificavit enim 22,41 in « excelsis Baal ». Sacrificavit Elias quoque e regione altaris Baal 3 Reg. 18,19 sqq. Praeterea recole Baal (dominus) primitus et ipsum fuisse nomen veri Dei. Cum ergo narratio ea fere attingat tempora, quibus Moabitae a fide veri Dei vergebant ad superstitionem et idololatriam, potuit ille Baal, uti etiam Beelphegor seu Baal Phogor (cum 23,28 cf. 25,3), esse verus Deus, cuius utique cultui Moabitae iam plurimam admiscebant superstitionem et luxuriam. Neque officit, in illis montibus fuisse tum fortasse aliqua simulacra Baal : solis quippe Hebraeis praeceperat Deus cultum amorphum.

4. Aiunt etiam, ideo Balaam non esse habendum verum prophetam, quod ei non concedatur prophetae titulus נביא. Narratorem hebraeum prophetam non hebraeum atque tandem a Deo reprobatum non constituisse eodem plane dignitatis gradu atque prophetas hebraeos, neque eundem ipsi atque Moysi titulum concessisse, quis miretur? S. Petrus utique Balaam appellat prophetam.

An aut quorsum in ritibus adhibitis Balaam peccaverit *superstitione*, non liquet.

Meignan p. 536 sqq. ostensurus, quomodo Balaam superstitionem admiscuerit religioni, recenset aliqua, in quibus certe Balaam non est reprehendendus, licet eadem gentiles postmodum suis item superstitionibus adhibuerint : praemittit oraculis sacrificia, septena numero sacro construit altaria etc. Quaerit porro Meignan p. 537, cur Balaam, antequam populo aut malediceret aut benediceret, necessarium duxerit, ut *populum coram contueretur*. Id necessarium ducebat Balac 22,41; 23,13 : duxisse item Balaam, quo argumento probabis? Neque negari potest, ex natura rei augeri iustae benedictionis vel maledictionis efficaciam, si in praesentes feratur, quod intensiore amore vel odio exardescat homo in praesentes quam in absentes; estque haec efficacia, ut ita dicam, ex opere operantis, non ex opere operato. Patriarchae benedixerant et maledixerant proli praesenti : id satis erat Balaamo, ut patriarcharum aliorumque maiorum traditioni adhaerens, mallet praesentibus quam absentibus benedicere aut maledicere. — Rursum p. 468. 536 sq. exquirit Meignan, cur Balaam 23,4 oraculum quaerat *in colle patenti :* nonne, ut signa coelestia ib. speculetur, id agit? Adverte, id factum narrari post incensa holocausta, ergo mane, quo tempore non poterant astra observari. An forte volatum avium ib. considerabat Balaam? Gratuita plane suppositio. Ivit eo primum, ut esset *solus*; fortasse item, ut omnes *viderent*, rem agi sine ullis praestigiis. Nonne locus elatus, solitarius, vastum praebens coelorum terraeque prospectum, ad divinum commercium animum disponit? Cur non item ad prophetiam, similiter atque musica 4 Reg. 3,15?

Discussimus haec primum, quae planiora sunt, ut viam paremus discutiendis difficilioribus, קסם et נחש. Ipse Balaam, inquit *Himpel* p. 670, נחש et קסם, divinationem et magiam 23,23 opponit verae prophetiae :

> Profecto, non est augurium in Iacob,
> neque divinatio in Israel :
> sed tempore statuto fit verbum ad Iacob,
> et (innotescit) « certatori El » consilium El.

Balaam opponit נחש et קסם prophetiae, quae est et erit in Israel, sive ut malum bono, sive ut minus bonum bono maiori. Censendusne est Balaam oraculo suo condemnare illa ipsa media, quorum ope hoc oraculum nactus erat? Nam quod 24,1 affirmetur Balaam requisivisse tertium oraculum non adhibitis נחשים, inde efficitur eum priora duo oracula obtinuisse eisdem adhibitis. Illis adhibitis experiebatur, an sibi « occurreret Iahve », eumque finem ipse sine dubio sincere intendebat. Eratne ipse ad finem sincere quaesitum adhibiturus media, quae sciret esse Deo exosa? Num textus nobis praebet solidam rationem affirmandi, eum 24,1 perspexisse media ante adhibita fuisse impia? Abstinuit 24,1. 15 ab adhibendis mediis appropinquandi Deo, quia illum prioribus oraculis expertus erat sibi proximum adesse.

Ceterum illa media Iahve concessis oraculis, imo concesso illo ipso oraculo cuius pars est v. 23, si non approbaverat, at certe toleraverat : censendusne est Balaam illud v. 23 ut impium condemnare, quod modo ipse Iahve aut approbaverat, aut utique toleraverat? An nobis textus sufficientes suppeditat rationes ad has quaestiones respondendi *affirmative?* Ceterum in ipso v. 23 ipse Balaam indicat rationem, cur prophetiam Israel suis anteferat נחשים et קסמים : *tempore statuto* fit verbum ad Israel. Prophetae, qualis erat Balaam, operose per נחשים et קסמים quaerebant oracula, incerti an essent obtenturi; sine talibus artibus, sine labore Israel, *quando opus erat*, tempore statuto certa nanciscebatur oracula, El non rogatus loquebatur verbum ad Israel. Num, quia navis certius et facilius dirigitur indice magnetico

quam observatione coelorum, ideo haec repudianda est ut malum, divinatio, magia?

Ergo v. 23 ab Himpel appellatus non convincit Balaamum superstitionis. *Meignan* p. 489 sqq. 514 sqq. sibi fingit Balaamum quasi quemdam *dubiae fidei ariolum simul et prophetam*. Suggerit in Pathur exstitisse collegium aliquod prophetarum simile illis, quae apud Chaldaeos erant (*Strabo* XVI. 1. 6) et quae fuere apud Hebraeos (1 Reg. 10,5; 19,20; 4 Reg. 2,3 etc.). Ariolandi artem transmissam acceperat Balaam ab antecessoribus suis, illa utebatur ad lucrum et auctoritatem comparandam. Venerabatur deos Chaldaeae, sed e miraculis exodi didicit Iahve eminentiam eumque agnovit esse Deum. Impellebatur iam ab ipso, ut superstitionibus renuntiaret, amore lucri ne id faceret cohibebatur. Similis Calchae, auguribus Romanorum, Simoni Mago miscebat grandes veritates vulgaribus superstitionibus, sapientiam dementiae, bonam fidem deceptioni. Et tamen hoc ignobili instrumento dignatus est Deus uti ad suam gloriam manifestandam. — Ingeniose quidem designata est haec imago, plura tamen habet gratis asserta, plura non ita facile concedenda. Non negaverim equidem Balaam a maioribus munus propheticum haereditate veluti accepisse, rem ab indole veterum orientalium haud alienam. Sed gratis asseritur vir deos Chaldaeae coluisse, primum solam ariolandi artem exercuisse, per omnia semper quaestum ambiisse. Incredibile videtur iis illum artibus, quas perspexerat esse inanes et impias, Iahven sollicitasse, imo propitiasse. Quod ut concedatur, non coniecturis, sed solidis rationibus opus est.

Summa tandem totius rei est in illis duabus vocibus קסם et נחש exponendis. Radicum significatio incerta : firmare, iurare, decernere — susurrare, firmare. Ceterum ad definiendam rerum imprimis spiritualium naturam incerta dux est sola *etymologia*. Nonne divinatio derivatur a divinus, et magus ex etymo dicit virum magnum, nobilem? Recurrendum igitur ad *usum loquendi*. Sed usus loquendi recentior non est semper idem atque usus loquendi antiquior. Vox germanica *Pfaff* nunc designat cum contemptu ministrum sacrum, antiquitus designabat parochum. Igitur quem sensum tempore Balaam habuerint קסם et נחש, manet definiendum; ubi illud utique e sacra narratione habemus, ea neque a Balaam inspirato neque a Deo illum inspirante explicite reprobari. De קסם cf. dicenda ad 22,7.

Qui prophetiam desiderat, bonum opus desiderat. Quae cum sit gratuitum Dei donum, licite ad illam impetrandam adhibebantur media illa omnia, quae aut Deum redderent magis propitium aut hominem magis aptum. Ad haec spectabant vita pura, oratio, vigiliae, ieiunium; ea item, quae horum aliquod iuvabant, uti solitudo, nocturnum tempus, aspectus coeli, quae orationem iuvant. Deum prae aliis propitium reddebant sacrificia. Tribuebatur alii praeterea medio summa efficacia cum ad Deum propitiandum tum ad hominem ad eius favores accipiendos disponendum. Recole, quaeso, quanti antiquus ille mundus fecerit *maiorum traditionem*. Ritus quilibet pii vel indifferentes, qui adhibiti esse ferebantur a patriarchis aliisque post ipsos maioribus, qui prophetae aut fuerant aut fuisse ferebantur, credebantur specialem habere efficaciam ad hominem ad prophetiam disponendum. Qui illos ritus observabant, veluti sanctorum patriarcharum vestes induti coram Deo comparebant. Nonne huius generis plurima inter christianos etiam vigent, non ad prophetiam quidem sed ad divinos favores certius impetrandos? nonne sacris litamus ritibus a maioribus acceptis? nonne ea affectamus orationis loca, quae sanctorum vestigiis fuere honestata aut divinis concessis favoribus illustrata? nonne praeter sacra omnibus christianis communia quaevis fere regio suos habet mores sacros, suos ritus, suas devotiones a maioribus pie et religiose suscepta? Nulla his inest superstitio,

dummodo eis efficacia attribuatur non, ut ita dicam, ex opere operato, sed ex opere operantis solum.

Similiter crediderim egisse antiquitus eos, qui prophetiam ambibant. Patriarchae pastores ad conversandum cum Deo secesserant in loca solitaria, aperta (cf. Gen. 24,63), nonnihil elevata ideoque coelo veluti propiora quaeque coeli circum aspectum praeberent : id satis erat, ut eorum posteri, qui ad prophetiam aspirarent, eiusdem indolis loca, « colles apertos » requirerent. Observabant uti maiores numerum septenarium. Quod si in horum visionibus signa aliqua intervenerant, similia signa ab eorum posteris minime negligebantur; non erat v. g. penitus negligendus avium volatus, cum Abrahamo Gen. 15,11 divinam visionem exspectanti adfuerint circa victimas aves rapaces. Hinc nata quaedam prophetiae requirendae ars, ars arcana, paucis nota, a patre in filium, a magistro in discipulum studiose transmissa; cuius artis initia superstitione carebant, sed mox falsa miscebantur veris, futilia gravibus, efficacia tandem non a Deo et ex opere operantis, sed ex opere operato repetebatur. Inerat huic arti periculum superstitionis, ut infallibilem quamdam virtutem inanibus ritibus tribueret; erat periculum erroris, ut divinas revelationes cerneret ibi, ubi divinae revelationes non erant, sed effectus tantum aliqui naturales aut mentis figmenta. Huius artis professorem crediderim exstitisse Balaamum, veteris ordinis depravati prophetam; illos ritus imprimis intelligo nomine נחשים. An igitur et ipse Balaam divinationis, magiae reus dicendus est? Certe non eo processerat, ut Iahve iudicaverit eius obsequium a limine esse repudiandum. Qui igitur vult in eum virum primum lapidem mittere, mittat : ego non mittam.

II. PRIMA AD BALAAM LEGATIO NUM. 22,1-14.

Arg. — Balac rex Moab, sentiens Moabitas depellendis Hebraeis impares esse viribus, collatis cum Madianitis seu Ammonitis consiliis, per legatos magnum Ammonitarum prophetam Balaam invitat, ut praesens Hebraeis maledicat. Is vero renuente Iahve pergere detrectat.

Cap. XXII v. 1 « *Profectique* » de valle sylvestri in montibus Abarim (21,20; cf. 33,48), ubi toto hoc tempore videntur perseverasse castra et fortasse item arca, « *castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Iordanem Iericho sita est* ». Locus accurate describitur. ערבות מואב (Deut. 34,1. 8; etiam ארץ מואב Deut. 29,1 [28,69]; 32, 49), *deserta Moab* vocatur ea pars *deserti* ערבה, quod est ad septentrionem Maris Mortui a parte orientali Iordanis, quodque ante regem Sehon Moabitarum fuerat. Moses unam in votis habet cisiordanicam. v. 2 « *Videns autem Balac filius Sephor* » (cf. nomen uxoris Moysis צפרה Ex. 2,21) « *omnia, quae fecerat Israel Amorrhaeo* », v. 3 « *et quod pertimuissent eum Moabitae* » *valde, quia multus erat* numero, « *et impetum eius ferre non possent* », — sed aliter *Hebr. : et horrore haberet Moab filios Israel* (cf. Ex. 1,13 [12]) : Moabitae sacro quodam horrore tenebantur videntes, quomodo Israelitis, qui

prophetam ducem sequerentur, omnia prospere cederent. Ergo v. 3ª et 3ᵇ non edicunt (*Dillm.*) plane idem. Dein pergit *Hebr. : et dixit Moab,* i. e. Balac re collata cum senioribus Moab (v. 7) per legatos allocutus est seniores Madian = Ammon — v. 4 « *dixit ad maiores natu Madian : Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur* », — *omnes in circuitu nostro,* euphemistice dictum, quasi his devoratis ulla sit Moabitis et Ammonitis evadendi spes — « *quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere* ». Vocantur *turba haec* (cf. Gen. 28,3; 35,11; 48,4; pronomen excidit apud *Hebr. Chald.*), quasi solis numeris praevaleant; comparantur animali parum sagaci, quod vitam fere comedendo transigat. « *Ipse erat eo tempore rex in Moab* ». Haec parenthetice inseruntur nuntio Balac, cuius potissima pars sequitur v. 5. Quod ignorans antiquus aliquis scriba, initio v. 5 imperativum pluralem וישלח *mittite,* mutavit in futurum conversivum וישלח *misit;* sed v. 5 sunt verba Balac. v. 5 « *Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen terrae filiorum Ammon, ut vocarent eum et dicerent : Ecce egressus est populus ex Aegypto, qui operuit superficiem terrae, sedens contra me* », e regione mei. v. 6 « *Veni igitur, et maledic* » *mihi* « *populo huic, quia fortior me est, si quo modo possim percutere et eiicere eum de terra* [*mea*] »; — *Hebr. : si quo modo efficiam, ut percutiamus eum* — « *novi enim, quod benedictus sit cui benedixeris, et maledictus in quem maledicta congesseris* ». Petit Balac ab Ammonitis, ut suum sibi prophetam submittant : quamvis enim Moabitae nunc Israelitas non audeant adoriri cum ob vires suas priore contra Sehonem bello fractas tum ob horrorem prophetae Moysis, at cordati adorientur, quando habebunt et ipsi famosum secum prophetam et, quod contextus suggerit, quando habuerint Ammonitas belli socios. Sat prudens est Balac in generatione sua. Multum fidebant ei prophetae Moabitae : an is forte maledixerat etiam regi Sehon, ut Sehonis cladem eius maledictioni effectam adscriberent? Ceterum, cum Balaamum accersiverit Balac eo consilio, ut postea bello adoriretur Hebraeos, et cum Moabitae fortasse Num. 31 socii fuerint Madianitarum seu Ammonitarum, hinc Ios. 24,9 dicitur Balac pugnasse contra Israelem et arcessivisse Balaamum.

Nomen בלעם fortasse est ipsum nomen בלע (Gen. 36,32; 46,21; 1 Par. 5,8) addito affixo ־ם. Sed potuit illud etiam coalescere ex בעל et עם, « Baal (est) propinquus » (cf. אליעם 2 Reg. 11,3; 23,34). Neque ex ea derivatione nominis sequitur Balaam fuisse idololatra : nam Baal primitus erat appellatio veri Dei, et Baalim erant eius varia simulacra. Contraxisse Hebraeos in nominibus propriis nomen בעל in בל, disce e collatis inter se אשבל Gen. 46,21 et אשבעל 1 Par. 8,33; בלדד Iob. 2,11 et

אלדד Num. 11,26 sq. Assyri in nominibus propriis utuntur forma contracta *bil*. Cf. *G. Buchanan Gray* : Studies in Hebrew proper names, London 1896, p. 43. 123. 254. Ceterum nomen Balaam proprie non fuit hebraeum, sed ammoniticum. פתורה, sive ה locale interpreteris (Deut. 23,4 [5]) sive terminationem femininam (Sam. ib.), non potest verti *ariolum*. Sensus, quem h. l. Vulg. exprimit, Ios. 13,22 redditur voce קוסם. Ergo Balaam erat de *Pathur*, de quo atque de reliquo textu dicebamus p. 260 sq.

v. 7 « *Perrexeruntque seniores Moab et maiores natu* », i. e. seniores, « *Madian, habentes divinationis* [*pretium*] *in manibus* ». Obtulit item Saulis puer 1 Reg. 9,7 sq. donum Samueli prophetae, et uxor Ieroboam Ahiae 3 Reg. 14,3, et Hazael Elisaeo 4 Reg. 8,8; videtur id moris fuisse apud Ammonitas tempore Balaam, uti apud Israelitas tempore Samuelis; neque ideo reprehendendi prophetae, qui non prophetiam vendebant, sed haec ad sustentationem et pro labore accipiebant. Ceterum dona 1 Reg. 9,7 sq. et 3 Reg. 14,3 oblata exigua erant. Dona longe pretiosiora obtulit Naaman Elisaeo : quod hic non acceptaverit donum a non Israelita (4 Reg. 5,16), non sequitur alios prophetas hebraeos non consuevisse acceptare ab Hebraeis. Res, nisi modum excederet (Mich. 3,11), peccato carebat : qui enim prophetiae inservit, aequum est ut de prophetia vivat. Quis miretur, non sine donis accessisse regum legatos Balaamum rogaturos, ut extra suae gentis fines proficisceretur?

קסמים, τὰ μαντεῖα. Proscribitur Deut. 18,10 apud Hebraeos קסם קסמים, isque cum aliis opponitur veris Dei prophetis, eratque tum Deo v. 12 ob suas apud gentes terrae sanctae superstitiones exosus. Cf. 1 Reg. 15,23; 28,8; 4 Reg. 17,17; Ez. 21, 21 (26). Tamen erant 1 Reg. 6,2 קסמים paenes Philisthaeos, iusti oraculi auctores. Mich. 3,6. 7. 11 (cf. Is. 3,2); Prov. 16,10 agitur de קסם inter Hebraeos, non necessario tamquam de *re* mala. Hebraeum scriptorem non vocare Balaamum eodem atque Moysen nomine נביא, sed קסם, haud est mirandum. Fieri omnino potuit, ut קסם primitus designaverit oracula etiam sine superstitione quaesita et edita, quae tamen postea, uti alia multa apud gentiles, misere degeneraverint. Notat *Bonfr.* Balaamum oracula quaerere somniis, quod omni superstitione carere potuerit, et a Iosepho patriarcha, Daniele aliisque factum sit. Ergo ex una illa voce קסם non sequitur, Balaamum fuisse « hominem pessimum » (*Aug.*), aut « daemonis auxilio se prophetam venditasse » (*Men.*).

« *Cumque venissent ad Balaam et narrassent ei omnia verba Balac* », v. 8 « *ille respondit : Manete hic nocte et respondebo, quidquid mihi dixerit Dominus* ». Gratuito asserit *Or.*, Balaamum quaesivisse oraculum a daemonibus, accepisse a Deo; iniquius eundem *Proc.* h. l. accusat « imposturae satanicae ». « Balaam profitebatur se a summo Deo revelationem habere » (*Cai.*), neque ulla est ratio fidei denegandae eius dictis. Eius hoc responsum non est plane ad mentem Balac;

Balaam nequit pro lubitu maledicere, sed res dirimenda est iudicio *Iahve*. Iahve est ipse verus Deus, a quo uno Balaam consuevit responsa requirere. Neque tamen omnis eo responso spes praecluditur. Iahve, non quidem hoc nomine, est etiam Moabitarum et Ammonitarum Deus; sanxerat is, suos Moabitis et Ammonitis permittendos esse fines, poteratque dubitari, utrum hi intelligerentur quos tum Moabitae et Ammonitae actu obtinerent, an ii praeterea, a quibus ab Amorrhaeis fuerant eiecti. Venit porro Deus ad Balaam *nocte* (v. 8. 13); ambigit *Aug.*, veneritne per *somnium*. Etiam v. 20 venit Deus ad Balaam nocte. v. 41 Balaam mane arcessitur ad altare, sed oraculum nondum habet, sed pergit 23,3, ut Deum pro oraculo conveniat. Cf. v. 16. Certe 24,1 non intercessit somnium. Vide, quae dicebamus ad 12,6 (p. 100 sqq.) et quae dicemus ad 24,15.

« *Manentibus illis apud Balaam, venit Deus et ait ad eum* » : v. 9 « *Quid sibi volunt homines isti apud te?* » Cf. Gen. 16,8. Non Balaam prior Deum interrogat. Verba potius suggerunt, Balaam ab eodem hoc Deo oracula accipere consuevisse : Deus inquirit, quibuscum agat propheta suus. Responsum Balaam v. 10 sq. non prodit terrorem, verba Dei v. 12 non produnt indignationem. v. 10 « *Respondit : Balac filius Sephor rex Moabitarum misit ad me* » v. 11 « *dicens : Ecce populus, qui egressus est de Aegypto, operuit superficiem terrae : veni et maledic ei, si quo modo possim pugnans abigere eum* ». Cf. v. 5 sq. v. 12 « *Dixitque Deus ad Balaam : Noli ire cum eis neque maledicas populo, quia benedictus est* ». Perperam *Sylv.* : neque eas ad Balac, ut maledicas ibi, neque maledicas manens in loco tuo. Melius *Dillm.* : Deus vetito proficiscendi coordinata constructione adiungit vetiti rationem : non vult ut Balaam maledicat, ergo neque ut proficiscatur. Id, quod Balac expetebat, non erat mera eminus maledictio, sed maledictio praesentibus a praesente infligenda, cui maiorem utique tribuebat efficaciam. Potuit Deus, inquit *Kn.*, Balaamo concedere iter, sed eum ut populo benediceret adigere. Potuit omnino : sed Deus respondet ad petita, petitum autem non fuerat a Balac, ut Balaam Hebraeis benediceret. v. 13 « *Qui mane consurgens dixit ad principes* » *Balac* : — soli Moabitae remittendi erant *in terram suam*, Ammonitae iam intra proprios fines versabantur — « *Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum* ». *Hebr. recusavit permittere*, *LXX* οὐκ ἀφίησί με. Rursum (v. 8) prohibitio *Iahve* attribuitur. Causatur *Sylv.* Balaamum illud reticere, prohiberi se quominus Hebraeis malediceret. Neque id tamen viro vertendum est vitio : non iusserat eum Deus verbotenus singula repetere; prohibebatur cominus benedicere, qui prohibebatur propius accedere; non

imprudenter reticebat Balaam illud, quod Balac et gravius laturus, et e dictis indubie intellecturus erat; neque fortasse praesciebat Balaam, post primam repulsam Balacum alteram missurum esse legationem. v. 14 « *Reversi principes dixerunt ad Balac : Noluit Balaam venire nobiscum* ». Principes regi etiam minus renuntiant, quam quod Balaam v. 13 eis dixerat; non dicunt Balaamum a Iahve prohibitum esse. Potuit igitur Balac coniicere rem unice pendere e Balaami voluntate, legationem ei visam esse non satis honorificam (*Cai.*), pretium non satis amplum.

III. ALTERA AD BALAAM LEGATIO NUM. 22,15-40.

Arg. — Solemniorem legationem cum largioris stipendii promissione mittit Balac. Confunduntur porro in textu duae diversae eiusdem eventus narrationes. Secundum priorem narrationem Balaam consulto Iahve eiusque venia obtenta proficiscitur. Secundum alteram Balaam Iahve inconsulto proficiscitur, sed miraculo asinae loquentis et angeli apparitione ad meliorem frugem revocatur. Secundum utramque tandem a Balac honorificentissime excipitur.

v. 15 « *Rursum ille multo plures et nobiliores, quam ante miserat, misit* ». v. 16 « *Qui cum venissent ad Balaam, dixerunt : Sic dicit Balac filius Sephor : Ne cuncteris venire ad me* ». v. 17 « *Paratus sum honorare te et, quidquid volueris, dabo tibi* ». Item *LXX :* לְךָ ante וּלְכָה facile excidebat. Ceterum idem debet esse sensus *Hebr. faciam*. Quod enim Balac supponit Balaamo esse in votis, non est ut Balac illi in rebus agendis obsequatur, sed ut quodcunque pretium Balaam petat ille pendat. « *Veni et maledic populo isti* ». v. 18 (cf. 24,13) « *Respondit Balaam : Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri* », — *Hebr. : plenitudinem domus suae,* aut quidquid domus actu habet, aut quantum domus capere potest; urbane agnoscit Balaam opulentissimum esse Balac — « *non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel minus loquar* ». *Hebr. : non potero transgredi verbum Iahve ad faciendum parvum aut magnum,* ergo quidquam omnino. Cf. 1 Reg. 20,2; 22,15; 25,36 itemque 24,13. Non de solis sermonibus id Balaam asserit, sed de actionibus quibusvis. Porro illam *impotentiam* revocat *Calm.* « ad impedimentum aliquod physicum et necessarium, quo se velut coactum experiretur » Balaam. Sapientius *Sylv.* asserit, Balaamum solummodo asserere firmam *voluntatem* non loquendi nisi quae Deo placuerint; quare etiam nomini *Iahve* addit vocem *Dei* profiteturque, non pro quantislibet divitiis se restiturum esse Deo. An ignoranda vox *mei* v. p. 256.

Plurimum placet explanatio *Cai.* sensui obvio presse adhaerentis : « Sanctissima verba sunt profitentis, tum summum Deum gubernatorem suum alloquentem ipsum, tum firmam ac fixam promptitudinem ad obediendum verbo Dei ». v. 19 « *Obsecro, ut hic maneatis etiam* » *vos* « *hac nocte* », uti pridem priores legati, « *et scire queam, quid mihi rursum respondeat Dominus* ». Quippe ad unum Iahve forum referuntur omnia. v. 20 « *Venit ergo Deus ad Balaam nocte et ait ei : Si vocare te venerunt homines isti* »*?* Recte pro interrogatione sententiam accipit *Cai.* : ergo, uti v. 9, non prior Balaam Deum, sed Deus Balaamum interrogat. « *Surge et vade cum eis, ita dumtaxat, ut quod tibi praecepero facias* ». v. 21 « *Surrexit Balaam mane, et strata asina sua profectus est cum eis* ». v. 22 « *Et iratus est Deus* », *quia ibat ipse.* Quae verba textus omnes habent praeter *Vulg.*, quae illa omisit, rata uti alias ea a lectore ex immediate praecendentibus facile suppletum iri.

Inquirunt interpretes, quam ob causam iratus sit Deus. Ubi *Or.* p. 677 : « Haec ergo omnia difficilem habent explanationem », inquit; deinde libero arbitrio plura profatus ac difficilem illam explicationem iamiam auspicaturus, temporis angustias praetendens ad sensum spiritualem p. 682 delabitur. Cuius illa verba sua faciunt *Rhab.* (*M.* 108,729) et *Walafr.* (*M.* 113,420). « Cur », inquit *Aug.*, Balaam « post istam permissionem Deum iterum non consuluit, et post illam prohibitionem iterum consulendum putavit, nisi quia eius maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur? » Verum, cur « post permissionem » v. 20 debuerat Balaam Deum « iterum consulere »? Erat ea permissio plana, explicita, certis limitibus circumscripta : ergo stravit asinam. Indecentem Balaam festinationem fingit *Proc.* : « Confestim stravit asinam, ne a Deo revocaretur veritus ». Hoc ipsum amplificat *Rup.* : « Surrexit cum festinatione, contempta conditione, ad modum videlicet servorum nequam ad oculum servientium, qui, dum missi vel dimissi fuerint ad licita, praesumunt perpetrare et illicita ». Quibus extremis verbis consonat fere Rupertus *Ps. Ionathae* : « quia ibat ipse ad maledicendum eis », et *Bedae* (*M.* 91,370) : « ad maledicendum pergens, vocem non mentem mutavit »; quae eadem verba habet *Isidor.* (*M.* 83,357). Consentit *Cai.* scribens Balaamum profectum esse « procul dubio animo prono ad malum »; consentiunt *Sa*, *Malv.*, *Bonfr.*, *Men.*, *Tir.*, *Lap.*, *Ians.* Sed incerti haerent *Mar.* : « aut profectionem tantum permiserat, non concesserat (!), aut Balaam mentem mutarat, ut Hebraei sentiunt, et populo maledicere decreverat »; et *Calm.* : « Innui verbis hisce videtur, nunquam Deum consensisse, ut in incepto itinere pergeret ». Verum enimvero, ut id faceret Balaam, consenserat Deus v. 20, permiserat, concesserat. Alii igitur a difficultate enodanda prudenter abstinent : *Hugo* (*M.* 175,84), *Theodoret.*, *Vat.*, *Est.*, *Gord.*

Ex dictis perspicies in hoc textu explicando parum nos iuvari *traditione* : librum quippe Num. pauci admodum interpretes commentati sunt, pauci illi h. l. minime consentiunt inter se, aliqui etiam sua placita dubitantes proferunt (« procul dubio », « ut Hebraei

sentiunt »). Praeterca latini plures non satis attendere illud *quia ibat ipse*, quod in Vulgata non legebant. Illud tamen ex interpretum effatis indubie colligitur, veram textui inesse *difficultatem*, quam auctores illi tentantes, dubitantes solvere conentur. Difficultas autem illa, traditione certam lucem haud praeferente, *ex ipso textu* enodanda est. Porro in textu v. 22 habetur *evidens hiatus*. v. 20 dicit Deus *Vade*, v. 21 *vadit* Balaam, v. 22 *irascitur* Deus, *quia vadit*. Quomodo potuit irasci Deus faciente Balaam illud ipsum, quod diserte concesserat Deus? At, inquiunt, vadit ipse *animo perverso*, ideo iratus est Deus. Respondeo, his datis sed minime concessis, manet hiatus, manet dicendi modus non obscurus tantum sed falsus. Suppone patrem mittentem filium in urbem ad studia, filium in urbem proficiscentem eo animo, non ut studiis sed ut voluptatibus incumbat, patrem de hoc pravo filii consilio certiorem factum. An prudens scriptor hisce verbis haec enarrabit : Dixit filio pater : Vade; vadit filius; et iratus est pater, quia vadit? Oportuit scribere :, vadit filius perversa intentione; et iratus est pater, quia perversa intentione vadit. Qui illum Balaami perversum animum appellant, conantur explicare *factum*, cur iratus sit Deus : verum interpreti illud primum omnium praestandum est, ut explicet *textum*, atque per textum *factum*. Etiamsi sentias, e contextu Num. 22 indubie erui Balaamum perverso animo profectum esse, concedere tamen debebis, in textu v. 22 patere hiatum, versum aut scriptum esse manu perquam hebeti aut postmodum esse deformatum; at deformationis adstruendae nulla habetur critica ratio. Imo textum v. 22 genuinum esse confirmat v. 34 : Et nunc, si malum videtur in oculis tuis, revertar. Quem feliciter explicat Vulg. : si displicet tibi *ut vadam*, revertar. Secundum textum de profectione ipsa irascebatur Deus, non potissimum de proficiscentis intentione.

Adverte e contextu cap. 22, qualis nunc est, perversam illam viri intentionem nequaquam erui. Pie omnino sentiebat Balaam v. 18 : « Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel minus loquar ». Neque minus pie sentit v. 38 extrema eadem pericope : « Numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo? » Qui igitur cum Ps. Ion. sentiunt, defendere coguntur, Balaamum inter v. 18 et 38 piam mentem mutasse : num eius mutationis aliquod in textu deprehendunt vestigium? Et nota eam mentis mutationem supervenire oportuisse post v. 20, quo tempore amice Deus alloquebatur Balaamum, et ante v. 22, quando iratus scribitur Deus.

Dices mutatam mentem demonstrari e v. 35 : « Vade cum istis et

cave, ne aliud quam praecepero tibi loquaris ». Iubet angelus *cavere :* ergo sane antea in mente habuerat Balaam angelo contraria loqui et agere. Estne legitima illatio? Verba « Cave etc. » (אפס ; cf. 23,13; LXX πλήν) exprimunt *limitationem* quamdam *veniae* concessae voce « Vade ». Eiusmodi adiecta limitatio per se non illud edicit, aliquid ei limitationi contrarium antea iam fuisse commissum. Si pater filio in urbem proficiscenti dicit : Cave, ne sociis discolis iungaris, iniquius e verbis inferat quis, filium iam antea malorum societatem quaesiisse. Eandem verbotenus limitationem eidem veniae « Vade » adiunxerat Deus v. 20 : angelus v. 35 eandem veniam iterans limitationem item repetit, ne venia limite carens concedi videatur.

Fuit, qui h. l. appellaret Deut. 23,5 et 2 Petr. 2,15 sqq. Esto, loci illi affundant lucem *facto*, at num per illos eliminatur obscuritas *textus* Num. 22,22? Eratne hic textus obscurus et intermissus, *antequam* Deut. et 2 Petr. scriberentur? Si ita, profecto non sustulere textus antiquioris hiatum et obscuritatem textus illi recentius nati. Afferant illi lucem *facto :* certe non emendant *textum.*

E dictis colligas, Num. 22,22 utique haberi *hiatum*, Balaamumque ibi reprehendi non quod *prava intentione* iverit, sed quod omnino *iverit.* Quodsi porro v. 20 Balaam permittatur ire, v. 22 quod iverit vituperetur, patet narrationem eo loco haud esse continuam.

Habentur igitur duae eiusdem eventus discrepantes atque in unum confusae descriptiones. Postquam v. 16 sq. legati secundo invitaverant Balaamum, ut in Moabitiden proficisceretur, v. 18-21 Balaam, consulto pie Domino eiusque venia obtenta, profectus est cum principibus (cf. hoc incisum verbotenus repetitum v. 35) et a Balac v. 36 sqq. honorificentissime exceptus est. Aliter autem v. 21-35 : post eandem illam v. 16 sq. invitationem refertur Balaam illico, venia a Deo neque petita neque obtenta, v. 21 sqq. esse profectus, sed ab angelo in via ad meliorem mentem esse revocatus.

Quae duae descriptiones simul verae esse non possunt : oportet igitur ut una vera sit et altera falsa, una antiquior et altera recentior. Veram affirmabis eam, cui accedit S. Petrus 2 Petr. 2,16. Quomodo autem nata sit altera, ita explicabis haud improbabiliter. Verbis v. 17, quibus Balaamo opes promittebantur, scriba aliquis pie adscripserit verba v. 18, e loco parallelo 24,13 huc translata. Hac ratione textus repeti quandoque loco non suo, exempla habentur passim et imprimis apud Sam., qui narrationem Num. quandoque complet adscitis e Deut. textibus. Ubi vero v. 18 legebantur pia illa Balaami sensa, visum est alteri scribae, poetam tam pium non utique inconsulto Domino itineri se dedisse : affinxerit igitur ille v. 19 sq. ad instar v. 8.12 efformatos.

Vel dicas reperta esse aliquando apographa alia habentia narrationem v. 15-21. 36-38, alia narrationem v. 15-17. 21-38 : quas narrationes ab invicem dissonantes in suum apographum retulerit scriba aliquis, neutram ausus ut spuriam confodere.

Dicendum tandem de illa *perversa intentione,* qua Balaam iter arripuerit, venia a Iahve iam v. 12 denegata neque iterum requisita. Intentio illa erat *Balaci favor :* nolebat propheta regis petita recusare. Favebat autem regi e motivo primum *amicitiae :* amici erant Moabitae suorumque Ammonitarum fratres. Praeterea *avaritiae* motivum habes 2 Petr. 2,15 sq. : « Qui mercedem iniquitatis amavit, correptionem vero habuit suae vesaniae : subiugale mutum animal hominis voce loquens prohibuit prophetae insipientiam ». Cf. Iud. v. 11. Ob hanc igitur perversam intentionem arripuit Balaam iter, quod v. 12 inhibuerat Iahve, atque ideo propter hoc ipsum iter iratus est Iahve : *quia ibat ipse.*

« *Stetitque angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinae et duos pueros habebat secum* ». Est hic angelus populi electi protector et dux, S. Michael (*Theodoret., Proc.;* cf. quae dicebamus ad Ex. 23,20). *Hebr. : stitit se,* missus ab irato Deo : non ipse Deus per se cum homine contendit. *Adversarius ipsi* (cf. v. 32), ut eum iniussu Dei proficiscentem cohiberet. Habes hic explicationem illius *non potero* v. 18 : non tollit angelus physicam potentiam procedendi, sed tamquam adversarius maiore potentia obsistit. Utitur idem conditionibus viae : obsistit primum in agro, ubi facile (v. 23), dein in angustiis murorum, ubi difficilius (v. 25), tandem eo loco, ubi nullatenus (v. 26) expedire se valet Balaam. Contra hunc igitur conspirant media naturalia et supernaturalia, compellitur non subito sed gradatim, certo tamen et praeter omne effugium. v. 23 « *Cernens asina angelum stantem in via evaginato gladio, avertit se de itinere et ibat per agrum* ». Via sc. ibi per apertum campum, mox inter vineas decurrebat; monetque *Dillm.,* non esse hanc viam ab Euphrate per desertum, sed per regionem cultam. Videt porro animal irrationale illud, quod propheta non videt, culpa utique sua (Is. 1,3; Ier. 8,7). Debuerat ipse videre oculis mentis sibi obediendum esse Iahve; quia hoc noluit videre, neque angelum primum conspexit, eius praesentiam iumento serius contuitus est. « *Quam cum verberaret Balaam* » *fuste* (*LXX;* cf. v. 27) « *et vellet ad semitam reducere* », v. 24 « *stetit angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineae cingebantur* ». v. 25 « *Quem videns asina iunxit se parieti, et attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam* ». v. 26 « *Et nihilominus angelus ad locum angustum transiens, ubi*

nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit ». v. 27 « *Cumque vidisset asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis. Qui iratus* [*vehementius*] *caedebat fuste* [*latera eius*] ». Iam *exarsit ira Balaam*, uti v. 22 exarserat ira Dei. Quam impotens est ira hominis, quam potens ira Dei! Ille fuste utitur irae instrumento, hic angelis atque natura omni; ille non videns verberat, hic videns minatur; tandem corruit ille, stante hoc. v. 28 « *Aperuitque Dominus* » — non angelus : miracula haec immediate a Deo fiunt — « *os asinae et locuta est : Quid feci tibi? cur percutis me ecce iam tertio* »? Poena praesupponit delictum, ne sit iniusta. Os Deus *aperit* loquelam largiens, sive illud os naturalem loquendi aptitudinem habeat (Luc. 1,64), sive non. Oculos Deus *revelat* v. 31, veluti velum retrahens, ad videnda etiam ea, ad quae videnda naturae vis non pertingit. *Ios.* ait miratum esse Balaam asinae loquelam : sine dubio admirationi locus erat, eaque admiratio debuit iram compescere. Ea tamen admiratio h. l. certe non exprimitur. Nulla interiecta mora respondet Balaam; eius ira non remittit, imo augetur et in caecum furorem vertitur. Non ita facile assuevit eques cogitare de iumento etiam contumaci gladio interimendo. v. 29 « *Respondit Balaam : Quia* [*commeruisti et*] *illusisti mihi* ». Putat animal e mera procacia ita agere, secumque veluti ludere : rem haud ferendam, certe non ferendam prophetae, neque tamen in animali irrationali et prophetiae ignaro gladio ulciscendam. « *Utinam haberem gladium, ut te percuterem* ». v. 30 « *Dixit asina : Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in praesentem diem? Dic, quid simile unquam fecerim tibi. At ille ait : Nunquam* ». Ne vereatur Balac edoceri a propheta, cum propheta se passus sit edoceri ab asina. Argumentum asinae hoc est : Nunquam tibi illusi, ergo neque nunc illudo (*Bonfr.*). Probatur antecedens. Non sum ego asina adventitia incertae originis dubiorumque morum : sum asina *tua*, quacum tanto tempore convixisti. Nonne nosti me? Recole animo constantem docilitatem, gravitatem, qualia decebant prophetae asinam. Sum equidem bene morata, novi locum meum. Quodsi nunc non obsequor, id non facio quod nolim, sed quod nequeam : est qui prohibet. Non tamen permittitur asina ore suo praesentiam angeli pandere. Hyperbolen habent verba illa *a duratione tua usque ad diem hunc*. Gen. 48,15 *a duratione mea* idem sonat atque *a nativitate mea*. Sane non recens natus Balaam eius asinae dorso vehebatur, non eiusdem illa cum venerando propheta aetatis. v. 31 « [*Protinus*] *aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum*

pronus in terram ». Etiam 4 Reg. 6,17 puer Elisaei primum non videt, quae Elisaeus ante viderat. v. 32 « *Cui angelus : Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam?* » Non quaerit rationem, sed nullam esse rationem affirmat. « *Ego veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua mihique contraria* », v. 33 « *et nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem et illa viveret* ». « Obedientia eius tibi saluti fuit » (*Proc.*). v. 34 « *Dixit Balaam : Peccavi nesciens, quod tu stares contra me; et nunc, si displicet tibi ut vadam, revertar* ». v. 35 « *Ait angelus : Vade cum istis et cave, ne aliud quam praecepero tibi loquaris. Ivit igitur cum principibus* ».

v. 33 pro אולי, quod h. l. sensum non efficit, reliqui לולי, *nisi.* — v. 32 כי ירט הדרך לנגדי. Nulla a radice ירט, quae secus solum Iob 16,11 legitur, apta versio derivatur; tentamina versionum vide ap. Dillm. Evidens est agi non de *via*, sed de *via tua*. Quare pro הדרך cum *Sam. LXX. Vulg.* lege דרכך, et ה trahe ad praecedentem vocem : ירטה (*Sam.* הרע). Vertit *Syr. : direxisti viam tuam contra me;* similiter *Vulg. Chald.* : ergo ינטה, *dirigitur* seu *directa est via tua contra me.* Toto hoc contextu luditur in verbo נטה. v. 23.33 asina *declinat;* ni *declinasset* (v. 33), occidendus erat Balaam : illa recte egit *declinando*, sed ille inique a via Dei *declinat.*

v. 36 « *Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum eius in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon* ». Cum cetera hic loca nominibus propriis efferantur (v. 39. 41; 23, 14. 28), accipe etiam hic nomen proprium *Ir Moab* seu *Ar Moab*, cuius situm archaeologi nondum definiverunt. Describitur ea urbs h. l. (cf. 21,15. 28) fuisse *super limitem Arnon*, i. e. secus illud flumen meridiem versus (21,13); et *in fine limitis*, quod secundum 20,16 videtur designare illum angulum, quo limites duo, septentrionalis (Arnon) et orientalis, desertum versus convergebant. Balaam, uti patet, non per tractum ab Hebraeis occupatum iter direxit. Balac honoris causa ei obviam perrexit ad extremos suos fines usque, qui tum ultra Ar Moab septentrionem et orientem versus non porrigerentur. Rex Moab non residebat in extrema hac suorum finium urbe (*Dillm.*), sed eo venit. v. 37 « *Dixitque ad Balaam : Misi nuntios, ut vocarem te : cur non* [*statim*] *venisti ad me?* » Cur recusasti? « *An quia mercedem adventui tuo reddere nequeo?* » *Hebr. : nonne profecto poteram te honorare?* Quae vox (cf. v. 17) non solam *mercedem* respicit. Erat dubio locus, utrum post tantas ab Amorrhaeis acceptas clades Balac par esset amplae mercedi pendendae. Videtur igitur Balac aliquam Balaami supponere avaritiam : unde tamen nondum efficitur Balaam v. 13 motivo avaritiae actus esse. Fortasse arioli tum aliique praestigiatores avari erant : quare Balaamum item

avaritia agi supponebat Balac. v. 38 « *Cui ille respondit : Ecce adsum* ». Tibi obsecutus sum. Rationem, cur non prius obsecutus sit, innuit, non fore in sua potestate responsum dare, quale Balac expetebat : « *Numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?* » *Hebr.* : *Numquid loqui potero quidquam*, pro placito meo et tuo? *Verbum, quod posuerit Deus in ore meo, illud loquar.* Non nominat Iahve hac vice, fortasse ne regem praesentem offendat. Sed cf. p. 257. v. 39 « *Perrexerunt ergo simul et venerunt in urbem, quae in extremis regni eius finibus erat* ». קרית חצות, quod verius *LXX* vertunt *urbs viarum*, quod plures eo fortasse viae convergerent : sed nomen utique versum est in nomen proprium *Qiriath Chuzoth. Sam.* קרית חיצות (*urbs murata*, cf. Ez. 13,10), *Syr.* קרית חצרות (*urbs coloniarum pastorum*). v. 40 « *Cumque occidisset Balac boves et oves, misit ad Balaam et principes, qui cum eo erant*, [*munera*] », portiones pacificorum, honoris et amicitiae argumentum.

IV. PRIMUM BALAAMI VATICINIUM NUM. 22,41-23,12.

Arg. — De monte Bamoth Baal Balaam partem populi contuitus, protestatur se non posse Israeli maledicere, cui Iahve non maledicat, imo quem speciali privilegio sibi prae gentibus elegerit, numeris constanter augendum, sorte fortunatissima decorandum.

v. 41 « *Mane autem facto duxit eum ad excelsa Baal* ». Cum *Syr.* retine nomen proprium *Bamoth Baal*, quod utique montis nomen est (cf. 23,14. 28). « *Et intuitus est extremam partem populi* ». Cum Qiriath Chuzoth fuerit certe ad meridiem Arnonis, sc. intra fines Moabitarum, et fortasse tum regni caput exstiterit, cumque sequenti, postquam eo pervenit Balaam, die deductus sit in Bamoth Baal, hic mons videtur haud procul abesse ab Arnon, aut meridiem aut septentrionem versus. *Extrema populi* est igitur populus hebraeus non totus, sed ea eius pars, quae pone exercitum remanserat, tractum ad septentrionem Arnonis occupaverat.

Cap. XXIII v. 1 « *Dixitque Balaam ad Balac : Aedifica mihi hic septem aras, et para* » *mihi hic* « *totidem vitulos eiusdemque numeri arietes* ». An fortasse e variis cacuminibus adiacentibus hunc ipse Balaam selegit, qui latissimum offerret aspectum operique videretur aptior? v. 2 « *Cumque fecisset iuxta sermonem Balaam, imposuerunt* » *Balac et Balaam* — *LXX* hic, uti v. 30, simpliciter *imposuit*, sc. Balac — « *simul vitulum et arietem super aram* » quamque. Haec sacrificia utique offeruntur vero Deo, cuius oraculum mox requirit Balaam, secundum ritum praemosaicum, qui apud gentes non erat

revocandus, invocato non nomine Iahve, quod esset Hebraeorum proprium, sed nomine El vel fortasse Baal, quod esset ibi adhuc veri Dei nomen, licet iam plurima cultui admisceretur superstitio. v. 3 « *Dixitque Balaam ad Balac : Sta paulisper iuxta holocaustum tuum* » ritu exspectantis, nam his sacrificiis vera virtus tribuitur oraculi a vero Deo impetrandi, « *donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus* », largiens « augurium » (24,1), « *et quodcunque imperaverit loquar tibi* ». *Hebr. : Et verbum, quod videre me fecerit, renuntiabo tibi.* Videtur Deus verba prophetiae non ipse prolocutus esse ad Balaam, sed menti eius *videndam* ostendisse oraculi materiam atque ita « posuisse verbum in ore eius », ut tamen ipsi delectus verborum, metrum etc. permitterentur. Cf. quae dicemus p. 298 sqq.

שׁפי, *Vulg. velociter, LXX Syr.* (cf. P. de Lagarde : Bibliotheca syriaca, Gottingae 1892) *recta*, *Chald. solus*, quae omnia utique sunt tentamina versionis tantum. שׁפי a שׁפה, decalvare, significat *collem calvum* seu *apertum :* cf. Is. 41,18; 49,9, ubi שׁפי valli opponitur; item Ier. 3,2. 21; 7,29; 14,6, ubi e שׁפי prospectus habetur, planctus exauditur, ib. pascua reperiuntur. Ergo *ivit in collem apertum*, utique ut *solus* Deo occurreret (*Chald.*), fortasse quod eiusmodi locus ad eum finem haberetur prae ceteris aptus (cf. *Cicero* de Officiis III. 16), aut quod eo item loco uti apud aras vates extrema populi valeret contueri, quibus esset aut maledicturus aut benedicturus. Cf. p. 264.

v. 4 « *Cumque abiisset velociter* », — corrige *in collem patentem* — « *occurrit illi Deus. Locutusque ad eum Balaam : Septem, inquit, aras erexi et imposui vitulum et arietem desuper* ». Numerus septenarius est sacer, vitulus et aries sunt victimae nobilissimae. Confidit omnino Balaam hoc ritu se propitium habiturum Deum; eum fortasse ritum ut efficacissimum a prophetis antecessoribus suis edoctus fuerat; Deus illum v. 5 ratum habet, nullam in eo carpens superstitionem; sacrificia offerebantur vero Deo, non daemonibus. v. 5 « *Dominus autem posuit verbum in ore eius et ait : Revertere ad Balac, et haec loqueris* ». v. 6 « *Reversus invenit stantem Balac iuxta holocaustum suum, et omnes principes Moabitarum* »; v. 7 « *assumptaque parabola sua, dixit :* » — Etiam prophetarum Israelis breviores aliqui sermones *parabolae* audiunt (Is. 14,4 sqq.; Ez. 17,2 sqq.; 24,3 sqq.; Mich. 2,4 sqq.; Hab. 2,6 sqq.) : non ergo infra illos prophetas deprimitur Balaam ideo (*Dillm.*), quod eius brevia eloquia parabolae dicantur.

a. Invitatus Balaam, ut maledicat populo, se id facere posse negat.

De Aram adducit me Balac
rex Moab, de montibus orientis :

Veni, maledic mihi Iacob,
veni et exsecrare Israel.

v. 8 Quomodo devovebo, quem non devovet El?
Quomodo exsecrabor, quem non exsecratur Iahve?

b. Descripta praeclara populi sorte, similem sibi sortem Balaam apprecatur.

v. 9 De vertice petrarum video eum,
de collibus contueor eum:
Ecce populus solus habitat
et gentibus sese non accenset.
v. 10 Quis computabit pulverem Iacob?
Quis numerabit posteritatem Israel?

Quam vere desidero mori morte iustorum,
tam vere cupio novissima mea esse ad instar illius!

Habes duas strophas maiores, quatuor et sex stichorum, quas excipiunt disticha. Res v. 7. 9 describit propheta iis verborum formis, quae rem simul ut praesentem et uti in futuro perduraturam exhibent. Confirmatur, quod modo dicebamus, communicasse Deum prophetae non singula verba, sed generalem oraculi ideam. v. 7 est enarratio historica; v. 9 ea fere refert, quae oculis conspiciebantur; v. 8 idem edicit, quod iam edixerat Balaam 22,38; v. 10[b] est desiderium e corde Balaam naturaliter scaturiens. Ideae stricte propheticae habentur v. 9[b]. 10[a], ubi ab iis, quae oculis conspicit, vates transit ad futura populi fata.

« *De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus orientis* ». Gen. 29,1 vocatur Haran « terra filiorum orientis »; Gen. 25,6 vocatur « terra orientis » desertum ad orientem terrae promissae; « mons orientis » Gen. 10,30 (29) videtur fuisse procul in extrema Arabia. « Filiis orientis » accensetur Iob 1,3; habitant Is. 11,14 in finibus terrae sanctae (cf. Ier. 49,28); cum Madian et Amalec Iud. 6,3 in terram sanctam irrumpunt; 3 Reg. 4,30 (5,10) sapientia antecellebat Salomo omnes « filios orientis » et omnes Aegyptios. Ex his vides nequaquam nos iuvari « montibus orientis » in Balaami patria definienda. « *Veni, inquit, et maledic Iacob; propera et detestare Israel* ». v. 8 « *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur?* » Recusat vates maledicere Israel; rationem addit, quod nequeat id facere; nequit, quia Deus id non facit, quo euphemistice innuitur Deum facere oppositum, bene-

dicere Israeli. Parallelismo exprimitur, Iahven eundem esse atque El, verum Deum, quem etiam Moabitae colant. Impotentia nervose exprimitur interrogatione : assignet Balac modum, quo maledictio efficaciter in eum pronuntietur, cui benedicit Deus.

Porro non solum non maledicit Israeli Balaam, sed eidem pro Iahve placito *benedicit*. Oculos igitur figit in extremis populi, quos de Bamoth Baal contuetur, et ait : v. 9 « *De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo illum* », de collibus et petris montis Bamoth Baal eum conspicio in planitie sua tentoria habentem. Ubi illud primum oculos percellit, populum esse *solum :* « *Populus solus habitabit et inter gentes non reputabitur* ». *Solus* per se non significat « securus » (*Vat.*) sed « segregatus » (*Bonfr.*). Populus quisque aliquo sensu est segregatus et a ceteris populis distinctus. Hic populus ita est segregatus, ut reliquis *gentibus non se accenseat*. Segregatus est sacris, connubiis etc.; segregatus, quia Deus eum segregavit, populus electus. Atque populum hunc unice electum contuitus Balaam benedictionem pronuntiat v. 10 : « *Quis dinumerare possit pulverem Iacob, et* [*nosse*] *numerum stirpis Israel?* » Divinam quippe in V. T. benedictionem imprimis constare numerosa prole, nemo ignorat. *Pulvis Iacob* per se non idem sonat atque posteritas Iacob, aliud quippe est semen vivum atque pulvis mortuus; sed *Iacob* appositio veluti est ad *pulvis :* ipse Iacob est pulvis, cuius posteritas quoad numerum pulveri comparabatur Gen. 13,16; 28,14. Sc. vatis oculus a praesente tempore iam transit ad futurum, atque ita *Iacob* et *pulvis Iacob* utique est ipsa posteritas Iacob (*Chald.*), quae nunc quidem numeratur Num. 1 et 26, postea non numerabitur 2 Reg. 24. « Extrema populi », quae 22,41 contuebatur Balaam, sine dubio non erant innumerabilia, sed posteritas Israelis erit *innumerabilis*. ומספר cum *LXX* divide : ומי ספר, *et quis numerabit?* את רבע (*Sam.* מרבע, fortasse מרבה). *Syr.* aliique vertunt : Quis numerabit *quartam partem* Israelis, ne dicam totum. Habet haec versio aliquid puerile. Quam emendat *Meignan* p. 503 interpretatus unum e quatuor trinarum tribuum exercitibus, quibus constabant Hebraeorum castra. Melius רבע interpretabere *quartam generationem*, abnepotes (Ex. 20,5; 34,7; Num. 14,18; Deut. 5,9), ergo universim *stirpem* (*Vulg.*), δήμους (*LXX*). Verborum hic fere est sensus, Israelem nunc quidem non esse innumerabilem (603,550!), sed tertia abhinc generatione futurum innumerabilem.

« *Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia* ». ישרים, *iustorum* non habet allusionem ad ישראל, similiter atque ישרון Deut. 32,15; 33,5. 26 (*Dillm.*). Vates non alludit ad

mortem populi, quia populus non moritur; neque singulorum (*Vat.*), quia de singulis non est sermo, neque singuli omnes tam beata morte sunt morituri : apprecatur sibi ipsi beatam mortem. At, quid haec ad contextum? Subordina prius membrum secundo : Quam vere mihi expeto beatam mortem, bonorum vitae maximum, tam vere etc. Credebat ergo vitam futuram Balaam, qua dempta iustorum mors fere est morte iniquorum miserior : quia hi fruebantur bonis terrestribus, illi magna ex parte illa abdicabant. *Novissima mea*, אחריתי non sonat idem atque mors mea, cum secus novissima populi essent mors populi. Non est *semen* (*LXX :* cf. Am. 4,2; 9,1 etc.), cum de posteritate Balaam textus sileat. Sed est generatim *finis* (*Chald. Syr.*), i. e. *universa futura sors*, quin distinguatur praesens vita a futura. Clarissima fata Israeli vates praenuntiat.

v. 11 « *Dixitque Balac ad Balaam : Quid est hoc, quod agis? Ut malediceres inimicis meis, vocavi te, et tu e contrario benedicis eis* ». v. 12 « *Cui ille respondit : Num aliud possum loqui, nisi quod iusserit Dominus?* » *Hebr : Nonne, quidquid posuerit Deus in ore meo, hoc debeo diligenter loqui?* Cf. Deut. 5,6; 6,3. Instantius insistit Balaam principio, quod 22,38 enuntiaverat : placito Dei adhaerendum est non solum universim, sed diligenter et quoad singula, nullo respectu habito etiam regis.

V. ALTERUM BALAAMI VATICINIUM NUM. 23,13-26.

Arg. — Balaam de campo Zophim aliam populi Israel partem contuitus proclamat El benedictionem semel datam non revocare, sed confirmare. Israel, comparatione certe Ammon et Moab, est insons, ergo neque maledictione visitandus, sed benedictione honorandus : conteret inimicos suos, quia Iahve Deus eius cum ipso est; certiorem gentibus (et Balaamo) Israel habet prophetiam, ideo plenam de adversariis nanciscetur victoriam.

v. 13 « *Dixit ergo Balac : Veni mecum in alterum locum, unde partem* » *tantum* « *Israel videas et totum videre non possis; inde maledicito ei* ». Expetit Balac maledictionem efficacem : at efficax non erit, si praecedente benedictione destruatur. Si maledictionem nunc pronuntiat Balaam e monte Bamoth Baal, in *eosdem* quos nunc conspicit et ante conspexerat, haec maledictio praecedente eorumdem benedictione solvetur. Si e loco aliquo, unde *totum* populum aspiciat, maledictio infirmabitur praecedente benedictione quorumdam. Ergo maledicat *parti*, et quidem a parte 22,41 *diversae*. Eam tum partem Moabitae armis aggrediantur et interimant. Superstitiose supponitur,

ut plenum maledictio effectum nanciscatur, ferendam esse in praesentes.

Censet *Dillm.*, verba *tantum extrema eius videbis, et totum non videbis* esse addititia; primitus eum fuisse narrationis progressum, ut de Bamoth Baal viderit Balaam partem populi tantum, de Phasga totum populum; voluisse porro R adiicere textui ex C narrationem actorum in monte Phogor, unde Balaam universa castra conspexerit; ergo illa verba adscripsisse, quibus obscuraretur gradatio inter acta in Bamoth Baal et acta in Phasga. Sed illa gradatio gratuito plane affingitur : ex nullo istorum montium potuit Balaam contueri omnes Israelitas per varia inter Arnon et Ieboc loca dispersos, est res physice impossibilis; neque 24,2 *omnes* videt, sed partem potissimam, castra, sanctuarium. — v. 14 pro *in locum sublimem* corrige *in campum speculatorum* seu *in campum Zophim :* effertur primum provincia, inde mons; Bamoth Baal et Phasga erant in diversis provinciis, sat longo itinere distabant ab invicem. *Calm.* censet quidem, speculatorum campum fuisse in ipso vertice montis Phasga, inde consuevisse speculatores prospicere. Sed obest, legi אל, non על;et historia loci nequit ita facile ex eius nomine proprio erui : potuit ille campus vocari speculatorum, quod aliqui aliquando speculatores ib. fuerint ab hostibus oppressi, vel alia de causa nobis ignota. — De *Phasga* habebatur prospectus in stationem 21,20, unde 22,1 excesserant Hebraei, et ubi fortasse aliqua eorum pars substiterat.

v. 14 « *Cumque duxisset eum in locum sublimem* », seu potius *in campum Zophim*, « *super verticem montis Phasga, aedificavit* [*Balaam*] » — omitte nomen et cf., quae dicebamus ad v. 2 — « *septem aras et, impositis supra vitulo atque ariete* », v. 15 « *dixit ad Balac : Sta hic iuxta holocaustum tuum, donec ego obvius pergam* ». v. 16 « *Cui cum Dominus occurrisset posuissetque verbum in ore eius, ait : Revertere ad Balac, et haec loqueris ei* ». v. 17 « *Reversus invenit eum stantem iuxta holocaustum suum, et principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac : Quid, inquit, locutus est Dominus?* » v. 18 « *At ille, assumpta parabola sua, ait* » :

Vaticinium, praemisso disticho invitatorio, quatuor habet tetrasticha.

Distichon invitatorium.

Assurge, Balac, et audi,
ausculta testimonium meum, fili Sephor.

a. Dei decreta sunt immutabilia.

v. 19 Non est homo El, ut mentiatur,
filius hominis, ut eum pigeat.

Quod dixit ipse, non faciet?
Quod locutus est, non implebit?

b. Benedictionem pro maledictione nanciscitur Israel.

v. 20 Ecce, benedictionem accepi :
benedictionem non revocabo.
v. 21 Non contueor nefas in Iacob :
ideo neque video laborem in Israel.

c. Israel habet ducem invincibilem.

Iahve, Deus eius, cum ipso est,
et iubilus regius penes ipsum :
v. 22 El, qui eduxit eos de Aegypto,
cornua bonasi sunt ei.

d. Israel habet meliorem prophetiam.

v. 23 Profecto, non est augurium in Iacob,
neque divinatio in Israel :
sed tempore statuto fit verbum ad Iacob,
et (innotescit) « certatori El » consilium El.

e. Israel triumphabit.

v. 24 Ecce, populus ut leaena assurgit,
et sicut leo se erigit;
non recumbet, donec devoraverit praedam
et sanguinem occisorum biberit.

« *Sta, Balac, et ausculta* ». *Hebr. surge.* Verba Dei stantem decet exaudire Iud. 3,20; Is. 32,9. Stabat iam Balac (v. 17), sensus igitur est : reverenter ausculta, o rex; loquitur is, coram quo reges decet assurgere. « *Audi, fili Sephor* ». Omittit *Vulg.* vocem עדי. Punctavere *Masor.*, ut sit idem atque אלי : audi *me.* Hic sensus non facile aptatur praepositioni עד. *LXX : testis meus*, quo solemnius ut auscultet Balac monetur. Optime *Syr. Chald. testimonium meum :* non sua loquitur Balaam, sed ut testis profatur verbum, quod Deus posuit in ore eius. בנו pro בן (h. l. et 24,3. 15; cf. Gen. 1,24) archaismus est, maiestatem addens sermoni.

v. 19 « *Non est Deus* [*quasi*] *homo, ut mentiatur; nec* [*ut*] *filius hominis, ut mutetur* » « in iis, quae absoluta voluntate decrevit »

(*Bonfr.*). *Hebr.* : ut de decretis doleat, ut eum poeniteat. Nervosius item : *non est Deus homo*, ipsa divina natura haec excluduntur. « *Dixit ergo, et non faciet? Locutus est, et non implebit?* » Belle haec obtruduntur Balaco, qui sperabat se priorem Dei benedictionem posse irritare : hoc uno versu edocetur, se hac etiam vice non maledictionem sed benedictionem esse nacturum.

v. 20 « *Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo* ». Vocatus quidem sum a Balac; sed professus sum non aliud me locuturum nisi Iahve placitum; a Iahve revera adducor (*Calm.*). Sed aliter punctavere *Masor. Chald.* : benedictionem *sumpsi*, accepi; accepta promulgo; inanis est praeter Dei placitum tam benedictio quam maledictio. Pro ברך *Sam. Syr.* לברך, ad quam lectionem revocari possunt *LXX Vulg.* In altero membro *Hebr. : et benedictionem* (largiar), *et non revocabo eam.* Pro וברך *Sam. LXX* אברך : *benedicam*, quae lectio auget orationis gravitatem. v. 21 « *Non est idolum in Iacob, nec videtur simulacrum in Israel* ». און non est *idolum*, sed *iniquitas, abominatio.* עמל non est *simulacrum*, sed *labor, afflictio.* Assonantiam, quam Hebr. quidem ignorat, habet h. l. *Syr.* עליא — עולא, et quadamtenus etiam *LXX* μόχθος (?) — πόνος. *Vulg. Chald.* similitudine quadam cum v. 23 decepti voces interpretati sunt de solis *idolis etc.* Concedi quidem potest, e mente Balaami און imprimis, sed non unice designare iniquitatem in re sacra admissam, idololatriam, superstitionem, prostitutionem sacram etc. *Hebr. : non aspexit* aliquis, *non vidit* aliquis; ergo : non est aspectum, non est visum. Sed *Sam.* אבים, *aspicio*, cui consentiunt *LXX Chald. Syr.;* et similiter legebant *LXX Syr.* אראה, cuius vocis א initiale post לא facillime excidebat. Reapse, uti v. 9, Balaam orditur ab iis, quae *ipse* videt aut non videt; duoque membra, uti v. 10[b], causaliter subordines : non video iniquitatem, et ideo non video afflictionem. Israel peccavit pusillanimitate, murmurationibus : sed gentibus comparatus, imprimis Moabitis et Ammonitis, est sine iniquitate, certe in sacris suis. Porro iniquitas et afflictio sibi correspondent, haec illius est poena : illa cum careat Israel, ab hac item carebit; non videt Balaam decretam a Deo contra Israelitas afflictionem, neque ad ipsum pertinet eam Israelitis maledictione attribuere.

Haec erant veluti praeambula quaedam, sequitur benedictionis pars potissima. Cuius summa habetur v. 24 : Israel conteret inimicos suos. Duo autem hanc victoriam efficient : Israel habet Iahven regem v. 21[b]. 22, et habet meliorem prophetiam v. 23. — « *Dominus Deus eius cum eo est* ». Ex dictis patet, sensum verborum h. l. non esse : « neminem praeter verum Deum colit » (*Bonfr.*). Iahve cum populo

suo est, in medio eius habitat in sanctuario, ut amicus et protector, suaeque praesentiae argumenta edit. « *Et clangor* [*victoriae*] *regis in illo* ». Praesentia regis non celebratur continuo *iubilo* (*Hebr.*), sed certis occasionibus, imprimis parta *victoria*. Est nunc ipsum inter Israelitas iubilus propter cladem Sehon et Og inflictam, potissimum vero (v. 22) ob gloriosam ex Aegypto exodum, isque iubilus portendit etiam futuras victorias (*Vat.*). Propter immediate praecedentia et sequentia vox *regis* omnino referenda est ad Iahven, non ad populum (*Cai.*), ut huic regia dignitas praenuntietur ideoque eius iubilus regius dicatur. Non respicit Balaam speciatim iubilum tubis editum (*Calm.*), nam castra, ubi tubae erant, non aspiciebat e monte Phasga, sed postmodum e monte Phogor. Quomodo porro, illo iubilo regio aera personante, potuit Balaam in Israelitas coniicere maledictionem? v. 22 « *Deus eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis* », seu verius *bonasi* (der Wisent), bovis illius immanis, ferocissimi, qui nunc etiam in sylva Bialowicza et in Caucaso reperitur, et ab heroibus assyris (*rimu* = ראם, in qua voce perperam *Chald. Syr.* subodorati sunt formam aliquam a radice רום derivatam) superabatur. Cf. *Schrader; F. Hommel:* Die Namen der Saügethiere bei den südsem. Völkern, Leipzig 1879, p. 227. 409. Comparatur Iahve animali omnium, quae novit vates, robustissimo, audacissimo, quod merito pertimescant bos Apis et Ammon aries. Cum *LXX Chald. Syr.* ita dissolvas participium : *El, qui eduxit eos de Aegypto*, et perge : *cornua bonasi sunt ei*, sc. deo El. Cf. Deut. 33,17; Iob 39, 9 sq. Memento, antiquos divinam et regiam auctoritatem repraesentasse cornubus, quae animalia gregum duces in fronte gerunt. Vides quam arcte v. 22 nectatur cum v. 21[b]. Deus rex Israel deos universos vincit robore et audacia, populo suo praeit ad proelium. Potestne Balaam populo maledicere, qui tali duce incedit?

v. 23 « *Non est augurium in Iacob, nec divinatio in Israel* ». כי non introducit rationem immediate praecedentium (*Dillm.*), sed novum generalis propositi argumentum. Balaam certe non proscribit *auguria* נחשים, ope quorum (24,1) ipse divinas nactus erat revelationes. Deficiunt haec Israelitas, non quod mala sint, sed quod melius quid illi habeant. Auguria et divinationes sunt valde incerta : post erectas septem aras et immolatas quatuordecim victimas eundum est vati, ut experiatur, an forte Deus illi occurrat. Israelitis melius est provisum : « *temporibus suis dicetur Iacob et Israeli, quid operatus sit Deus* ». « Cum res exiget et negotii magnitudo postulabit, a prophetis et pontificibus responsa certa edentur de rebus futuris » (*Bonfr.*). עת designat *tempus certum, definitum :* tempore suo

per Urim et Thummim, per prophetas Deus suam voluntatem Israelitis declarabit. — Noli jungere *dicetur Iacob et Israeli.* לישראל trahendum esse ad alterum membrum totus contextus clamat; constanter in his eloquiis propheticis *Iacob* et *Israel* parallele in bina membra distributa leguntur : v. 7. 9. 21. 23 bis; 24,5. 17 (24,18 sq. *Israel* praecedit *Iacob.*). Imo, extremo v. 23 membro luditur in nomine Israel : *dicitur... « pugili El », quid facturus sit El.* יאמר intelligere oportet de effato prophetico, de *oraculo;* verbum exprimit conditionem praesentem simul et futuram : hoc genus prophetiae apud Israelitas et est et erit. Animo revolvant haec Moabitae et Ammonitae. Dum ipsi oracula El operose exquirunt, rarius et incertius nanciscuntur, Israel, pugil iste El, suis temporibus edocetur *quid facturus sit El,* ergo omne consilium sui regis et ducis, qui in medio eius versatur. *Dillm., Wellh.* versum eliminandum iudicant non ob aliam rationem, quam quod eum non intelligant.

v. 24 « *Ecce populus ut leaena consurget, et quasi leo erigetur; non accubabit, donec devoret praedam et occisorum sanguinem bibat* ». Pugnabit feliciter et perseveranter (*Cai.*); id primi experti sunt cap. 31, qui Balaam arcessiverant. Redeunt imagines Gen. 49,9 adhibitae; sc. ad plenam repraesentandam victoriam bonaso aptior est leo, qui praedam et prosternit et devorat. Populus, meliorem nactus ducem melioremque prophetiam, utique de inimicis victor exsistet; caveant sibi Moabitae; hunc populum si aggrediantur, devorabuntur.

v. 25 « *Dixitque Balac ad Balaam : Nec maledicas ei nec benedicas* ». Ulteriores ne addas benedictiones; illud quippe de occisorum sanguine timet ne suos attingat Moabitas. v. 26 « *Et ille ait : Nonne dixi tibi, quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem?* » Mox autem abripitur Balac odio Hebraeorum et vesano desiderio alicuius tandem maledictionis obtinendae.

VI. TERTIUM BALAAMI VATICINIUM NUM. 23,27-24,14.

Arg. — De monte Phogor castra Israelis contuitus et spiritus impulsu illico abreptus Balaam, pro eo quo ab El-Schaddai insignitus est prophetiae charismate, castra Israel celebrat, ut sint veluti paradisus Iahve, leo rex et victor; qui maledixerit Israeli, in ipsum, ait, maledictio recidet.

v. 27 « *Et ait Balac ad eum : Veni, et ducam te ad alium locum, si forte placeat Deo et inde maledicas eis* ». v. 28 « *Cumque duxisset eum super verticem Phogor, qui respicit solitudinem* » ישימן (21,

20), illam sc. quae ex utraque parte Iordanis est, v. 29 « *dixit ei Balaam : Aedifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos eiusdemque numeri arietes* ». v. 30 « *Fecit Balac, ut Balaam dixerat, imposuitque vitulos et arietes per singulas aras* ».

Phogor, quod nomen Vulg. etiam *Phegor* scribit (cf. 25,3), teste *Eusebio* et *Hier.* (Onomast. 213. 46; 300.2; 123. 20) mons erat a monte Phasga diversus, qui conspiciebatur in ascensu Liviadis Hesebonem versus, prope montem Nebo. Prope erat locus *Bethphegor* Ios. 13,20 (Onomast. 103. 7; 233. 78). Numen *Beelphegor* 25,3 aut huic loco nomen dederat, aut ab eo nomen acceperat. Distabat autem locus sex milliariis a Liviade (Tell Râme). Gratuito igitur *Wellh.* (Die Composition des Hexateuchs, Berlin 1885, p. 111) adstruit Phogor eundem esse atque Phasga montem, quod uterque dicatur prospicere super ישימן : id sine dubio montes et colles bene multi in ea regione faciebant.

Cap. XXIV v. 1 « *Cumque vidisset Balaam, quod placeret Domino ut benediceret Israeli, nequaquam abiit, ut ante perrexerat, ut augurium quaereret* ». Ergo antea nondum perspexerat Balaam, Deum velle per omnia benedicere Israeli; non egerat mala fide; etiam post primam Israelis benedictionem foverat spem, se aliquam etiam suorum nacturum esse benedictionem; ubi secundo peracto experimento illud perspexit, sincere Dei placitum exsequi aggressus est. Porro benedictionem praesentibus collatam reputans fore efficaciorem : « *sed dirigens contra desertum vultum suum* » v. 2 « *et elevans oculos, vidit Israel in tentoriis commorantem per tribus suas et, irruente in se spiritu Dei* », v. 3 « *assumpta parabola ait* » :

Praemissis vatis titulis v. 3 sq. et themate vaticinii annuntiato v. 5, celebrantur Israelis laudes duabus strophis inaequalibus, quarum prior v. 6. 7[a] sex stichis Israel depingit ut silvam florentem, altera v. 7[b]. 8. 9[a] novem stichis ut leonem regem. Clauditur vaticinium disticho v. 9[b].

a. Vatis tituli.

Oraculum Balaam filii Beor,
oraculum viri cuius clauditur oculus,
v. 4 oraculum audientis verba El,
videntis visionem Schaddai,
qui ruit et aperiuntur oculi eius.

b. Vaticinii thema laudes Israelis.

v. 5 Quam pulchra tabernacula tua Iacob,
et habitacula tua, Israel!

c. Israel silva florens.

v. 6 Ut valles extentae,
ut horti irrigui,
ut aloe plantata a Iahve,
ut cedri super aquas :
v. 7 fluent aquae de ramis eius,
et semen eius in aquis multis.

d. Israel leo rex.

Et assurget fremens rex eius,
et elevabitur regnum eius.
v. 8 El eduxit illum de Aegypto,
cornua bonasi sunt ei.
Devorabit gentes sibi inimicas,
et ossa earum comminuet,
et medias confringet
v. 9 Si incurvatus cubuerit sicut leo
et sicut leaena, quis suscitabit eum?

e. Clausula.

Qui te benedixerit, benedictus!
Qui tibi maledixerit, maledictus!

« *Dixit Balaam filius Beor; dixit homo, cuius obturatus est oculus* »; v. 4 « *dixit auditor sermonum Dei* », i. e. *El;* « *qui visionem omnipotentis* », i. e. *Schaddai,* « *intuitus est; qui cadit et* [*sic*] *aperiuntur oculi eius* ». v. 4^{a} ignorat *Sam.*, sed habet idem v. 16, ubi eadem verbotenus fere repetuntur. Hac stropha describitur prophetiae processus (*Mar.*), qua fruebatur Balaam quaque item fruebantur (12,6) reliqui apud Israelitas praeter Moysen prophetae. נאם, *oraculum*, in Pentateucho legitur secus Gen. 22,16; Num. 14,28; habet secus adscriptam vocem *Iahve,* sed 2 Reg. 23,1 *David,* Prov. 30,1 *Agur* : ergo etiam h. l. adscripta vox *Balaam* non efficit, non agi de oraculo *divino.* שתם est ἅπαξ λεγόμενον. Verum, cum שתם et סתם significent *claudere, obturare,* reapse haec significatio cum *Vulg.* praeferenda erit alteri significationi *aperire*, e qua fortasse fluxere *LXX* ἀληθινῶς, *Syr. apertus* (eadem vox atque v. 4^{c}!), *Chald. pulchre.* Quae significatio certo argumento non demonstratur, efficitque tautologiam inter v. 3^{c} et v. 4^{c}. Porro *clausus oculo* seu, uti v. 4^{c} habet, *oculis* non

est intelligendum de naturali viri caecitate, cum nulla sit ratio adstruendae caecitatis, et Balaam iumentum ipse rexerit; neque de somno mere naturali, cum oracula videatur Balaam accepisse non noctu, sed mane post incensum holocaustum; sed de *somno ecstatico*. Primum claudebantur oculi eius, uti Gen. 15,12 thardemah cadebat super eum. In hac ecstasi mox audiebat non vocem tantum sed *verba El*, ergo distincte audiebat; *intelligebat cogitata Elion* v. 16, *videbat visionem Schaddai*, visionem inquam non repraesentantem Deum facie ad faciem, fortasse nullo modo repraesentantem ipsum Deum, sed solas res revelandas, futuram gloriam Israelis etc. Hac visione accepta *concidebat*, i. e. corruebat uti Saul et prophetae cum ipso 1 Reg. 19,24; exhaustus viribus relabebatur animo in thardemah illam, corruebat corpore, moxque *revelatis oculis* ad vitam communem redibat. Tandem secundum visionis habitae recordationem verba oraculi ipse efformabat. *El*, *Elion* (v. 16) et *Schaddai* poetice scribuntur ut unius Dei nomina synonyma, cuius revelationem Balaam cum auditu et visu interno (*audiens, videns*), tum mente (*intelligens* v. 16) percipiebat.

v. 5 « *Quam pulchra tabernacula tua, Iacob, et tentoria tua, Israel!* » v. 6 « *Ut valles nemorosae* », — Balaam contuens tentoria Israel per planitiem Iordanem versus effusa populum celebrat quatuor comparationibus a rerum natura petitis. *Hebr. : ut valles, (quae) extenduntur*, ergo *ut valles extentae*. נטיו pro נטו, cf. Deut. 32,37; 8,13. Supplendum vero esse a nobis relativum *quae* docet parallelismus cum sequenti נטע. Pulchre castra comparantur valli patenti. *Sam.* נטעי, *plantatae;* hinc *Vulg. nemorosae*, *LXX* ὡσεὶ νάπαι σκιάζουσαι, *ut nemora umbrosa*. Sed lectio videtur errore efficta esse ad instar sequentis נטע. Cum נחל etiam *rivum* designet, *Syr.* vertit *ut rivi diffluentes :* sed prima comparatio, uti tres sequentes, ab arvis petitur, non ab aquis. Ubi *Cai.* ad verbi significationem derivatam *inclinare* recurrit similitudinemque in eo deprehendit, Israelitas praecipite impetu velut torrentis in hostes ferri : at comparationes v. 6 totae quantae pacificae sunt — « *ut horti iuxta fluvios* [*irrigui*] », — celebrabatur modo castrorum *extensio*, celebratur iam eorumdem *iucunditas* — « *ut tabernacula, quae fixit Dominus* », — tabernacula tabernaculis comparari durum est. Cum illico in comparationem adducantur *cedri*, אהלים vertas non *tabernacula* (*LXX Vulg. Syr.*) sed *lignum aloes* (Prov. 7,17; cf. Cant. 4,14) : *Chald. aromata;* et נטע vertas non *fixit* (*LXX Vulg.*), sed *plantavit* (*Chald.*; cf. *Syr.*) : ergo *ut lignum aloes, quod plantavit Iahve*. Post iucunditatem celebratur *suavis odor* : en tibi paradisum, quem plantavit *Iahve :* quis evellet eum? — « *quasi*

cedri prope aquas », silva cedrorum, quarum arborum etiam odor laudatur, sed imprimis *celsitudo.*

v. 7 « *Fluet aqua de situla eius, et semen eius erit in aquas multas* ». דלי Is. 40,15 est *situla*, et ita h. l. vertitur etiam ab *Aq. Theod.*, intelligitque *Cai.* aquam sapientiae spargendam e situlis Israel, i. e. e libris prophetarum, in alias nationes : « et propterea eadem divina sapientia nomine seminis subiungitur spargenda in aquis multis, hoc est in populis multis ». Sed merito censet *Bonfr.*, hanc secundi stichi explanationem esse violentam, non posse *semen* intelligi idipsum, quod modo *aqua* dicebatur, et *aquam* modo significare sapientiam, modo gentes. Quare cum *Tost. Sa* utrumque stichum intelligit de numerosa posteritate. *Dillm.* censet, Israelem hic exhiberi tamquam virum gestantem duas situlas (*Masor.* dualem punctant) ex humeris pendulas, cui igitur praesto sint abundantes aquae. Tenuis sane est haec comparatio, si conferatur cum pulchris v. 6 imaginibus. — Vocis דלי tota significatio vix unico textu Is. 40,15 continetur. Tentantes *LXX* vertere *semen*, *Syr. Chald. filios*. Propius ad veritatem accedit *Symm.* παραφυάσιν, *id quod a latere excrescit.* Sc. דלה et דלל significant *dependere* ad instar ramorum (hinc etiam *situla*). Habetur porro Ier. 11,16 etc. pluralis דליות, *rami*, a singulari דלית (cf. *E. König* : Historisch-kritisches Lehrgebäude der hebr. Sprache II. 1 p. 168, Leipzig 1895). דלית autem est femininum nominis masculini segolati דלי, quod, ut alia nomina segolata, eadem forma et singularem et pluralem exprimit (*P. de Lagarde* : Uebersicht über die im aramäischen, arabischen u. hebräischen übliche Bildung der Nomina, Göttingen 1889, p. 150 sqq.). Ergo etiam דלי significat *ramum* et *ramos*. Cf. *E. W. Lane* : An arabic-english lexicon I. 909, London 1863, e lingua arabica adscribentem significationes *fructus penduli, uvae pendulae, palmites*. Significationem *rami* profitentur *Vat., Malv.* Verte : *fluet aqua de ramis eius, et semen eius erit* non *in aquas multas* (*Vulg.*), sed *in aquis multis* (*Vat.*); non enim scribitur ל, sed ב. Israel, arbor illa frondosa, aromatica, excelsa, humorem abundantem nanciscetur cum desursum, pluviam, tum deorsum, e « terra irrigua » (*Mar.*). Uterque humor item effertur Gen. 49,25; Deut. 8,7; 11,11; 33,13. Vides hanc imaginem aptissime excipere imagines v. 6 : celebrato silvae illius ambitu, iucunditate, proceritate, celebratur eiusdem *luxuries* et *foecunditas*. Imago applicatur primum Israeli, qui in castris a Balaamo conspiciebatur, cuius summa celebratur prosperitas; cum vero eiusdem *semini* (non radicibus) eadem fausta conditio praenuntietur, secundario etiam posteritatis multiplicatio adumbratur.

LXX Syr. Chald. messianum quid in hac sententia subodorati sunt. Vertunt igitur prius מים *homo* (*LXX Syr.*) vel *rex* (*Chald.*); alterum מים *LXX Chald.* deformant in עמים, hisque *populis* illum *hominem* vel *regem* praeficiunt *dominantem* (*LXX Chald.*). *Ramis* substituunt *semen* (*LXX*) vel *filios* (*Syr. Chald.*).

« *Tolletur propter Agag rex eius, et auferetur regnum illius* ». *Hebr. : et exaltabitur prae Agag rex eius, et elevabitur regnum eius.* ותנשא a significatione *elevabitur* (*LXX Syr.; Sam.* ותתנשא, *assurget in altum*) descendit ad alteram significationem *auferetur* (*Vulg. Chald.*): sed haec contextu excluditur, qui totus est in Israele extollendo. Agitur porro de *rege* aliquo : quis ille rex? num futurum Davidis et Saulis regnum praenuntiatur? Id esset omnino praeter contextum. Hebraei utique posteriores, deformata aliqua textus voce in *Agag*, textum retulere ad initia regni Israelitici, quando 1 Reg. 15 Saul devicit Amalecitarum regem Agag. Sed de Amalecitis h. l. non est sermo, uti neque de *Gog* (v. i.). Posset quidem מן in מאגג etiam ita accipi, ut significet non terminum comparationis, sed terminum a quo : inde ab Agag exaltabitur etc. Sed nullus ita conveniens sensus reperitur.

Pro מאגג *Sam. Aq. Symm.* מגוג, *prae Gog.* Ubi notat *A. Geiger* p. 366 sq., etiam in libro Esther semel LXX Amanum ex Agagaeo facere Gogaeum. Verum lectionem Sam. h. l. ortam esse non studiosa textus mutatione, sed eiusdem corruptione, docent *LXX* ἡ (vel ἢ) Γὼγ βασιλεία; pro מגוג legebant igitur הגוג; vocis מ initiale potuit oriri repetitione מ immediate praecedentis. Porro הגג = הגה significat Is. 31,4 *fremitum* (cf. 38,14; 59,11), quem edit *leo* super praedam suam. Lectio LXX praeferenda, quod una reddat sensum non absurdum, sed aptum.

Relicta igitur *nemoris* comparatione (v. 6. 7[a]), orditur vates comparationem *regis leonis* v. 7[b]-9[a] : *et assurget fremens rex eius*, leo eius, rex deserti : siquidem *rex eius* h. l. non intelligitur Saul, non *rex Israelis* a populo Israel distinctus, sed *Israel rex*, populus cogitatus ut rex, ut natio sui iuris. Non habent verba vaticinium Israelitas aliquando habituros reges : id praenorat Balaam, quod orientales perfectam rempublicam sine regia auctoritate ne concipere quidem valerent. Ille igitur rex leo *assurgit fremens*, ut consuevere leones conspecta praeda; neque incassum assurgit, nam *elevabitur regnum eius*. v. 8 « *Deus eduxit illum de Aegypto* », — ergo rex non est Saul, qui non est eductus de Aegypto — « *cuius fortitudo similis est rhinocerontis* ». Verba sunt eadem atque 23,22 : *cornua bonasi sunt ei*. Commodius igitur, uti ibi, referes ad El, cuius fortitudo describatur. Si referas ad leonem, habebis leonem cornutum : sed neque id officit, cum agatur de animali non vero sed allegorico, atque eiusmodi animalia

composita norint omnes orientis religiones (boves alatos etc.), et etiam Hebraei teste Ezechiele. « *Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, et perforabunt sagittis* ». Verba verte numero singulari. *Hostes* appositio sunt ad *gentes* (*Bonfr.*). Non solet praeda *sagittis* perforari, postquam *devorata* est eiusque *ossa confracta. Hebr.* non habet *sagittis* sed *sagittas*, verbi sensus non est *perforare*, sed *confringere*, quod non fit sagittis. חציו derives non a חץ, *sagitta*, sed a חצי, *medium*. Ergo : *Devorabit gentes sibi inimicas, et ossa earum comminuet, et medias confringet. Syr.* vertit *dorsum*, quem sensum חצא in lingua syra indubie habet. Et cur non eundem sensum habuerit vox apud Hebraeos, quin necesse sit pro חציו corrigere חלציו (cf. *D. H. Müller* : Die Propheten in ihrer ursprünglichen Form I. 214, Wien 1896)? Suffixum singulare refertur ad *gentes* cogitatas ut unam praedam; ita certe intellexit *Syr.*, itemque *LXX Chald.* Sat male habet, quem leo laniavit confractis ossibus : sed si eius insuper spinam confregerit, nulla superest defensionis et salutis spes. v. 9 « *Accubans dormivit ut leo et quasi leaena, quam suscitare nullus audebit* ». Placet cum *Vat.* prius membrum construere ut conditionem : *Si incurvatus cubuerit ut leo et ut leaena, quis suscitabit eum?* Terribilis est in hostes Israel : nolite, Moabitae, temere illum suscitare.

« *Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus; qui maledixerit, in maledictione reputabitur* ». Sibi, uti 23,10, bona apprecatur Balaam. Simul, uti antea, protestatur se non posse Israeli maledicere.

v. 10 « *Iratusque Balac contra Balaam complosis manibus ait : Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus e contrario tertio benedixisti* ». Cum Thren. 2,15; Iob 27,23; 34,37 *complosae manus* irrisionem exprimant et despectum, idem sensus h. l. erit adstruendus. Irrisio autem habetur in eo, quod iubeatur Balaam a *Iahve* sibi quaerere mercedem, pro quo, non pro Balac desudaverit. Tamen, licet ira abreptus Balac prophetae irrideat, non omnem prophetae exuit reverentiam : non vult ei occasionem praebere quarto benedicendi Israeli; censet trinam benedictionem infirmari haud posse; virum dimittit, ne sibi peius aliquid contingat (*Dillm.*); timet, ne tandem sibi (v. 9) maledicat. v. 11 *Et nunc* « *revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te : sed Dominus privavit te honore* [*disposito*] ». v. 12 « *Respondit Balaam ad Balac : Nonne nuntiis tuis, quos misisti ad me, dixi* » : v. 13 « *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero praeterire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo; sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar?* » Cf. 22,18. Culpam reiicit

in ipsum Balac, quod optata per prophetam non sit nactus. Sed non impune deridetur propheta, mulctatur promissa mercede, numen, cuius instinctu loquebatur, despicitur. Missa, quam hucusque servaverat, regis reverentia ironice et acerbe respondet Balaam. v. 14 « *Verumtamen pergens ad populum meum* » — orditur etiam ipse, uti v. 11 Balac, voce *Et nunc, ecce ego abeo ad populum meum;* ne timeas, ne diutius tecum sim mansurus. *Vade,* quae vox ironice opponitur voci Balac v. 11 *revertere :* ego tibi do veniam abeundi, sed prius nolens audies, quae mihi dicenda supersunt. Quartum vaticinium certe non ea mente (*F. X. Patrizi S. I.* : De interpr. Scr. S. II. 156, Romae 1844) prolocutus est Balaam, « ut Balaco solamen aliquod afferret » — « *dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore* ». Intelligunt hic aliqui consilium illud, quod postmodum dedit Balaam, Hebraeorum ad superstitionem pelliciendorum : at illud consilium h. l. certe non intelligitur, primum quia eius v. 15 sqq. nulla habetur mentio, secundo quia illud certe non respiciebat *extrema tempora.* Licet enim haec (cf. ad Gen. 49,1) non necessario semper protendantur usque ad finem mundi vel etiam messiae adventum, at certe non significant breve intervallum, quale intercessit inter haec oracula et superstitionem cap. 25. Praeterea contra Vulg. legunt omnes *quid populus hic faciat populo tuo*; et hoc ipsum v. 17 sqq. enarratur. *Chald.* (*consulam tibi, quid facias, et indicabo tibi, quid faciet etc.*) reapse in textum ingerit aliquid, quod in illo non est. Bene ait *Cai.*, non enuntiari consilii materiam, sed occasionem : consilium tibi dabo *quoad* ea, quae faciet etc. Sed redit quaestio, quodnam illud intelligatur consilium. Certe non illud de seducendis Hebraeis, cui cum extremis temporibus nihil est commune. Consilium reapse dat vates, quae alicui eventura sint, ei praenuntians : his sc. praecognitis facilius sibi prospiciet, ut, quam minimum fieri possit, ex illis detrimentum capiat. Ceterum loquitur Balaam ironice, discessurus offert non oraculum sed consilium, quaerenti praesens auxilium offert consilium pro extremis temporibus. Et tamen huic consilio, verius etiam quam praecedentibus, competit oraculi nomen; futurorum plura distinctius praenuntiat. Summa tandem ironia in eo cernitur, quod iam non Israeli solum benedicat Balaam, sed explicite Moabitis maledicat. Fert gravem suae ironiae poenam Balac. Nullis specialibus oblatis holocaustis gratis illam ipse nanciscitur.

VII. QUARTUM BALAAMI VATICINIUM NUM. 24,15-19.

Arg. — Hoc oraculum a Balac non petitum, nullis impetratum victimis profundit Balaam, pro suo ab El-Elion-Schaddai sibi concesso prophetiae charismate. Et oculis primum in Israelem intentis, praemonstrat eum aliquando fore clarum instar stellae, assurrecturum instar sceptri et subacturum Moab et Ammon, Edom et Seir.

Post recensitos vatis titulos verbis vix non iisdem, atque praecedente oraculo, hoc vaticinium distichis enuntiatur, tristicho clauditur.

a. Vatis tituli.

Oraculum Balaam filii Beor,
oraculum viri, cuius clauditur oculus,
v. 16 oraculum audientis verba El,
intelligentis cogitata Elion,
videntis visionem Schaddai,
qui ruit et aperiuntur oculi eius.

b. Vaticinii thema, fata futura.

v. 17 Video eum, sed non nunc;
contueor eum, sed non prope.

c. Stella et sceptrum.

Prodiet stella ex Iacob
et assurget virga de Israel,

d. Moab et Ammon.

et percutiet universum late Moab,
et suffodiet universos filios Seth;

e. Edom et Seir.

v. 18 et Edom possidebitur,
et possidebitur Seir, inimici eius :

f. Sceptrum praevalebit.

Israel autem robore crescet.
v. 19 Ei, qui de Iacob est, destinatum est, ut imperet
et disperdat reliquias Ar.

v. 15 « *Sumpta igitur parabola rursum ait : Dixit Balaam filius Beor; dixit homo, cuius obturatus est oculus* »; v. 16 « *dixit auditor sermonum Dei* », i. e. *El;* « *qui novit doctrinam altissimi* », i. e. *Elion*, — hoc uno membro addito, textus verbotenus idem est atque v. 3 sq. — « *et visiones omnipotentis* », i. e. *Schaddai*, « *videt; qui cadens apertos habet oculos* ».

v. 17 « *Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope* ». Verte *video*, *intueor*. Video visione prophetica (*Bonfr.*). Sensus esse potest : video nunc eum, qui nondum est; contueor praesentem, qui non est prope. Minime tamen : videbo eum oculis meis in valle Iosaphat, in die iudicii (*Tost.*); neque : videbo oculis posterorum meorum magorum; nam magos Matth. 2 fuisse e posteris Balaam nullo argumento probatur (*Bonfr.*). Potest vero sensus etiam esse hic : video eum, quem omnibus hisce vaticiniis praesentem contueor, *Israelem*, non secundum praesentem suam conditionem neque secundum proxime futuram, sed secundum conditionem, in qua erit novissimo tempore. Qui sensus magis conformatur indoli horum vaticiniorum, quae omnia a viso *Israele* procedunt (cf. 23,9 אראנו), itemque verbis v. 14 « quid *populus hic* faciat populo tuo », et contextui : qui enim contuetur stellam orientem ex Iacob, sceptrum assurgens ex Israel, una cum stella et sceptro contuetur etiam Iacob seu Israel. Id utique, quod potissimum intuentem percellit, est *stella* et *virga*, seu verius is, qui his imaginibus repraesentatur, sive is sit persona individua sive collectiva (*Reinke* p. 243 sqq.). Stellam hic scribi metaphorice tantum, nullamque revera stellam vatem contueri, patet ex adscriptis vocibus *prodit ex Iacob :* Iacob sane non est coelum, ubi illa stella oriatur; sed e Iacob generatione prodiet ille, qui imagine stellae exprimitur.

« *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel* ». Parallelismus docet, eandem esse *stellam* atque *virgam*. Ergo stella (*Bonfr.*) non est magorum stella, quae certe non designatur per virgam. Magorum stellam non esse necessario connectendam cum Balaami oraculo, vide apud *I. Knabenbauer* in Matth. 2,2 (p. 83). Stellae comparatur ille, quem Balaam videt, ob splendorem et dignitatem, virgae seu sceptro (Gen. 49,10) ob auctoritatem regendi et puniendi (*Reinke* p. 246 sqq.). Imagines hae non referuntur ad aevum iudicum, durante quo auctoritas erat valde incerta et coelum, si ita loqui fas est, plurimis nubibus obductum. Impleri haec coepta sunt non ante aevum davidicum. « *Et percutiet duces Moab* ». Item *LXX Syr. Chald.*; an aliud legerint quam Masor., nescimus. *Hebr.* habet פאתי, quod vertendum est *utrumque latus* (*Symm.* κλίματα) : percutiet ab uno

latere ad alterum (*Keil*), universam regionem. Agitur de exitiali Moabitarum clade. « *Vastabitque omnes filios Seth* ».

Verbum קרקר habetur item Is. 22,5 significatione *suffodiendi* (murum). Quae significatio etiam h. l. (c. *Dillm.*) non est inepta, si filii Seth supponantur habuisse urbes munitas; quorum suffodiuntur muri, ii certe penitius prosternuntur, quam quorum arces intactae servantur. De sensu verbi h. l. utique ambigebant versiones : *LXX* προνομεύσει, *vastabit; Symm.* ἐξερευνήσει, *explorabit; Chald. dominabitur; Syr. subiget. Sam.* legit קדקד : *confringet duo latera Moab et verticem filiorum Seth.* Pro qua lectione appellatur Ier. 48,45 : « In umbra Hesebon steterunt fugientes violentiam, quia ignis egressus est de Hesebon, et flamma de medio Sehon, et devoravit latus Moab et verticem filiorum tumultus ». Alludit propheta ad Num. 21,28 et, uti videtur, item ad 24,17 : tamen non interpretatur eos textus, sed suo consilio adaptat. « Potuit fieri, ut Ier. קרקר data opera mutarit in קדקד, sicut pro שת posuit שאון » (*Ros.*), pro פאתי item פאת, et בין vel בית pro קרית. Ergo neque Ier. 48,45 sufficientem suppeditat rationem praeferendae h. l. lectionis Sam., quae sapit emendationem textus obscurioris.

Filios Seth secundum textum Ier. interpretantur plures *filios tumultus :* שת = שאת, idem quod שאון. Verum, cum Moab, Edom, Seir, Israel, Iacob omnia sint nomina propria gentium, oportet item Seth esse nomen proprium et, cum Israel sit idem atque Iacob, Edom et Seir sint duae gentes fere iam in unam confusae, oportet Seth esse gentem aut eandem atque Moab, aut certe Moabitis iunctissimam. Igitur *Chald.* vertit *omnes filios hominum,* et *Cai.* aliique censent designari *totum genus humanum.* Id nequit admitti, primum quod sic non iam habeatur nomen unius gentis, quod tamen postulat contextus. Et quorsum v. 18 narretur clades Edomitarum, si v. 17 referebatur totum genus humanum prostratum iri? Num totum genus humanum praesidium tum quaerebat in urbibus munitis, quarum muri essent suffodiendi? Praeterea, explicandum suscepit Balaam, quid populo Moab, non toti generi humano, facturus esset populus hebraeus; non aeque longe prospiciebat Balaam atque prophetae hebraei, qui Messiae ad totum genus humanum quandoque rationem attingebant; ipsius mens inter Iordanem et Euphraten continebatur; quae ib. Moabitis usui essent, propalabat. Neque probabile videtur, Seth h. l. esse nomen gentis aut urbis cuiusdam nobis ignotae, cum cetera v. 17 sqq. nomina omnia sint notissima. Recole, quod modo dicebamus, requiri videri gentem Moabitis coniunctissimam. Erat profecto una gens, cuius nomen h. l. frustra circumspicitur, in qua haec prophetia aeque impleta est atque in Moab et Edom, quae Balaamum adduxit adductique iustam poenam tulit (Deut. 23,3); gens, inquam, Moabitis coniunctissima, ut quandoque una cum illis gens reputaretur (Iud. 11); gens, cuius in hac narra-

tione nomen ob rationes p. 257 sqq. statutas constanter supprimitur : *Ammonitae*. Hos sub nomine filiorum Seth latere censemus. At, quomodo hoc nomine appellari hi potuere? Erant primum revera e patriarcha Seth prognati, uti Noachidae omnes. Imo, ob aliam etiam rationem potuit Ammon, Loti prima proles, vocari Seth, i. e. positus (Gen. 4,25) : fuerat ille, utique per incestum, patri positus loco prolis masculae, qua secus misere cariturus erat pater. Aut potuit Seth esse antiquius vel rarius aliquod Ammonitarum nomen, vel nomen cuiusdam eorum herois : quo nomine h. l. appellentur, quod s. narrator decreverit a describendo Ammonitarum nomine temperare. Adverte tandem 21,24. 32 referri Iazer fuisse urbem Ammonitarum munitam, quam non valuerint Amorrhaei subigere : fortasse Ammonitae habebant urbes munitas plures, ut apte h. l. dicantur earum muri *suffodi*. — Est etiam alia vocis שת significatio ; ea 2 Reg. 10,4 ; Is. 20,4 designat *podicem*, quae particularis significatio revocatur ad generaliorem *id, quod infimum est*. Unde in lingua syra ei voci tribuuntur significationes *carina navis, alveus maris*. Cf. *G. H. Bernstein* : Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft IX. 872, Leipzig 1855. Ergo *filii* שת = gens infima, abiectissima, nomen congruens Ammonitarum genti, imprimis ob acta Balaam, Hebraeis perquam exosae. Utique nomen hoc sensu non Balaam inseruit vaticinio, sed post ipsum Hebraeus aliquis.

v. 18 « *Et erit Idumaea possessio eius, haereditas Seir cedet inimicis suis* ». *Hebr. : Et Edom fiet possessio*, ab Hebraeis possidebitur, *et possessio fiet Seir, inimici eorum*. Pro Seir *Sam.* עמו, *populus eius :* sc. Seiritae a posteris Edom subacti, plebs erant, illi classis nobilium. *Inimici eorum* non refertur ad *Edom*, quasi Edomitas et Seiritas inter se contendentes ambos subacturi sint Hebraei; sed ad *Israel :* Edomitae et Seiritae ambo erunt Israelitarum hostes, ideoque ambo cedent in Israelitarum potestatem. Cum vero Deut. 2,5 sqq.; 23,7 Deus Edomitas Hebraeis commendet ut fratres, patet futuras illas *inimicitias* ab ipsis Edomitis in Hebraeos esse profecturas (*Reinke* p. 269 sqq.). « *Israel vero fortiter aget* », *Hebr. faciet robur,* i. e. *Syr. robur acquiret* per repetitas victorias, et hinc etiam *proficiet opibus* (*Chald.*). v. 19 « *De Iacob erit, qui dominetur et perdat reliquias civitatis* ». Forma verbi iussiva exprimitur haec oraculi clausula : Decretum est a Iahve, ut, *qui de Iacob est*, stella illa seu sceptrum, *dominetur et disperdat relictos Ar*. Etenim עיר est ער מואב, urbs Moabitarum caput : *Moab* v. 17 primus recensebatur eorum, qui essent subigendi : nomen *Ar* oraculum claudit. Intelligat hoc Balac, in bello contra Hebraeos non esse Moabitis spem. Non solum Moabitas

subiget Israel, sed potietur ipsa urbe Ar; disperdetur regnum et urbs usque ad ipsas *reliquias*, nihil relinquetur, nulla spes.

VIII. VATICINIORUM INDOLES MESSIANICA.

Antequam quatuor vaticiniorum sensum penitius rimemur, eorum nobis summam ob oculos ponamus. Igitur primum vates, *videns* Israelis subiecta tentoria, populi electi et a gentibus segregati, eius futura incrementa et clarissima fata adumbrat. Secundo, *videns* Israelem et *non videns* in Israele nefas, eum ab infortunio immunem futurum proclamat : Iahve Deus eius in medio eius moratur, prophetiam Israel habet meliorem prophetia gentium, sicut leo decertabit et vincet. Tertio, Israelem *coram contuitus* describit instar paradisi Dei : decertabit et vincet uti leo rex. Quarto, profitetur se *videre* Israëlis novissima : semen Iacob, imaginibus stellae et sceptri expressum, dominabitur et plenam nanciscetur victoriam de Moab et Ammon, Edom et Seir.

Ex his primum collige, omnia Balaam vaticinia (cf. 24,20 sq.) proficisci ab iis, quae ipse *oculis videt;* indidem infer eum, quem 24,17 *videt* Balaam, eundem esse, quem *viderat* 23,9 et universim per tria priora vaticinia, non solum Messiam sed *Israelem.* Quem sensum egregie confirmant verba Balaam 24,14, velle se edocere Balacum, quid novissimis diebus *populus hic* facturus sit Moabitis. Priora tria vaticinia describunt Israelis statum *praesentem et proxime futurum,* quartum describit statum *novissimum.* Si ergo priora illa aevum davidicum complectuntur, veri simillimum est quartum vaticinium ultra idem aevum porrigi.

Vaticinia in duos distribuuntur binarios. Priora duo ad Balac diriguntur, eum carpunt quod, quibus Iahve benediceret, iis maledictionem ipse intentasset, atque inde ad laudes transeunt Israelis. Posteriora duo, ignorato Balac sed recitatis solemniter vatis titulis, secundum formam etiam tota quanta sunt vaticinia.

In quatuor vaticiniis eaedem gradatim ideae evolvuntur. Primum concinne annuntiat futura populi incrementa eiusque universim gloriosa fata (23,10). Secundum haec fata eorumque rationes explicat : sc., cum populus Iahven habeat ducem et meliorem gentibus prophetiam, aget et triumphabit instar leonis. Tertium in paradisi illius luxuria et foecunditate populi rursum incrementa celebrat, sed imaginibus longe illustrioribus quam 23,10; repetitur imago leonis, sed is iam exhibetur ut leo rex. Quartum vaticinium pro leone habet stellam, sceptrum; pro leonis praeda quatuor nationum clades dis-

tincte praemonstratas. Est igitur insignis eorum vaticiniorum *unitas*.

Licet porro in iisdem habeantur plura antiquiorum oraculorum affinia, non tamen sufficiens nobis est ratio affirmandi, antiquiora illa oracula Balaamo ante innotuisse.

Cum 23,10 « Quis computabit pulverem Iacob? » cf. promissionem Abrahae factam Gen. 13,16 : « Faciam semen tuum sicut pulverem terrae ». Tamen comparatio numerosae prolis cum pulvere terrae tam obvia est, ut eam potuerit Balaam effingere prioris oraculi ignarus. Idem dic de comparatione principatus cum « virga » 24,17 et Gen. 49,10. Neque mireris, accolas deserti principem vel populum comparare « leoni »; habetur tamen hic convenientia non rei tantum, sed verborum :

Gen. 49,9	כרע רבץ כאריה וכלביא מי יקימנו	Num. 24,9	כרע שכב כארי וכלביא מי יקימנו

Adde Num. 23,24 כלביא יקום וכארי. Inferat hinc aliquis, Balaam novisse vaticinium Iacobaeum. Tamen id non censeo necessario esse concedendum. Comparatur quippe aptissime unus principatus leoni *vel* leaenae, sed minus apte leoni *et* leaenae. Quod igitur utrumque simile tribus illis locis afferatur, potuit inde esse, quod comparatio illis verbis expressa esset apud omnes illos Semitas usitatissima, haberetur fortasse in antiquis quibusdam canticis sive sacris sive profanis, unde eam iisdem verbis mutuati sint cum Iacob tum Balaam. Nolim igitur aeque confidenter atque *Meignan* p. 509 sqq. affirmare, novisse Baalam vaticinia inde ab Abrahamo Hebraeis facta.

Tria priora vaticinia nihil habent, quod *specialis divinae revelationis* Balaamo factae sit argumentum. Norat Balaam id Iahven decrevisse, ut Israel benedictionem nancisceretur : benedictionis autem necessariae partes erant numerorum incrementa, rerum florens conditio, victoria de hostibus reportanda. Haec igitur Balaam verbis et imaginibus celebrat suis, non necessario a Deo sibi suggestis : praeter illam generalem benedicendi voluntatem, non erat quod Deus Balaamo novum in hisce specialius revelaret. Norat praeterea et valde summatim indicat Balaam miracula exodi : haec sc. omnes circum gentes admirantes didicerant (Ex. 15,15; 18,1; Ios. 2,9 sqq.; 9,9). Norat nomen Iahve : illud quippe (*Meignan* p. 514) didicerat simul cum miraculis exodi, agnoverat numen horum miraculorum auctorem esse verum Deum, quem ipse nominibus El, Elion, Schaddai invocabat. Compertum habebat Moysis propheticum charisma excellentius esse charismatibus aliorum prophetarum hebraeorum ideoque item gentilium. Nihil erat in his, quod specialem divinam requireret revelationem.

At quartum vaticinium habet veri nominis prophetiam, quae e divina revelatione fluxerit necesse est. Illustriores stellae et sceptri prae leone imagines videntur illustriora Israelis extremo quam proxime futuro tempore fata praesagire; annuntiatur victoria non de inimicis

universim, sed de certis quibusdam gentibus reportanda; videtur his gentibus indici clades exitialis, Israeli permanens triumphus.

Quatuor igitur vaticinia invicem comparata praesignant *regnum inter Israelitas aliquando stabiliendum.* Perfectam rei publicae conditionem antiqui illi non norant aliam nisi *regiam,* quae summam haberet unitatem auctoritatis et potestatis; ad quam ipsi aevi mosaici Hebraei, sibi a Iahve praemonstratam (Ex. 19, 6) aspirabant. Uti secus apud gentes dii concipiebantur regiam auctoritatem habentes, ita 23,21 Iahve describitur tamquam rex iubilo regio salutatus; atqui deorum regum vicarii censebantur reges humani. Igitur Balaam florentem rei publicae hebraeae futuram describens conditionem, Iahven exhibens ut regem Deum in medio Israelis residentem, praesagit regnum aliquando stabiliendum. 23,24 populum exhibet ut leonem, at eundem 24,7 describens ut leonem regem praemonstrat futuram in populo regiam auctoritatem. Eandem praemonstrat *sceptrum unum* in populo tum tredecim tribuum sceptra seu virgas habente. Sceptrum symbolum est auctoritatis potissimum regiae. Magis etiam quam leo, *stellae* imago alte super universam regionem eminentis regem adumbrat. Rex antiquitus idem erat *belli dux :* insignes victoriae 23,24; 24,8 sq. 17 sqq. fere supponunt exercitum omnibus numeris absolutum, sequentem individui ducis i. e. regis imperium. Porro stella dicitur *proditura* esse ex Iacob, sceptrum *assurrecturum* de Israel : quae expressiones possunt quidem totam unam aliquam generationem e patriarcha progignendam designare, sed planius accipiuntur de una aliqua persona vel personarum serie. Cui sensui magis etiam favet 24,19 : « Ei, qui de Iacob est, destinatum est ut imperet ».

Tamen *non solum regnum davidicum politicum* praesignatur. Davidis de Moabitis victoria vera quidem fuit, sed non permanens. (*Reinke* p. 203). Certe non perdidit David « reliquias Ar », quae Mesa rege refloruerunt. Victorias regum Iuda exprimi 23,24; 24,7 sqq. facile concesserim : at hae non erant futurae neque completae neque permanentes; spectabant tempora proxime futura, dum victoria 24, 17 sqq. respicit novissima tempora.

Simul cum regno politico praesignatur *regnum davidicum spirituale et messianicum* : illud unum habet victoriam permanentem, regni conditionem maxime et perenniter florentem. Messias revera est stella prodiens ex Iacob, sceptrum assurgens ex Israel, dominator gentium, ipse plena et permanente victoria omnes subiectos habet.

Dices, « tempus novissimum » intelligi tempus dominationis Assyriorum, quo tempore perierint « extrema Amalec » (?), captivi abducti

sint Cinaei. 24,20-24 non videntur nobis aeque indubie esse oracula divina, atque illud 24,15-19 : non praemittuntur verba, qualia leguntur 23,4. 16; 24,1. 3 sq. 15 sq. quaeque ostendant oraculum a Iahve Balaamo inditum esse; sed potuere oracula 24,20-24 reapse esse humana edendorum vaticiniorum tentamina. Si tamen divina esse supponantur, adverte « tempus novissimum », uti alias apud auctores inspiratos, plura complecti tempora, quae vates per modum unius contueatur : tempus dominationis Assyriorum, dominationis Graecorum et Romanorum, tempus messianicum. Cf. quae dicemus ad 24,23.

Perpendebamus hucusque quatuor una vaticinia : de quarto porro pensandum nobis est, qua ratione illud sit messianicum. Ubi omnino praeferendam censemus sententiam, quam post *LXX Targ. Syr.* tenuere plerique, quartum vaticinium esse *directe et unice messianicum,* stellam et sceptrum solum demonstrare Christum. Rationes asserti ipse commentarius supra traditus suppetit, praeter quem perpendas argumenta, quae contra sententiam proxime discutiendam proferemus.

Tenet ea, quartum vaticinium esse *de universo regno davidico una cum Messia.* Cf. *Reinke* l. c. p. 200 sqq. Stella, sceptrum sunt reges omnes a Davide ad Messiam usque. Hostes prosternendi sunt cum Moabitae etc., tum adversarii Messiae quilibet. Contra quae attendenda sunt sequentia.

1. Regnum apud Hebraeos aliquando futurum iam tribus prioribus vaticiniis enuntiatur idque, uti crediderim, Balaam non per distinctam propheticam revelationem edoctus est, sed ex idea benedictionis Israeli concessae legitime evolvit : eiusmodi enim benedictionis necessariae partes erant numerorum incrementa, florens rerum conditio, victoria inimicorum, perfecta politica auctoritas. Ergo cum prioribus iam vaticiniis regnum celebretur, v. 17 commode hoc sensu accipitur : Ex isto regio Israel tam numeroso, florente, armipotente orietur stella, Messias.

2. Gratuito supponitur Balaam compendium veluti futurae Hebraeorum historiae tradidisse Moabitis. Ammonita ipse tradebat oracula a Deo sibi pro Moabitis commissa. Porro constat Deum *duo* voluisse per Balaamum Moabitas edocere : *benedictionem,* quam habiturus esset Israel, et *Messiam* venturum. Haec certa sunt, reliqua gratuito affinguntur.

3. Regnum davidicum fuit magni momenti res pro Hebraeis, sed non fuit tanti momenti res pro Moabitis. Fuit quidem gloriosissimum regnum Davidis et Salomonis; sub quorum successoribus non tanto-

pere floruere Hebraeorum res, fuit regnum divisum, reges saepe ab hostibus, etiam a Moabitis sunt superati, facti sunt tributarii, Hebraei inde ab exsilio regibus diu caruere. Gratuito supponitur huius regni gloria tam varia et incerta debuisse a Balaamo describi distinctius, quam id prioribus tribus vaticiniis factum est. Neque valet analogia petita a prophetis hebraeis, qui una celebravere regnum davidicum et messianicum : hi quippe Hebraei prophetabant pro Hebraeis, Balaam Ammonita pro Moabitis.

4. Dices, expressiones v. 17 sqq. commode posse etiam de regibus intelligi. Sane rex quilibet potest « sceptrum » vocari. Successorum Davidis plures vix dici possunt fuisse « stellae », erant utique stellae valde exiles et obscurae. Regum nullus perdidit « reliquias Ar ». Ceterum ratio illud ad summum efficit, expressiones de se *posse* etiam de regibus accipi, non vero *debere,* idque tanto minus, quod id contextus nullatenus suadeat.

5. Dices, contextum omnino exigere, ut v. 17 sqq. agatur de cladibus ipsis Moabitis etc. infligendis : atqui, si stella sit solus Messias, illa gentium nomina non iam individuas illas gentes designant, sed inimicos omnes regni messianici. Nego minorem. Vera est propositio : Messias subegit omnes gentes. Vera est altera propositio : Messias subegit Moabitas etc. Hoc altero particulari sensu accipiendos esse v. 17 sqq. docet contextus; non ideo tamen negatur Messias alias etiam gentes esse subacturus. Porro prostrati sunt Moabitae et Ammonitae, quando providente utique Deo primis saeculis christianis desiere esse populi et ab Arabibus absorpti sunt. Edomitarum magna pars ad Messiam conversa facta est « possessio » eius.

6. Dices, v. 17 sqq. sonare omnino minas in Moabitas etc. : atqui, si verba potuere impleri *conversione* ad Messiam, non erat minis locus; summa illis gentibus offerebatur benedictio. Respondeo, verba v. 17 sqq. esse *vera,* sicut vera sunt aliorum prophetarum eloquia, quibus depingitur Messias gentes omnes bello subacturus esse; verba proxime ad eum finem proferebantur, ut Moabitas Moysis aequales ab adoriendis Hebraeis cohiberent, et ad eum finem erant *aptissima,* licet eum non plene sint assecuta. Balac ea non intellexit, uti neque ipse Balaam, quod eius posteriora acta suadent : sc. hi videntes non videbant, audientes non intelligebant. Haud profuit Balaco « consilium » v. 14 datum, cuius intimum sensum non est assecutus.

Ergo repudianda est sententia *Maimonidis,* stellam esse *solum Davidem* (cf. Reinke l. c., p. 194 sqq. 286 sq.). Item sententia quorumdam (cf. ib. p. 198 sqq.), vaticinium esse *typice messianicum,* stellam esse Davidem qua typum Christi. Neque quatuor vaticinia

describunt quatuor aetates populi Israel : aetatem Abraham, quando Israel segregabatur a gentibus et numerosa promittebatur posteritas; aetatem Moysis, quando Iahve in medio populo coepit habitare; aetatem ab ingressu terrae sanctae ad Christum; aetatem a Christo ad destructam Ierusalem. Quam sententiam, speciosiorem quam veriorem, post *Miegium* (Diss. de stella et sceptro bileam. § 11, in Hasaei et Ikenii Thesauro) defendebat *Patrizi* l. c. p. 152 sqq.

IX. BALAAMI ORACULA TRIA MINORA NUM. 24,20-25.

Arg. — Prohibuerat Balaamum Deus, ne Israeli malediceret; non vetuerat, ne in alias gentes maledictionem coniiceret. Eam igitur tenuem Balaco consolationem concedit Balaam, ut Cinaeis maledicat, Hebraeorum pedissequis atque per desertum exploratoribus; item Amalecitis, quorum aliqui prope Hebraeos videntur fixisse tentoria atque eorum quodammodo partibus adhaesisse. Tandem universalem quamdam ruinam praenuntiat : Asia anterior primum ab orientalibus subiugabitur, dein orientales ab occidentalibus prosternentur, tandem hi etiam peribunt.

Scimus, *Cinaeos* filios Hobab Moysis agmini adhaesisse (10,29 sqq.; cf. Iud. 4,11; 1 Reg. 15,6), quibus ipse utebatur per desertum exploratoribus. Sed hi fortasse non ita norant regionem transiordanicam : quare deficiente Beerae columna nubis et ignis videtur Moyses sibi adiunxisse *Amalecitas* aliquos duces itineris. Fortasse etiam hi sponte Hebraeis adhaerebant, praedam agentes etc. Non sunt necessario supponendi fuisse multi, sed pauci illi conspecti Balaamo occasio fuere oraculi in totam Amalecitarum gentem ferendi. Similiter neque cogimur oraculum v. 21 sq. de solis Cinaeis Hobabi sociis interpretari, sed possumus ad Cinaeos quosvis extendere. An forte Madianitae omnes erant de stirpe Cin? *Assur* v. 22. 24 accipi potest vel pro solis Assyriis vel pro orientalibus generatim (Assyriis, Babyloniis, Persis), ita ut sit perfecta oppositio inter *Assur* et *Cetthim*, qui sunt occidentales universim.

Oracula reapse impleta esse videntur. Amalecitarum res concidere. Cinaeos, quo tempore tot aliae circum gentes a Transeuphratensibus opprimebantur, captivos esse abductos veri simillimum est. Regna orientalium subversa sunt ab occidentalibus, Graecis et Romanis, quorum regna similiter periere. Licet porro haec oracula impleta esse videantur, sunt tamen de iis rebus, quas coniectura facile quis effingere potuit; neque, quod edita sint permittente Deo, sequitur edita esse eodem inspirante. Futura Amalecitarum clades non erat nisi

pars fatorum Gojim, qui Semitis primatum praesciebantur esse cessuri. Coeptae sunt vel ante Balaamum (Chodorlahomor) Mesopotamiorum in Palestinam incursiones, in quibus mox Assyrii Babyloniis audaciores se exhibuere : facili coniectura definiri poterat, in his Cinaeos non permansuros incolumes. Pronum erat Amalecitarum et Cinaeorum maledictionibus adnectere maledictionem orientalium : a quo autem hi erant superandi, nisi ab occidentalibus? a quibus occidentales, nisi a gente quadam anonyma? Ergo coniecturis sat planis haec minora oracula effingi potuere.

Si ergo quis obiiciat, v. 23 sq. praedici universalem orientalium cladem, cui Hebraei etiam sint implicandi, primum ei demonstrandum erit, v. 20-24 esse veri nominis prophetiam ; quod quamdiu ipse non demonstraverit, non habetur efficax contra veram v. 15-19 prophetiam exceptio. Neque eandem habebis, si v. 20-24 adstruas veri nominis esse prophetiam. Etenim Balaami oracula sequuntur oculorum obtutum. Israelem contuitus (cf. 22,41 ; 23,13 ; 24,2) fata Israelis atque gentium Israeli infensarum explicat, videt futuram Israelis gloriam, stellam et sceptrum. Ubi ab Israele oculos alio convertit, iam neque Israelis fata ultra contuetur : visa v. 20-24 a praecedentibus omnino seiungantur oportet. Ab Israelitis oculos convertens v. 20 ad Amalecitas atque v. 21 ad Cinaeos, horum, non Israelitarum fata v. 20-24 revelat. De nomine *Heber* v. 24 v. i. Contuetur igitur Amalecitarum et Cinaeorum futuram ruinam; in qua imagine procul « in extremo tempore » discernit Assur opprimentem Cinaeos, Cetthim opprimentes Assur etc., Cetthim ipsos oppressos ab adversario quodam, cuius tanto futurorum temporum intervallo neque nomen neque origo discernitur. Coram oculis vatis remotissima speculantis confunduntur omnia, corruit ipse (cf. 24,4. 16) atque vitae communi ab ecstasi redditus abit in locum suum. Visio profecta a fulgentis stellae aspectu desinit in universalis cuiusdam Thohuvabohu confusionem.

v. 20 « *Cumque vidisset Amalec, assumens parabolam ait* » : — A *visis* futuris redit vates ad *visionem* praesentium : is enim est obvius sensus verbi *videre* v. 20 sq., uti 22,41 ; 23,13 ; 24,2. Videbat Balaam de monte Phogor subiecta Amalecitarum et Cinaeorum tabernacula — « *Principium gentium Amalec, cuius extrema perdentur* ». Est evidens lusus inter ראשית et אחרית : videndum an lusus sit in solis vocibus, an etiam in earum significatione. Non opponitur principium Amalec extremis Amalec, sed principium gentium extremis Amalec. *Principium gentium* certe non est idem, atque *principium bellorum Israel* (Ex. 17) contra gentes (*Chald.*). Amalecitas vocari principium gentium (*LXX* ἀρχή), quod aliae gentes ex Amalec ortum duxerint

aut antiquitate ab Amalecitis superentur, facilius affirmabit quis quam probabit. Verte *primitias* : primitiae autem illud etiam vocatur, quod in suo genere est optimum (1 Reg. 15,21; Am. 6,6). Amalec porro non dicitur primitiae omnium omnino gentium, sed earum quae circa Moabitiden sedes haberent; imo neque hae omnes necessario ea expressione includuntur. Postmodum גוים cum aliquo despectu designabat *gentes non e semine electo* derivatas : cur non vox eundem iam habuerit, antequam semen electum ad Hebraeos restringeretur? cur eundem non servaverit in ore Balaami? Crediderim igitur vatem Moabitas, Ammonitas, Edomitas, Aramaeos utpote Semitas stirpi excellentiori (Gen. 9,26; cf. 14,1) accensuisse, Amalecitas inter Gojim seu non semitas relegasse. Earum igitur gentium non semitarum, quae prope Moabitas incolerent, Balaam Amalecitas pronuntiat esse nobilissimos, ob rationes nobis iam non ita perspicuas. — אחרית h. l. significat *posteritatem* (Am. 4,2; 9,1; Ps. 108 [109], 13, *LXX* σπέρμα), eos sc. qui *extremo tempore* victuri sint. עדי אבד hic uti v. 24 oraculum claudit : *usque ad perditionem*. Constructio dura, haud ferenda. *Sam. Chald. Syr.* עד יאבד, *in aeternum perdetur* (cf. Is. 57,15); neque obest forma verbi masculina, cum *posteritas* sensu, etsi non terminatione, sit masculinum quid. *LXX Vulg.* simpliciter vertunt *peribunt*. Sensus est :

Primitiae Gojim Amalec,
cuius posteritas aeternum peribit.

v. 21 « *Vidit quoque Cinaeum et, assumpta parabola, ait : Robustum quidem est habitaculum tuum* ». Oppositio est inter איתן, *perpetuus*, hinc *robustus*, rerumque vicissitudinem v. 22 descriptam. Crediderim Balaam de monte Phogor conspexisse Cinaeorum in aliqua rupe fixa tentoria; certe ipsi, uti etiam Amalecitae, seorsim ab Israelitis castra posuerant, quorum castra secundum tribus disposita alienos admitti non patiebantur. Lusus est aliquis inter מושבך et תשבך, licet illud a radice ישב, hoc a radice שבה repetatur. « *Sed, si in petra posueris nidum tuum* », — nulla est ratio cum *LXX Vulg.* introducendae sententiae conditionalis et permiscendorum distichorum. Verte : *et positus in petra nidus tuus*. Nota assonantiam inter קן, *nidum*, et קיני, *Cinaeum*. Distichum accipi quoque potest ut interrogatio, non sine ironia : Putasne, robustum esse etc.? Et respondet negative v. 22 : « *et fueris electus de stirpe Cin, quamdiu* [*poteris permanere*]? *Assur enim capiet te* ». Quam lectionem *Vulg.* secuta sit, non liquet. Distinctione distichorum docemur, כי אם non esse vertendum ὅτι ἐάν (*Aq. Theod.*), sed novam sententiam esse or-

diendam. *LXX Symm. Vulg. et si,* ubi difficultatem creat sequens stichus. Cum *Ps. Ion.* verte *profecto* (2 Reg. 15,21 etc.) vel etiam, si sententiam ironice accipias, *profecto non* (1 Reg. 25,34) : *Profecto erit in perditionem Cin.* עד מה *Vulg.* vertit *quamdiu, Aq. Theod.* ἕως τινός. Constructio absurda. Sed *LXX* pro עדמה legebant ערמה. Cum extremis v. 20 et 24 legeretur עד (עדי), facile quis inducebatur, ut v. 22 lectionem עד מה anteferret lectioni ערמה. Verte :

Nonne permanens est habitaculum tuum,
positusque in petra nidus tuus?

v. 22 Profecto, peribit Cin,
nudum te abducet Assur.

ערמה, *nuditas* = *nudum.* Qui in petra veluti in nido securus considet, is non est nudus, sua quaeque in petram comportat : qui nudus captivus abducitur, omnibus opibus antea spoliabatur.

v. 23 « *Assumptaque parabola iterum locutus est* »; — absurde praefigunt his *LXX* verba καὶ ἰδὼν τὸν Ὤγ, pro qua voce textus *Lagarde* habet Γώγ, et *Geiger* l. c. p. 367 rursus suggerit *Agag.* Longe absurdius idem Geiger, e quorumdam codicum lectione שמואל pro שמו אל, infert hoc oraculum spectare tempora *Samuelis.* Cf. *Dillm.* — « *Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus!* » *Ista,* quae *ponentur ab El,* non sunt solus *Assur* (*Kn.*), nam Assur non est malorum maximum, quod aspicientes exanimet : clades Assur v. 24 certe est malum etiam maius. *Ista* sunt certe, quae v. 24 describuntur (*Bonfr.*). Sc. more prophetarum Balaam videt plures futuros eventus *una,* qui revera longis intervallis dividentur. Quodsi eum adstruas haec locutum esse instinctu vere divino rem ita fere explicabis. Assur est oriens, Cetthim est occidens, Palaestina cogitatur ut centrum. Irruit oriens in Palaestinam, Assur, i. e. Assyrii, Babylonii, Persae. At illico irruit occidens in hos : Cetthim, i. e. Graeci et Romani. Hi rursum aliis supervenientibus prosternentur. Porro vates, illas omnes catastrophas una conspiciens, bene exclamat : « Heu, quis victurus est etc. ». Postmodum illae catastrophae longis intervallis ab invicem separabantur, ut homines non ita difficile per illas vitam traherent.

מן quandoque induit sensum *a tempore quo,* ergo *quando* (versiones). Si tamen praepositioni hic sensus temporalis tribuatur, non satis intelligitur quaestio : Quis victurus est etc.? Sine dubio aliqui tum victuri erant. Si subintelligas *quis nostrum etc.?* ingeris in textum, quod in illo non est. Quaestionis sensus tum fere is erit : Nemo nostrum superstes erit, fient extremo tempore. Poteris item quaestionem interpretari exclamationem, sensu haud mutato. Neque, si praepositionem מן solo sensu

temporali accipias, sufficientem rationem reddis vocis *heu*. Ergo accipe sensu etiam causali (*Men.*) : Quis poterit vitam trahere, Deo talia faciente? Tantae apparent hae catastrophae simul spectatae, ut videantur cunctos necessario esse oppressurae.

v. 24 « [*Venient*] *in trieribus de Italia* ». Pro וצים *Sam.* ויציאם vel יוצאים, consentiuntque versiones reliquae. Ergo nihil de *navibus*. Verte : *Egredientur* (*Chald. turbae*, *Syr. legiones*) *e regione Cetthim*, quod nomen proprie Cyprum designat, dein generatim omnes regiones maritimas occidentales (C G p. 309), occidentem. Ab ea parte proficiscentur, qui Assur i. e. orientales prosternent. « *Superabunt Assyrios vastabuntque Hebraeos* ». *Hebr.* : *Et humiliabunt Assur, et humiliabunt Heber*. *Heber* designare populum aliquem vel populos docet parallelismus cum *Assur*. Porro tamquam populi nomen vox unico alio textu legitur Gen. 10,21 *filii Heber*, quo nomine C G p. 328 docebamus designari *Transeuphratenses* : h. l. *Chald.* : *regionem trans Euphraten*. Intelliguntur h. l. Transeuphratenses praeter Assur, Babylonii, Aelamitae, Aramaei etc. Omnem trans flumen regionem subigent Cetthim. Ergo nomen h. l. non refertur ad patriarcham Heber; neque ad Hebraeos (*LXX Vulg. Syr.*), qui nunquam עבר audiunt sed עברים, et a Balaam vocantur Iacob vel Israel, qui si h. l. designarentur, coniiceret in illos Balaam maledictionem aliquam, quod se nullo nomine facturum esse protestatus fuerat ipse. « *Et* [*ad extremum*] *etiam ipsi peribunt* ». *Hebr. Sam.* : *ipse*. Ergo non *Assur et Heber*, hi enim duo cum sint, exigerent pronomen numero plurali, et praeterea iam sunt *humiliati* seu, quod idem est, *perierunt*; non *Heber* solus, qui non narrabatur oppressisse quemquam, intelligi autem *oppressorem* indicat adscriptum *etiam;* non *Assur* solus (*Dillm.*), quae explanatio ignorat constructionem nataque est ex desiderio demonstrandi, hoc oraculum serius concinnatum, quo tempore Assyrii Hebraeos opprimebant. Una est gens, cuius extremo tempore sortem nondum edocti sumus, *Cetthim* : ad hos pronomen refertur (*Vat.*), ad hos retulere *versiones* vertentes *ipsi*. Id omnino postulat structura oraculorum v. 17-24, quae singularum gentium extremo tempore sortem explicabant: idque confirmatur voce *etiam* : peribunt Moab, Ammon, Edom et Amalec, captivus ducetur Cin, humiliabitur Assur, peribunt *etiam* Cetthim. Dices, *egressos de Cetthim* esse pluralem, *ipse* singularem. Sed mox, uti reliqui populi, Cetthim concipiuntur tamquam unum individuum : nonne etiam Gen. 10,4 Cetthim recensentur tamquam unus filius Iavan?

Breve hoc oraculum habet distichum atque, uti illud v. 18[c]. 19, desinit in tristichum :

Heu, quis victurus est,
haec faciente El!

v. 24 Egredientur de Cetthim,
humiliabunt Assur et humiliabunt Heber,
sed ipsi quoque aeternum peribunt.

v. 25 « *Surrexitque Balaam et reversus est in locum suum; Balac quoque, via qua venerat, rediit* ».

עבר est abbreviatio pro עבר הנהר, regio trans flumen. Qua expressione variae regiones designabantur pro variis regionibus, in quibus versabantur, qui ea expressione utebantur. Ea apud antiquos Hebraeos Palaestinam incolentes designabat regiones ad orientem Euphratis sitas (Ios. 24,2 etc.). A Persis totus tractus ad occidentem Euphratis audiebat Abarnahara = Syria; quem loquendi modum sequuntur 1 Esdr. 8,36; 2 Esdr. 2,7. Cf. *E. Meyer* : Die Entstehung des Iudenthums, Halle a. S. 1896, p. 20. Imo Babylonii Abrahae aequales regiones ad occidentem Euphratis vocabant ibr naharân. Neque tamen placet cum *Hommel* p. 252 (cf. p. 323 sqq.) eodem sensu accipere nomen עבר Num. 24,24. Balaam uti Iosue occidentem Euphratis incolens credendus est eas designare regiones, quae pro ipso, non pro Babyloniis, erant *trans* Euphraten.

C. Acta ad Iordanem Num. 25-36.

Quae supersunt sacrae narrationis, uti praecedens narratio, ordini temporum adhaerent. Eventus Num. 25 posteriores fuisse actorum Balaam per se patet. Num. 26 narrata (v. 1) evenerunt « post plagam » 25,8. Acta filiarum Salphaad ideo duobus capitibus 27. 36 non continuis narrantur, quod reapse intercesserint, quae Num. 28-35 leguntur. Post devictos Madianitas, tota fere regione pacata, cogitavere tandem Rubenitae et Gaditae de fixis trans Iordanem sedibus occupandis.

Narratione vero efficiuntur duo : unum ut res Madianitarum (Ammonitarum) absolvantur, Num. 25. 31; alterum ut ea per Moysen superstitem expediantur, quae a nemine aptius quam ab ipso expedienda erant; sunt autem haec, ut eius loco dux Hebraeis constitueretur, et ut terrae sanctae dividendae regulae Dei et Moysis auctoritate stabilirentur. Igitur Num. 26, post censum Num. 1 ante 38 annos habitum, novum refert censum, cui conformanda praecipitur terrae divisio. Occasione sumpta a querelis filiarum Salphaad, sancitur ut deficientibus filiis haereditas transeat ad filias. Porro Moyses, a Deo iussus conscendere montem Abarim ib. moriturus, mandati non revocationem quidem sed ampliationem impetrat : primum, ut Iosue loco sui ducem populi constituat. Sed alia ipsi Deus componenda permittit,

antequam mandatum illud iteret. Conveniens erat, ut qui Num. 15 legem de minchis et libamentis nomine Iahve ad tempus suspenderat, idem hanc suspensionem revocaret. Quod praestitit Moyses edito tractatu de sacrificiis omnibus publico nomine offerendis, cui adiecit legem de obligatione votorum, imprimis a mulieribus susceptorum Num. 28-30. Collegerant interea Madianitae exercitum, quos Hebraei noctu adorti fundunt totamque Ammonitiden depopulantur Num. 31. Nunc accedunt Rubenitae et Gaditae, transiordanicam sibi expostulantes : quibus iustis conditionibus petita concedit Moyses, illis etiam adiungens dimidiam tribum Manasse, Num. 32. Recensitis porro pro praeambulo aliquo stationibus, quibus Deus ex Aegypto ad Iordanem deduxerat populum, divisionis cisiordanicae regulae traduntur Num. 33-35. Quas complet Num. 36 lex, in favorem filiarum Salphaad primum lata, qua praecavetur, ne filiarum haeredum coniugiis tribuum fines confundantur.

I. POPULUS A MULIERIBUS ALIENIGENIS AD LUXURIAM ET SUPERSTITIONEM PELLICITUR NUM. 25.

Arg. — Suggerente Balaam mulieres Moabitae et Ammonitae Hebraeos seduxere ad fornicationem, per fornicationem ad epula esumque idolothytorum, per haec ad cultum superstitiosum. Orta in poenam sceleris plaga, iubentur suspendio puniri, qui rei fuerint reperti : cum ecce Zambri, princeps Simeonita idemque iudex, palam introduxit scortum Ammonitam in castra. Quem Phinees sacerdos secutus intra lupanar, cum illa confodit. Illico plaga cessavit. Factum autem nobilissimae feminae se pro vili prostibulo offerentis totum inimicorum consilium propalavit. Deus duplici eloquio, primum Phineae posteris pontificatum in perpetuum confirmat, secundo Hebraeis, ut ab Ammonitis se retrahant et data occasione de illis ultionem sumant, iniungit.

Cap. XXV v. 1 « *Morabatur autem* [*eo tempore*] *Israel in Setim* », tempore mox narrandorum, non necessario etiam narratorum. Est ea ultima statio 33,49, quando castra e regione Ierichuntis trans Iordanem posita extendebantur a Beth Iesimoth usque Abel ha-Setim vel « vallem Setim » (Ioel 3 [4], 18), cui nomen sane erat ab arboribus Setim (Ex. 25,5 etc.), mimosis niloticis. Ibi postmodum residebat Iosue Ios. 2,1; 3,1; sine dubio ib. residebat Moyses, dum reliqua castra usque Beth Iesimoth protenderentur. Ergo nomina quae describuntur stationum loca tradunt, in quibus versabantur Moyses et arca, reliqua castra non raro ad loca pertingebant, quae aliis nomi-

nibus appellabantur. « *Et fornicatus est cum filiabus Moab* » et Ammon, seu Madianitis (v. 6. 17; 31,16), quae illuc confluebant atque Hebraeorum tabernaculis permixta (cf. v. 6) sua lupanaria disposuerant. Ex 31,16 et Ap. 2,14 patet, id factum esse *consilio Balaam* : praeviderat is Israelem invictum fore duce Iahve; Moabitis, eum rursus cum pretiosis donis (2 Petr. 2,15; Iudae v. 11) convenientibus, modum suggesserat, quo Israel e Iahve favore excideret, luxuriam et superstitionem. « Persuasit Madianitis, ut non viros sed mulieres contra illos armarent, quibus armorum vice corporum venustas et verborum illecebrae essent » (*Theodoret.*). *Hebr. : et coepit populus fornicari etc.* Vox *populus* certe non suggerit, rem factam esse potissimum a *principibus*. Intelligitur *fornicatio* non sacra, sed profana (*Bonfr.*) : fornicatio occasio exstitit epulorum et superstitionis. v. 2 « *Quae vocaverunt eos ad sacrificia sua* », *Hebr. deorum suorum;* « *at illi comederunt et adoraverunt deos earum* ». Sed eodem plane iure vertes *dei sui, deum suum.* v. 3 « *Initiatusque est Israel Beelphegor* ».

Initiare proprie non significat secretissima quaeque, quin potius *prima* alicuius cultus impertiri mysteria. *LXX* ἐτελέσθη, a τέλος, quod quemlibet ritum sacrum designat. *Syr. perfectus est.* Radicis צמד significatio videtur esse *copulare* (*Aq. Symm. Chald.*) : cf. 2 Reg. 20,8; Ps. 49 (50), 19 et nomen צמד, *par, iugum.* Niphal solum de hac superstitione Baal Peor scribitur : cf. Ps. 105 (106), 28. Pro *sacrificia* v. 2 זבחי, i. e. *mactationes.* Non est veri simile, Moabitas in ipsis Hebraeorum castris aut prope illa altaria Baal erexisse et in illis sacrificia obtulisse. Sed mulieres illae afferebant carnes vel mactabant animalia, sanguine non effuso in terram, reservato pro cibo adipe. Erant autem, uti apud Hebraeos, omnes illae mactationes sacrae, carnes Baali verbis aut ritu aliquo consecrabantur. Ergo ideo maxime, quod h. l. non agatur de sacrificiis in altari oblatis, sed de sola idolothytorum comestione, ideo loco alicuius verbi, quod alias sacrificium designet, h. l. scribitur generalior vox יצמד, *copulatus est.* Iisdem fere verbis loquitur Ps. 105 : Et copulati sunt Baal Peor, et manducaverunt mactationes mortuorum (i. e. falsorum deorum), et irritaverunt eum actionibus suis, et irruit in eos plaga. Vallis Setim fuit Hebraeis fere, quod Capua Hannibali. Ob divinum 20,12 decretum non poterat Moyses traiicere Iordanem, nisi Deo id diserte approbante; diutius igitur in campestribus Moab exspectandum fuit. Post deserti labores « depascebantur » (22,4) Israelitae regionem fertilem; erat copia carnis, panis et vini; longior post victorias quies; obiiciebantur oculis mulieres formosae, delicatae, sed alienigenae (cf. quae dicebamus ad Lev. 18,21); alliciebat adipis et sanguinis vetitus sapor. — בעל פעור dictus a monte Peor 23,28 (etiam 31,16; Ios. 22,17 crediderim exprimi montem, non numen). Suggerunt aliqui, montem nactum esse nomen a numine; sed 23,28 mons simpliciter audit « mons Peor », non « mons Baal Peor » (cf. 22,41), neque ullo argumento probatur eum locum ante Moysen fuisse cultui Baal sacrum. Baalim alii etiam a loco appellationem derivabant : Baal Tyrius, Sidonius, Libani, Hermonis etc. Cum colloquia inter Balaam et Balac sint plane monotheistica, melius v. 2 vertes *dei sui.* Idem Deus a Moabitis variis locis colebatur variis nominibus, variis fortasse ritibus, eratque hic

Baal idem atque Chamos, Moabitarum et Ammonitarum Deus. Cf. *P. Scholz* : Götzendienst u. Zauberwesen bei den alten Hebräern, Regensburg 1877, p.173 sqq.

« *Et iratus Dominus* » — *Hebr. : et exarsit ira Domini in Israelem.* Merito hac sententia censet *Cai.* designari plagam v. 8 sq., probabilius epidemiam aliquam (cf. 11,33; 14,37) — v. 4 « *ait ad Moysen* », ab illo sane rogatus : « *Tolle cunctos principes populi et suspende eos* » *Iahve* « *contra solem* [*in patibulis*], *ut avertatur furor meus ab Israel* ». *Verte : Tolle cunctos reos populi etc.*

Textus utique est corruptus, quem *Sam.* conatus est restituere conformans illum versui 5. Corruptum sensere *Targ.* addentes vocem *iudica et occide*, sensere interpretes inde ab *Or.*, *Theodoret.*, *Aug.* Iubentur plecti *omnes principes* pro delicto, quod fuerat *populi.* Dein istud divinum mandatum non mandatur exsecutioni, sed principes (qui v. 4 capita et v. 5 iudices audiunt) iubentur a Moyse occidere illos, qui vere erant rei. Pro ראשי העם corrige רשעי העם, *reos populi*, et habetur sensus planissimus, penitus consonans versui 5. — יקע Gen. 32,25 (26) *luxare*, membrum e sua sede detorquere. 2 Reg. 21,6. 9. 13 verbi hiphil et hophal item scribuntur de supplicio a Gabaonitis *coram Iahve* inflicto septem posteris Saul. Ubi *Vulg. crucifigere*, fortasse verius *impalare*. H. l. *LXX* παραδειγμάτισον (2 Reg. 21 ἐξηλιάσωμεν), *statue in exemplum*; *Aq.* ἀνάπηξον, *affige*; *Symm.* κρέμασον, *suspende*, uti *Vulg.* h. l., et 2 Reg. 21 *Chald.* Cur *coram Iahve?* an hoc supplicium reservabatur iis, qui magis directe in Iahve peccassent, genus supplicii stricte sacrum? Cf. 2 Reg. 21 *Syr. sacrificabimus.* Additur tandem *coram sole*, « i. e. palam in conspectu lucis huius » (*Aug.*). *Aestus furoris Iahve* est ipsa illa plaga, quae hoc piaculo promittitur esse cessatura.

v. 5 « *Dixitque Moyses ad iudices Israel : Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor* ». *Hebr. : viros suos*, suae iurisdictioni subiectos (*Cai.*); ergo etiam iuridico processu, ut scelus per testes aut confessione rei probaretur. v. 6 « *Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad* [*scortum*] *Madianitidem* ». Sed longe aliter *Hebr. : venit* de loco extra castra (*Dillm.*) « per mediam plateam, quae erat ante tabernaculum » (*Cai.*), *et appropinquare fecit ad fratres suos Madianitiden.* Non *appropinquare fecit fratrem suum ad Madianitiden* (*LXX*), cum eum sensum non ferat constructio, et de eo fratre tota porro sileat narratio. Fecit autem appropinquare Madianitiden, non ut eam suam faceret uxorem (*Ios.*), id enim licitum erat (Ruth 1,4), et tota haec narratio non est de matrimonio sed de fornicatione; non solum ut, qui antea vocantem secutus fuerat extra castra, iam in ipsis etiam castris cum ea fornicaretur; sed quo fratribus mulierem prostitueret (*Or.*, *Malv.*), sordidum fortasse inde lucrum facturus. Hoc fecit princeps, qui idem utique erat iudex, quo tempore Moyses iudicibus iniunxerat, ut in eiusmodi scelera severe animadverterent. Erat hoc viri peccatum sola fornica-

tione superstitioni iunctae longe atrocius, quod merito Phinees severiore quam suspensione poena ultus est. Erant et aliae circumstantiae aggravantes : « *vidente Moyse et omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi* », ut cessaret plaga. Nihil veritus est ille vir tot optimorum lacrimas (*Or.*). v. 7 « *Quod cum vidisset Phinees, filius Eleazari filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis et, arrepto pugione* », v. 8 « *ingressus est post virum Israelitem in lupanar, et perfodit ambos* [*simul*], *virum* [*sc.*] *et mulierem in locis genitalibus. Cessavitque plaga a filiis Israel* » illico, quo ostenderet Deus, quantum sibi placeret zelus Phinees. v. 9 « *Et occisi sunt* » in tota illa plaga « *viginti quatuor millia hominum* ».

Est lusus inter duo ἅπαξ λεγόμενα קבה et קבתה. Illud videtur sonare *tentorium*, vertuntque *lupanar Vulg. Aq. Symm.*, *cubiculum Chald. Syr.*; ad *LXX* κάμινον cf. Field. קבתה vertunt *ventrem* vel *uterum*. Vox habet suffixum fem. sing. : vir ubi percussus fuerit, non refertur; mulier, vulnere fortasse non statim lethali, percussa est in ea corporis parte, qua potissimum ad seductionem abusa fuerat. Ceterum vocis versio *venter* est perquam suspecta : videtur requiri vox, quae tam ad virum quam ad mulierem referatur.

v. 10 « *Dixitque Dominus ad Moysen* » : v. 11 « *Phinees, filius Eleazari filii Aaron sacerdotis, avertit iram meam a filiis Israel* », — quod idem verbum scribatur hic et v. 4 (השיב — וישב), fortasse censeri poterit condonata esse poena suspensionis, quae ad eandem iram avertendam fuerat indicta — « *quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo* ». *Hebr. : quia zelum meum zelatus est in medio eorum, et ita etc. Zelus meus* non est (*Kn.*) *zelus pro me*, quod planius exprimeretur voce לי (*Dillm.*), sed *zelus meus* (*Keil*); zelus a me ei immissus et ab eo libere susceptus causa fuit, quod non oportuerit me exerere zelum meum delendo populum. v. 12 « *Idcirco loquere* [*ad eum*] : *Ecce do ei pacem foederis mei* », seu rectius *meum foedus pacis* (Eccli. 45, 30; item *LXX Syr.*); paciscor ei perpetuam meam pacem et amicitiam. v. 13 « *Et erit tam ipsi quam semini eius* » *post eum* « *pactum* », seu foedus, « *sacerdotii sempiternum* »; vi huius foederis pontificatus in eius prae Ithamar familia perseverabit. Deus 20,25 sq. Eleazarum Aaroni designans successorem indicaverat, velle se ut pontificatus transmitteretur in Eleazari prae Ithamari familia : id iam confirmat, non lege ad populum lata qua Ithamaridae excludantur, sed promissione Phineae facta quae suas patiatur exceptiones. Somniantur aliqui hoc oraculum effictum esse tum, quando ab Abiathar Ithamarida pontificatus transferebatur ad Sadoc Eleazaridam : eodem iure fingas, oraculum in favorem Phinees pridem latum fuisse Da-

vidi rationem aliquam pontificatus in Eleazaridas transferendi. — Repetitur ratio : « *quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit zelum filiorum Israel* ». Laus Phineae hisce concluditur Ps. 105 (106), 30 sq. : Et surrexit Phinees et iudicavit, et cohibita est plaga; et reputatum est ei ad iustitiam a generatione in generationem in perpetuum. Adscribuntur nomina eorum, quos Phinees confodit. v. 14 « *Erat autem nomen viri Israelitae, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione et tribu Simeonis* », princeps cuiusdam *patroeciae* Simeonitarum. זמרי vocabatur item rex quidam Israel 3 Reg. 16,9. Ad nomen סלוא cf. 1 Par. 9,7; 2 Esdr. 11,7; 12,6 (7). v. 15 « *Porro mulier Madianitis, quae* [*pariter*] *interfecta est, vocabatur Cozbi* » — *Sam.* כזבית — « *filia Sur* » (cf. 1 Par. 8,30; 9,36), « *principis nobilissimi Madianitarum* ». *Hebr. : principis tribuum* (cf. Gen. 25,16; non nomen proprium *LXX* Ὀμμώθ) *patroeciae Madian. Princeps tribuum* apud Ammonitas videtur idem fuisse atque *princeps patroeciae* apud Hebraeos : igitur scriptor hebraeus titulum explicaturus voci *tribuum* אמות adscripsit aequivalens hebraeum *patroeciae*. Erat vir inter primos nobilis, cuius filiam ignominiose caesam non poterant Madianitae inultam relinquere. Ceterum eius mulieris caedes totum inimicorum consilium propalavit. Admirationem movit filia principis vilis scorti more libidinem quaerens; inquisitum est, quaenam aliae mulieres cum Hebraeis rem habuissent; inventae sunt ingenuae quaeque et maxime formosae, quae honestissimas apud suos nuptias facile fuissent nacturae; perspectum est, haec insidiose magis quam libidinose fuisse acta.

v. 16 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 17 « *Hostes vos* [*sentiant*] *Madianitae, et percutite eos* ». *Hier.* vertit *hostes vos sentiant*, ut exprimat oppositionem inter צרור et צררים, *hostiliter egerunt;* suaque versione magis exprimit affectum quam actuales inimicitias, quem sensum radix item habet Lev. 18,18 et 1 Reg. 1,6. *Hostes habete Madianitas et,* cum opportunitas tulerit, *percutite eos.* Quod enim praecipit non est, ut continuo procedant ad bellum, sed ut omnem amicitiam abrumpant : qui deinceps cum Madianitis commercium habebit, proditor reputabitur. Moyses id Madianitis relinquit, ut ipsi bellum incipiant, quod ipsis necessario faciendum est ad ulciscendam necem filiae principis. Fuerant illi « vasalli » Sehon regis Hesebon (Ios. 13,21), ergo non ita praepotentes erant armis, bellum cum Hebraeis non quaesierant, sed illos dolis circumvenire studuerant : verum, filia principis tam ignominiose interempta, nihil restabat nisi ut ad arma concurrerent. Moyses eos exspectat, procedentibus 31,5 solos 12000 viros obiicit, qui satis fuere ad illos

penitus fundendos totamque praedam ducendam. Porro v. 18 rationes statuit, cur Madianitae pro hostibus habendi sint : « *Quia* [*et*] *ipsi hostiliter egerunt contra vos et decepere insidiis per* [*idolum*] *Phogor et Cozbi, filiam ducis Madian sororem suam, quae percussa est in die plagae pro* [*sacrilegio*] *Phogor* ». *Hebr., quoad negotium Peor et quoad negotium Cozbi etc., quae percussa est in negotio Peor.* Res foedas et indignas narrator generali vocabulo דבר innuit. Hostes Madianitarum se reputent Hebraei, quia illi hostes sunt non palam quidem, sed in insidiis, quibus insidiati sunt eis : et insidiarum summa exprimitur *quoad negotium Peor* : consilium illud per luxuriam et superstitionem perdendorum Hebraeorum proficiscebatur utique ex animo hostili. Appenditur dein altera inimicitiarum ratio, non posse Madianitas non esse inimicos *quoad negotium Cozbi,* quod est pars aliqua universi illius negotii Peor; non possunt non repetere ultionem sanguinis filiae principis tam probrose interemptae.

II. NUMERATUR POPULUS SECUNDO NUM. 26.

1. *Traduntur summae tribuum cum elencho familiarum. Num.* 26,1-51.

Arg. — Imminente Madianitarum bello iisque bellis, quae trans Iordanem gerenda erant, cum tot anni a prima populi numeratione effluxissent, numeravit Moyses secundo viros ad militiam aptos a vigesimo anno; Levitas vero, uti antea, numeravit ab uno mense. Horum numerus inventus est paulo maior, reliquorum Israelitarum paulo minor, quam in prima numeratione fuerat. Tribus eodem atque Num. 1 ordine se excipiunt, tamen Manasse praecedit Ephraimum. Singularum tribuum summis praefigitur elenchus familiarum, quae eam tribum componebant.

Cap. XXVI v. 1 « *Postquam noxiorum sanguis effusus est* », — verte : *post plagam,* illam sc. 25,3. 8. 9, quae statim post Phineis facinus cessavit — « *dixit Dominus ad Moysen et Eleazarum filium Aaron, sacerdotem* », pontificem : v. 2 « *Numerate omnem summam filiorum Israel a viginti annis et supra, per domos et cognationes suas, cunctos qui possunt ad bella procedere* ». Idem fere verbotenus habes 1,2. v. 3 « *Locuti sunt* » — corrige *numeraverunt* — « *itaque Moyses et Eleazar sacerdos in campestribus Moab super Iordanem* [*contra*] *Iericho, ad eos, qui erant* » v. 4 « *a viginti annis et supra, sicut Dominus imperaverat. Quorum iste est numerus* ».

Textus v. 3, antiquissimo utique tempore, corrumpebatur. Annuntiatur aliquod

Moysis ad populum alloquium, neque tamen ullum traditur alloquium. Certe describitur v. 5 sqq. summa numerationis e Dei mandato factae : sed *facta esse* nullo verbo refertur. Quomodocunque punctes אתם (cf. *Vulg. Syr.*), habebis constructionem duriorem; scribendum erat אליהם (*Dillm.*). Si v. 3 annuntiat alloquium aliquod, v. 4 debet esse eius alloquii initium, neque tamen sensum praebet. Cum iam v. 2 de numeratione agat iisdem fere atque 1,2 verbis, erunt h. l. v. 3 sq. comparandi cum 1,18 sq. Igitur 26,4 *sicut praecepit Iahve Moysi* verbotenus habetur 1,19. Verbis 1,19 *in deserto Sinai* correspondet loci descriptio 26,3. Tam 26,4 quam 1,18 habetur *a viginti annis et supra*. Remanet initium 26,3 *et allocutus est Moyses et Eleazar pontifex eos* : totus porro contextus clamat, pro וידבר scribendum esse verbum, quod habetur 1,19 ויפקד, *et numeravit*.Hoc semel in וידבר defigurato, censuit scriba aliquis extremo versu supplendum esse לאמר. — Ultima v. 4 verba, non obstante textus apud *Masor. Sam. Chald. Syr.* divisione, cum *LXX Vulg.* trahenda sunt ad sequentia : *filii Israel, qui egressi sunt de terra Aegypti, sunt etc.*; et intelliguntur, uti alias, esse egressi vel in se vel in lumbis patrum suorum. Eundem fere sensum exprimit *Vulg.* : *quorum iste est numerus*. Secundum *Masor.* est vertendum : *Sicut* in priore numeratione *Iahve praeceperat Moysi et filiis Israel egressis de terra Aegypti*. Verum debebat scribi ואת בני.

v. 5 « *Ruben primogenitus Israel* » (cf. 1,20). v. 7 *Hebr. Sam. Rubenita*, nomen tribus, non individui. Sententia asyndetice praefigitur sequenti *filii Ruben*; voce autem *filii*, addito patriarchae nomine, singularum deinceps tribuum ratio orditur. « *Huius filius Henoch, a quo familia Henochitarum; et Phallu, a quo familia Phalluitarum* »; v. 6 « *et Hesron, a quo familia Hesronitarum; et Charmi, a quo familia Charmitarum* ». Ad nomina cf. Gen. 46. v. 7 « *Hae sunt familiae de stirpe Ruben, quarum numerus inventus est quadraginta tria millia et septingenti triginta* ». Et producitur genealogia usque ad Rubenitas illos, quorum acta Num. 16 recensebantur : v. 8 « *Filius Phallu Eliab* »; v. 9 « *huius filii Namuel et Dathan et Abiron; isti sunt Dathan et Abiron principes populi* », — verte *vocati ad concilium*, et cf. quae dicebamus p. 16 sq. — « *qui surrexerunt contra Moysen et Aaron in seditione Core, quando adversus Dominum rebellaverunt* »; v. 10 « *et aperiens terra os suum devoravit Core, morientibus plurimis* », — *Hebr.* : *ipsos et Core, in interitu coetus* seu seditionis — « *quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum est* [*grande*] *miraculum* », v. 11 « *ut Core pereunte filii illius non perirent* », atque ita perseveraret patroecia. Ceterum male *Vulg.* iungit; verte : *sed filii Core non perierunt. Miraculum* non fuit in hoc, ut illi filii praeservarentur, sed magis in eventu v. 10 relato. נס, signum in altum elatum, quod non solum ad miraculum attrahit oculos, sed periculum indicat, signum dehortans, absterrens.

v. 12 « *Filii Simeon per cognationes suas : Namuel, ab hoc familia Namuelitarum; Iamin, ab hoc familia Iaminitarum; Iachin,*

ab hoc familia Iachinitarum »; v. 13 « *Zare, ab hoc familia Zareitarum; Saul, ab hoc familia Saulitarum* ». v. 14 « *Hae sunt familiae de stirpe Simeon, [quarum omnis numerus fuit] viginti duo millia ducenti* ». Omittitur *Ahod* (cf. Gen. 46,10; Ex. 6,15).

v. 15 « *Filii Gad per cognationes suas : Sephon, ab hoc familia Sephonitarum; Aggi, ab hoc familia Aggitarum; Suni, ab hoc familia Sunitarum* »; v. 16 « *Ozni, ab hoc familia Oznitarum; Her, ab hoc familia Heritarum* »; v. 17 « *Arod, ab hoc familia Aroditarum; Ariel, ab hoc familia Arielitarum* ». v. 18 « *Istae sunt familiae Gad, quarum omnis numerus fuit quadraginta millia quingenti* ».

v. 19 « *Filii Iuda Her et Onan, qui ambo mortui sunt in terra Chanaan* » (Gen. 38,7 sqq.). v. 20 « *Fueruntque filii Iuda per cognationes suas : Sela, a quo familia Selaitarum; Phares, a quo familia Pharesitarum; Zare, a quo familia Zareitarum* ». v. 21 « *Porro filii Phares : Hesron, a quo familia Hesronitarum; et Hamul, a quo familia Hamulitarum* ». v. 22 « *Istae sunt familiae Iuda, quarum omnis numerus fuit septuaginta sex millia quingenti* ».

v. 23 « *Filii Issachar per cognationes suas : Thola, a quo familia Tholaitarum; Phua, a quo familia Phuaitarum* »; v. 24 « *Iasub, a quo familia Iasubitarum; Semran, a quo familia Semranitarum* ». v. 25 « *Hae sunt cognationes Issachar, quarum numerus fuit sexaginta quatuor millia trecenti* ».

v. 26 « *Filii Zabulon per cognationes suas : Sared, a quo familia Sareditarum; Elon, a quo familia Elonitarum; Ialel, a quo familia Ialelitarum* ». v. 27 « *Hae sunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit sexaginta millia quingenti* ».

v. 28 « *Filii Ioseph per cognationes suas : Manasse et Ephraim* ». v. 29 « *De Manasse ortus est Machir, a quo familia Machiritarum* ». *Hebr.* rursum : *Filii Manasse;* neque in eiusmodi genealogia symmetrice descripta admirationem facit pluralis *filii*, unico sequente nomine *Machir*. Ad הוליד cf. C G p. 21. « *Machir genuit Galaad, a quo familia Galaaditarum* ». v. 30 « *Galaad habuit filios : Iezer, a quo familia Iezeritarum; et Helec, a quo familia Helecitarum* »; v. 31 « *et Asriel, a quo familia Asrielitarum; et Sechem, a quo familia Sechemitarum* »; v. 32 « *et Semida, a quo familia Semidaitarum; et Hepher, a quo familia Hepheritarum* ». v. 33 « *Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantum filias, quarum ista sunt nomina : Maala et Noa et Hegla et Melcha et Thersa* ». Hoc de filiabus Hepher adscribitur intuitu cap. 27. v. 34 « *Hae sunt familiae Manasse, et numerus earum quinquaginta duo millia septingenti* ».

Machir Gen. 50,22. Alius eius nominis vir habetur 2 Reg. 9,4 sq.; 17,27 — *Galaad*, nomen regionis montanae Gen. 31, 21 sqq.; 37,25, quod postea (v. i.) translatum est in eiusdem regionis incolas hebraeos. — *Iezer*, איעזר, pro quo *LXX* Ἀχιέζερ. Sed Ios. 17,2; Iud. 6,34; 8,2 produnt nomen fuisse *Abiezer*, אביעזר. Haec familia utique ad occidentem Iordanis sedem nacta est. Idem nomen habuit heros David 2 Reg. 23,27; 1 Par. 11,28; 27,12. — Sequentium nominum plura repetuntur Num. 27,1; 36,11; Ios. 17,3 sq.; 1 Par. 7,14 sqq. — *Asriel*, אשריאל : cf. quae p. 177 sq. 191 sq. 205 sqq. dicebamus. — *Hepher*, חפר, nomen item herois David 1 Par. 11,36 et viri Iudaei 1 Par. 4,6. — *Melcha*, מלכה, nomen filiae Aran, uxoris Nachor Gen. 11,29 etc.

Sed componendus nobis est hic familiarum Manassaeorum elenchus cum genealogia Manasse 1 Par. 7,14 sqq., quam p. 180 discutiebamus. Consonat elenchus cum brevi genealogia Num. 27,1. Ios. 17,1 sq. Machir, Abiezer, Helec, Esriel, Sechem, Hepher, Semida enumerantur ut « filii Manasse » et veluti fratres inter se; sc. illae septem familiae concipiebantur ut fratres : sed illico v. 3, ubi unius viri Salphaad origo est definienda, Hepher Machiri nepos fuisse describitur. Porro ex 1 Par. 7 discimus, Abiezer seu Iezer non fuisse Galaadi (Num. 26, 30) filium, sed ex alia matre fratrem; immediate e Galaad natos esse Semida et Hepher, mediate Sechem et Helec (?) : qui tamen omnes Num. 26,30 sqq. filiis Galaad accensentur. Hinc disce, ad noscendas virorum affinitates magis fidendum esse individuorum genealogiis, quam elenchis familiarum : in his quippe familiae a communi parente derivatae mediate vel immediate, exhibentur quandoque ut *fratres* (Ios. 17,1 sq.), licet viri, a quibus singulae familiae nomen nactae sunt, fuerint alii fratres, alii filii, alii nepotes. At eaedem familiae alias vocantur familiae principalis *filii*, quod eius auctoritatem sequantur ut filii patris : ita Num. 26,30 sqq. Abiezer scribitur Galaadi non frater sed filius, filii mediati et immediati confunduntur. Neque ib. familiae ordine originis recensentur, sed fortasse ordine potentiae : Sechem et Helec anteponuntur Semidae patri et Hepher patruo. Manet aliud notatu dignissimum. Num. 26,31 filiis Galaad, i. e. familiis eidem obtemperantibus, accensetur Asriel vel Esriel, quem ex 1 Par. 7,14 novimus fuisse Machir fratrem natu maiorem. Sc. familiam Esrielis, cuius mares omnes Ex. 32 perierant, illo suo cum Ephrath coniugio p. 190 sqq. resuscitare attentaverat Hesron 1 Par. 2,21 sqq., genito per Segub Iairo illo famosissimo. Quos Moyses, tribuum concordia restituta, Manassaeos agnovit. At ius primogeniturae apud Manassaeos Ios. 17,1 iam fuerat in Machir translatum, neque in eum locum decebat prolem illam vix non spuriam restitui; non erant iam Manassaei, qui filii Machir non essent. Ergo Esriel redivivus accensendus fuit filiis Machir et Galaad, neque primo sed tertio loco : Abiezer, Helec, Esriel.

v. 35 « *Filii autem Ephraim per cognationes suas fuerunt hi : Suthala* » (1 Par. 7,20), « *a quo familia Suthalaitarum; Becher* » (ib.; non confundendus cum Bechor, qui Gen. 46,21 per errorem inter Beniaminitas conspicitur = « primogenitus eius »), « *a quo familia Becheritarum; Thehen* » (תחן, *LXX* Τανάχ, Sam. תחם, 1 Par. 7,20 תחת), « *a quo familia Thehenitarum* ». v. 36 « *Porro filius Suthala fuit Heran, a quo familia Heranitarum* ». ערן; sed *Sam. LXX Syr.* עדן. v. 37 « *Hae sunt cognationes filiorum Ephraim, quarum numerus fuit triginta duo millia quingenti* ». Et adscribitur clausula pro tota domo Ioseph : « *Isti sunt filii Ioseph per familias suas* ».

v. 38 « *Filii Beniamin in cognationibus suis : Bela, a quo familia Belaitarum: Asbel, a quo familia Asbelitarum; Ahiram, a quo familia Ahiramitarum* »; v. 39 « *Supham, a quo familia Suphamitarum; Hupham, a quo familia Huphamitarum* ». Desideratur *Gera* (cf. Gen. 46,21), uti etiam inter Simeonitas v. 12 *Ahod.* v. 40 « *Filii Bela : Hered et Noeman; de Hered familia Hereditarum; de Noeman familia Noemanitarum* ». Hi Gen. 46,21 scribebantur filii ipsius Beniamin; *Sam.* h. l. textum emendare conatur. Pro ארד *LXX Syr.* אדר, 1 Par. 7,6 sqq. habentur nomina prorsus alia. v. 41 « *Hi sunt filii Beniamin per cognationes suas, quorum numerus fuit quadraginta quinque millia sexcenti* ».

v. 42 « *Filii Dan per cognationes suas : Suham, a quo familia Suhamitarum* », — שוחם idem sane nomen atque Gen. 46, 23 חשים, sed utra forma genuina sit, non liquet — « *hae sunt cognationes Dan per familias suas* »; v. 43 « *omnes fuere Suhamitae, quorum numerus erat sexaginta quatuor millia quadringenti* ». Coniicit *Dillm.*, quo tempore scribebat auctor, Dan, tribum quondam numerosissimam, ad unicam familiam rediisse. Audacior conclusio. Quot familiae in aliqua tribu numerarentur, non solis numeris definiebatur; singulae familiae tanto potentiores, quanto pauciores.

v. 44 « *Filii Aser per cognationes suas : Iemna, a quo familia Iemnaitarum; Iessui, e quo familia Iessuitarum; Brie, a quo familia Brieitarum* ». v. 45 « *Filii Brie : Heber, a quo familia Heberitarum; et Melchiel, a quo familia Melchielitarum* ». v. 46 « *Nomen autem filiae Aser fuit Sara* ». Cuius non scribitur propria familia, sed posteri alii cuidam familiae accensebantur : non erat idem casus atque cap. 27. v. 47 « *Hae cognationes filiorum Aser, numerus eorum quinquaginta tria millia quadringenti* ».

v. 48 « *Filii Nephthali per cognationes suas : Iesiel, a quo familia Iesielitarum; Guni, a quo familia Gunitarum* »; v. 49 « *Ieser a quo familia Ieseritarum; Sellem, a quo familia Sellemitarum* ». v. 50

« *Hae sunt cognationes filiorum Nephthali per familias suas, quorum numerus quadraginta quinque millia quadringenti* ».

v. 51 « *Ista est summa filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia et mille septingenti triginta* ».

Adscribo iam schema familiarum Num. 26 (cf. Num. 3). Ubi numeri (1,2...), uti p. 229, generationem exprimunt, subducuntur autem nomina illa, quae circa exodi tempora in familias effloruisse a s. textu explicite affirmantur.

1	2	3	4	5	6	7
Ioseph		Manasse	*Machir*	Galaad —	Semida —	Sechem
			Esriel	Abiezer	*Hepher*	Helec
Ioseph		Ephraim	*Suthala*	*Aran*		
			Becher (?)	Thahan		
Beniamin —	Bela Asbel	— Ared	Naaman Sesuphan			
	Ahira		Hupham			
Iuda	— Sela	— Phares *Zara* —	*Hesron* Hamul			
Levi	— *Gerson Caath* —	*Lobni Hebron*				
	Merari	*Moholi Musi*				
		Core Num. 26,58				

Familia *Esriel* in deserto paene exstincta revixit 1 Par. 7,14; Num. 26,31, primogenitura Ios. 17,1 in *Machir* translata. *Hepher* pater exstitit Salphaad, qui in deserto mortuus est Num. 27,3. *Suthala* 1 Par. 7,20 sqq. mortuus est superstite ipso Ephraim. Iosue accensebatur familiae *Aran* (vel Adan) 1 Par. 7,26. E familia *Zara* fuit Achan aequalis Iosue Ios. 7,1. *Hesron*, pater Caleb, caput familiae tempore exodi 1 Par. 2,21 sqq., cuius pronepos Nahasson erat tum totius tribus princeps. Porro his viris, quorum articulata traditur genealogia, adscribimus capita familiarum reliqua, quae cuius singuli generationis fuerint definire accuratius haud valemus.

Ruben — Henoch *Phallu* Hesron Charmi
Simeon — Namuel Iamin Iachin Zare
Aser — Iemna Iessui Brie — Heber Melchiel
Gad — Sephon Aggi Sani Ozni Her Arod Ariel
Issachar — Thola Phua Iasub Semran
Zabulon — Sared Elon Ialel
Dan — Suham
Nephthali — Iesiel Guni Ieser Sellem

De familia *Phallu* fuere Dathan et Abiron Num. 16,1. Aseritarum nepotes a filiis distinguuntur, filiique Simeon a duabus uxoribus deri-

vantur : unde probabile fit familias Aser et Simeon omnes secunda generatione effloruisse.

Exinde, quod tot familiae *demonstrentur* in deserto floruisse, etiam familiae aliquae quintae et sextae generationis, itemque exinde, quod tribuum Iuda et Levi quarta iam generatione omnes familiae Num. 26 recensitae exstiterint, legitime inferri videtur, *elenchum familiarum Num.* 26 *esse satis completum*, exhibere nobis fere statum rei publicae Hebraeorum ad Iordanem accedentium. Quod si cui in dubium vocare placuerit, utique praeter ipsum dubium argumenta afferat oportebit.

Si in unaquaque tribu numerum familiarum cum virorum armatorum numero conferas, deprehendes horum numerorum nullam inter se haberi proportionem : tribus Dan, qua sola tribus Iuda numerosior, unicam familiam habet; Levi plures familias habet quam Iuda, tribus longe numerosior.

Comparamus iam armatorum numeros Num. 26, cum iis quos Num. 1 comperiebamus. Anni interiecti 37 fuere mortalitatis et pugnarum : non igitur mirandum est, summam armatorum passam esse decrementum. Comparabimus porro numeros primum quales in illis capitibus exstant, deinde quales p. 226 probabili coniectura suggerebamus esse minuendos. Incrementa (+) et decrementa (—), quae deprehenduntur in numeris Num. 26 et Num. 1 inter se comparatis, aestimantur centesimis 0/0. A, B, C, D exprimunt quatuor trinarum tribuum castra Num. 2.

Iuda	+	+0/0	—	—0/0
A *Iuda*	1,900	2,54		
Issachar	9,900	15,39		
Zabulon	3,100	5,59		
	14,900			
B *Ruben*			2,770	5,95
Simeon			37,100	62,56
Gad			5,150	10,40
			45,020	
Decrementum 14,900 — 45,020 = — 30,120				

Israel	+	+0/0	—	—0/0
C *Ephraim*			8000	19,75
Manasse	20,500	63,66		
Beniamin	10,200	28,81		
	22,700			
D *Dan*	1,700	2,71		
Aser	11,900	28,67		
Nephthali			8000	17,61
	5,600			
Incrementum 22,700 + 5,600 = + 28,300				

A *parte Iuda* in priore numeratione fuerant viri bellatores 337,850, a *parte Israel* 265,700 : hos illi excedebant 72,150 viris. Erantque tum Levitae (ab uno mense et supra) 22,000. Longe fortior erat pars Iuda parte Israel, etiamsi ad hanc accederent universi Levitae. In altera numeratione erant a parte Iuda 307,730, a parte Israel 294,000, Levitae 23,000. Israel Levitis iunctus fortior erat quam Iuda. Levitae inter Iuda et Israel iustum veluti aequilibrium praeservabant. Adverte porro, inter priorem et posteriorem numerationem omnium tribuum maxime auctam esse tribum *Manasse,* 63·66 0/0. Edocebamur p. 191 sq., qua arte Hesron studuerit Manassaeorum numeros augere; fecerint idem etiam alii; tamen huic soli arti incrementum illud 20,500 virorum attribui nequaquam potest. Maximum omnium decrementum passa est tribus *Simeon,* 62·56 0/0, quae sc. a 59,300 viris redacta est ad 22,200. Fortasse Simeonitarum ceteris plures absumpti sunt plaga Num. 25,9, in qua princeps Simeonita v. 14 tam misere deliquit. Potest etiam alia fingi tanti decrementi ratio. Hebraei, dum in Cades Barnea pluribus annis commorabantur, partem finium obtinuisse videntur in Negeb, qui postmodum tribui Simeon cessere. Potuit fieri ut, sicut postmodum transiordanica, ubi primum subacta est, attribuebatur tribubus Ruben, Gad et dimidiae Manasse, ita tempore iam commorationis in Cades Barnea tractus ille australis occuparetur a Simeonitis; utque ceteris inde orientem versus discedentibus, maior Simeonitarum pars ib. substiterit, sive sponte sive Moysis iussu, operitura fratres suos per montes tandem Iudaeae versus eundem tractum descensuros. Quae tamen Simeonitarum pars, quando Iud. 1,17 reliqui Simeonitae eodem sunt devecti, dicenda erit misere iam fuisse dilapsa.

Subiicimus porro alterum numerorum Num. 1 et 26 schema, quales p. 226 suggerebamus esse minuendos, cum suis incrementis et decrementis. In hoc schemate facilius explicatur incrementum Manasse per facta similia facinoris Hesron, praeter alias rationes quae aliarum etiam tribuum incrementa produxere (Beniamin 102, Aser 119 etc.). Decrementum Simeonis e plaga Num. 25 explicatur, ubi v. 9 pro 24,000 corrigas 240. Et nota, desiderari Num. 26,12 familiam Ahod (cf. Gen. 46,10; Ex. 6,15) : fortasse ea tota perierat.

Iuda					Israel				
	Num. 1	Num.26	+	—		Num. 1	Num.26	+	—
A *Iuda*.....	746	765	19		**C** *Ephraim*...	405	325		80
Issachar	544	643	99		Manasse	322	527	205	
Zabulon	574	605	31		Beniamin	354	456	102	
			149					227	
B *Ruben*....	465	437		28	**D** *Dan*.......	627	644	17	
Simeon.....	593	222		371	Aser	415	534	119	
Gad........	456	405		51	Nephthali....	534	454		80
				450				56	
Decrementum = + 432 — 450 = — 18									

2. *Ad normam huius census facienda praescribitur terrae sanctae divisio Num.* 26,52-56.

Arg. — Sancit Deus, secundum hunc censum faciendam postmodum item esse terrae sanctae distributionem, ita ut cuique tribui *situs* quidem suorum finium assignetur *sorte, extensio* definiatur per *numerum* virorum supra viginti annos natorum.

v. 52 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 53 « *Istis dividetur terra iuxta numerum vocabulorum in possessiones suas* », i. e. in *haereditatem* perpetuam. *Istis* 601,730 : et quidem *secundum numerum nominum* suorum, non singulis nominatim. Sc., licet cap. 26 solum describantur nomina familiarum, tamen census fuerat peractus singulorum vocatis et descriptis nominibus (cf. ad Num. 1,18). Dividenda igitur erat terra non secundum *nomina,* ut singulis possessiones assignarentur immediate a Iosue, quod certe hic non praestitit; sed secundum *numerum nominum :* singulis tribubus pro numero virorum supra viginti annos natorum dimensurus erat fines Iosue (*Bonfr.*), facturus divisionem in duodecim partes inaequales (*Cai.*). v. 54 « *Pluribus maiorem partem dabis et paucioribus minorem, singulis* » tribubus, « *sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio* » : v. 55 « *ita dumtaxat, ut sors terram tribubus dividat et familiis* ». Sed *Hebr. : secundum nomina tribuum patrum suorum.* Sc. a 601,730

nominibus virorum distinguenda sunt duodecim nomina *patrum* seu, quod in idem recidit, *tribuum*. v. 56 « *Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant vel pauciores* ». *Hebr. : secundum sortem divides possessionem eius inter multum et parvum*, inter tribus magis minusve numerosas. Postea Iosue 18,5 haec ita exsecutus est, ut duas tribus potentissimas Ioseph et Iuda collocaret ad aquilonem et ad austrum terrae cisiordanicae, dein v. 11 sorte tribui Beniamin attribuerit sedes inter utramque illam, et ita porro. *Sorte* definiebatur, *ubi* tribus quaeque sedem habitura esset; *ambitus* finium pro *numero nominum* latior vel angustior describebatur (v. 54). Cf. *Cai.*, *Calm.* — His Deus generales leges in distributione terrae sanctae observandas stabilivit; quae solae h. l. interpreti sunt attendendae. Has leges sine dubio Iosue sapienter, non mechanice exsecutus est, ut regionem aestimaret non secundum solum ambitum, sed item secundum maiorem minoremve fertilitatem (*Bonfr.*).

3. *Traditur levitarum summa Num.* 26,57-62.

Arg. — Uti censui tribuum Num. 1 ab anno vigesimo adscribebatur Num. 3 census Levi ab uno mense, ita h. l. censui tribuum v. 1-51 adscribitur census Levi v. 57-62. Quorum traduntur familiae et numerus. Uti censui Ruben v. 8-11 appenditur summaria repetitio eventus, qui tribum Ruben attingebat, ita v. 58-61 repetitur, quae Ex. 6 et Num. 3,1-4 descripta fuerat, genealogia Moysis et Aaron.

Sed hanc genealogiam auctor non producit ultra *filios* Aaron, non adscribit nomina eorum nepotum Aaronis, qui 38 extremis annis adoleverant iamque sacerdotio fungebantur; ne Phinees quidem (Ex. 6, 25) recensetur. Sc. ii soli Aaronis posteri appellantur, qui exstitere postmodum familiarum capita, Eleazaridarum et Ithamaridarum. *Familia* Aaron nondum recensetur inter familias Levi, quia posteri Aaron nondum erant tot numero, ut familia essent eo sensu, quo vox hoc capite intelligitur, pars tribus numerosior. Amramitae item, demptis Aaronitis, non recensentur tamquam familia; hinc neque Moysis filii recensentur, qui his Amramitis adnumerabantur. Numerus familiarum Levi h. l. in eadem ratione est atque numeri familiarum reliquarum tribuum (4. 5. 7. 5. 4. 3. 8. 4. 7. 1. 5. 4 — Levi 8), quod est etiam probabile argumentum eius numeri admittendi pro genuino; sed est longe minor numero familiarum Levi Ex. 6. Sc. Ex. 6,13-28 (CEL p. 75 sq.) serius textui assutum est, quo tempore tribus Levi numeri plurimum increverant. Quando vero Israel versabatur in campestribus Moab, posterorum Gerson soli posteri Lobni ita in-

creverant, ut specialis inter Gersonitas censerentur familia; item soli posteri Hebron et Core inter Caathitas; inter Meraritas posteri tam Moholi quam Musi. Quia vero Core non scribitur Levi filius sed nepos, ideo v. 58 eius familia non recensetur cum Hebron, sed ad calcem Meraritarum.

v. 57 « *Hic quoque est numerus filiorum Levi per familias suas : Gerson, a quo familia Gersonitarum; Caath, a quo familia Caathitarum; Merari, a quo familia Meraritarum* ». v. 58 « *Hae sunt familiae Levi : familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core* ».

« *At vero Caath genuit Amram* », v. 59 « *qui habuit uxorem Iochabed filiam Levi, quae nata est ei in Aegypto* », mediate genita, cum Ex. 6,20 « patruelis » dicatur. « *Haec genuit Amram viro suo filios Aaron et Moysen, et Mariam sororem eorum* ». v. 60 « *De Aaron orti sunt Nadab et Abiu et Eleazar et Ithamar* ». v. 61 « *Quorum Nadab et Abiu mortui sunt, cum obtulissent ignem alienum coram Domino* ».

v. 62 « *Fueruntque omnes, qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini, ab uno mense et supra; quia non sunt recensiti inter filios Israel, nec eis cum ceteris data possessio est* ». Cf. 1,48 sqq.; 18,20.

4. *Conclusio census Num.* 26,63-65.

v. 63 «*Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt* » — *Hebr. numerati sunt* — « *a Moyse et Eleazaro sacerdote in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho* ». Sed non traditur summa, quia nati ab anno vigesimo et nati ab uno mense non possunt in unam summam confundi. v. 64 « *Inter quos nullus fuit eorum, qui ante numerati sunt a Moyse et Aaron in deserto Sinai* »; exceptis excipiendis, imprimis Moyse, Eleazaro, Ithamare aliisque forte levitis, de quibus dicebamus p. 117 sq. Sc. 14,22 sq. *praedixerat* Deus omnes, qui rebellaverant, absorptum iri, sed levitas rebellioni non accessisse l. c. suggerebamus. v. 65 « *Praedixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Iephone, et Iosue filius Nun* ».

III. LEX DE TRANSMITTENDA HAEREDITATE, ETIAM IN FILIAS NUM. 27,1-11.

Arg. — Petitio filiarum Salphaad, qui mortuus erat non relicta prole virili, occasio exstitit ferendae legis de transmittenda haereditate viri, qui sine prole virili vel sine ulla prole e vivis cessisset.

Ansam petitioni dedit divina lex 18,53 sqq., praecipiens, ut terra sancta divideretur iis, quorum nomina in censum relata fuerant; erant ii autem omnes viri. An ergo ab haereditate excludendae erant filiae et filiarum filii, quando pater sine prole virili e vivis cessisset? an penitus abolenda eiusmodi viri familia? (*Bonfr.*). *Cap. XXVII* v. 1 « *Accesserunt autem filiae Salphaad, filii Hepher, filii Galaad, filii Machir, filii Manasse* » (cf. ad 26,29 sqq.), « *qui fuit filius Ioseph, quarum sunt nomina Maala et Noa et Hegla et Melcha et Thersa* ». Salphaad igitur pertinebat ad familiam Hepheritarum. v. 2 « *Steteruntque coram Moyse et Eleazaro sacerdote et cunctis principibus populi* » — sed *Hebr. : et principibus et universa ecclesia* — « *ad ostium tabernaculi foederis, atque dixerunt* » : —

Erat is conventus maxime solemnis. Ergo ne dicas cum ***Men.***, ***Lap.***, eas ideo accessisse ad tabernaculum fœderis, quod proxime ab hoc abesset tabernaculum privatum Moysis. Res agebatur summi momenti, spectans ius haereditatis et proprietatis, praesentibus principibus et populo divino oraculo dirimenda. Sed res item agebatur, quae proxime spectaret ***Manassaeos***. Recole, quae CEL p. 6 sq. 13 etc. suggerebamus, Manassaeorum plures fuisse Moysi infensos. Quid, si is decerneret eius tribus nomen unum excidisse, ideoque eorum in terra sancta fines pro portione fore restringendos? At neque omnes Manassaei alienatis a Moyse erant animis. Nonne ipse concesserat, ut filius concubinae Machir primogeniti iuribus potiretur? Erant igitur factiones duae. Haud mirum, summa exspectatione omnes ad illam concionem confluxisse. Moyses vero nullis privatis rationibus se passus est ab aequitatis regula revocari : divinum oraculum requisivit obtentumque, quod Manassaeis tum favebat, promulgavit. Filiae apud Semitas non necessario excludebantur haereditate (Iob 42,15); tamen apud Hebraeos, praeter dotem, non habebant ius nisi ad sustentationem ante et post matrimonium (Ex. 21,9; Lev. 22, 13); lege Num. 26,53 utique excludebantur, ne terram haereditate acciperent, quamdiu fratrem haberent superstitem; pro casu, quando frater deficeret, Deus per Moysen legem tulit in earum favorem.

v. 3 « *Pater noster mortuus est in deserto nec fuit in seditione, quae concitata est contra Dominum sub Core, sed in peccato suo mortuus est; hic non habuit mares filios* ». Recte *Ps. Ion. :* peccavit ipse, alios peccare non fecit. Sed quodnam illud peccatum? Suggerit *Cai.* peccatum Num. 14, ob quod adulti tum omnes exclusi sunt ab ingressu terrae sanctae. Facitque *Calm.* illas filias ita loquentes : « Alienus est » pater noster « ab eorum numero, qui extraordinariam ultionem in suum caput provocavere, sive conscii murmuris sive gravioris alterius criminis, uti defectionis Dathan et Abiron. Vitam semper egit privatam, eodemque cum ceteris omnibus fato occubuit in deserto, latae a Domino sententiae reus, morte damnantis eos, quicunque

murmuris participes in Cades Barnea sese constituerunt ». Concesserim, aliquam ad peccatum Num. 14 allusionem haberi in vocibus *in deserto;* sed ne illud exprimi iudicem vocibus *in peccato suo*, sequentibus inducor rationibus. Licet ob illud peccatum adulti omnes exclusi sint ab ingressu terrae sanctae, non constat adultos ad unum omnes in eam rebellionem conspirasse : ergo gratuito hoc peccatum Salphaado tribuitur ut peccatum *suum*. Non video, cur tanto innocentior habeatur rebellio Num. 14, quam rebellio Core. Non puto, filias in eo fuisse, ut patrem publice determinati cuiusdam peccati reum facerent. Praeplacet igitur explanatio *Proc.*, censuisse illas mulieres, « neminem nisi ob peccatum aliquod privari prole virili ». Reapse, uti discipuli Christi Io. 9,2 arbitrabantur, debuisse ob aliquod peccatum factum esse, ut homo aliquis coecus nasceretur, ita antiquiores Hebraei, quando virum contuebantur sine prole virili e vivis cedentem, id ob peccatum aliquod factum esse suspicabantur. Sed tale peccatum secretum erat res interna peccatoris, erat vere *suum,* nequaquam publice puniendum lege. Ceterum Deus, cui nullum peccatum est secretum, sententiam ferens in favorem Salphaad, illud populare praeiudicium indirecte videtur reprobare. « *Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri* ». Nomen praeservabatur, si aliquis filiae filius id suum faciebat haereditate accepta. Ut autem nomina praeservarentur, debebat esse plurimum in votis, postquam regio divisa esset secundum numerum nominum : divisio facta evadebat incerta, imo iniusta, decrescente numero nominum. Ergo e mente legis Num. 26,52 sqq. erat, ut nomina, quantum fieri posset, perseverarent. Id petitioni filiarum Salphaad omnino favebat.

v. 4 « *Retulitque Moyses causam earum ad* [*iudicium*] *Domini* », v. 5 « *qui dixit ad eum* » : v. 6 « *Iustam rem postulant filiae Salphaad : da eis possessionem inter cognatos* » — seu potius *fratres,* vox hic stricte sumenda est, cf. v. 9 — « *patris sui, et ei in haereditatem succedant* ». v. 7 « *Ad filios autem Israel loqueris haec* » : — sequens lex orditur vocibus איש כי, membra subnectit voce ואם (cf. CEL p. 22. 416 sq. etc.) — v. 8 « *Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit haereditas* »; v. 9 « *si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos* »; v. 10 « *quodsi et fratres non fuerint, dabit haereditatem fratribus patris eius* »; « praeterit hic filios fratrum, quibus praeferri iubet patruum tamquam propinquiorem fonti, unde bona illa derivata sunt » (*Calm.*); v. 11 « *sin autem nec patruos habuerit, dabitur haereditas iis, qui ei proximi sunt* ». שאר solum (CEL p. 479) designat tam consanguineos quam affines :

sed ad *consanguineos* restringitur vox additis *qui appropinquat ei de familia eius*. Ceterum haec lex completur Num. 36, ubi cavetur ne possessio transeat ad aliam tribum. « *Eritque hoc filiis Israel [sanctum] lege perpetua, sicut praecepit Dominus Moysi* ». *Hebr. : erit lex iudicii*, « statutum, secundum quod iudicibus erit iudicandum et ferenda sententia » (*Bonfr.*). Cf. 35,29.

IV. IOSUE POPULI DUX CONSTITUITUR NUM. 27,12-23.

Arg. — Moyses frustra precatus, ut cisiordanicam ingredi permitteretur, iubetur montem Abarim ibidem moriturus conscendere. Mandati exsequendi dilationem impetrat, demonstrans primum oportere alium sibi suffici populi hebraei ducem. Sufficitur Iosue.

Refertur idem factum Deut. 3,23-28, et quidem in sermone aliquo Moysis, dum hic refertur in narratione historica. Ille sermo aliquid narrationis historicae omittit, aliquid supplet. Omittit, quod habetur h. l. v. 15-17, Deum, nonnisi Moyse primum rogante, eidem successorem designasse. Supplet illud Deut. 3,23-26 nonnisi Moysi primum roganti ut sententia Num. 20,12 revocaretur, mandasse Deum ut montem Abarim moriturus conscenderet. Res igitur hoc ordine actae sunt. Inde ab illa sententia Moysen ab ingressu terrae promissae excludente invaserat Moysen vehementissimum eiusdem ingrediendae desiderium. Citatis itineribus agmen duxit terram promissam versus, transiordanicam permissus est ingredi vivus, affulgebat spes veniae sibi concedendae etiam cisiordanicae intrandae. Tamen eam ingredi nisi Deo id explicite permittente, non est ausus, sed in castris prope Iordanem Dei veniam opperiebatur. Tandem morarum pertaesus ipse Deut. 3,23-26 Deo supplicatur, ut sibi ingressus concedatur. Deus « iratus » petita denegat, montem Abarim conscendere imperat ib. moriturum. Quid iam agat Moyses? Non erat Moyses is, qui unam passus repulsam a desideratis desisteret. Recole eius Ex. 32 sqq. ter repetitam supplicationem, qua populi veniam a Deo extorsit. Hac vice agit non eadem plane ratione. Praeceperat Deus, ut montem *conscenderet* et, quod e contextu elucet, ut *statim* ascenderet : Moyses, ut sibi dies nefastus differatur, efficere studet; monet, superesse negotium ante mortem procurandum, successorem designandum. Cui assentitur Deus mandato Num. 27,18 sqq. atque re illud *statim* revocat. Moyses abhinc non sibi existimat montem esse conscendendum, nisi novo edito mandato Deus tempus determinet. Neque tum videtur omnem spem desideratorum obtinendorum abdicasse; non tamen ausus est Deum prior ipse iterum rogare, quod iratum Deut. 3,26 expertus esset *sibi*, dum Ex. 32 sqq. non sibi sed populo infensus fuisset Deus. Tandem Deus Deut. 32,48 mandatum conscendendi montis iterat Moysesque illi obsequitur.

Si ita res habuerit, quaeres, cur ea h. l. non enarretur distinctius. Id, quod narrator h. l. potissimum intendebat, non erat Moysis supplicatio a Deo reiecta, sed principatus in Iosuen translatus. Praeterea recolas, quaeso, quae inde ab Exodo non semel observabamus : supprimuntur sc. narranda aliqua, quae ad aedificationem lectoris hebraei haud censerentur esse factura. Supprimebatur caedes sacerdotum praemosaicorum, velabatur Moysis ad Aquas Contradictionis peccatum, plura in actis Balaam nominibus appellabantur non suis. Moysis utique Ex. 32 sqq. sup-

plicatio, qua veluti ab invito numine Hebraeorum veniam extorsit, fuse describitur : altera haec supplicatio, quae effectu caruit, levius attingitur. — Vides iam Deut. 32, 49-52 non esse erroneam repetitionem textus Num. 27,12-14 (*Dillm.*).

v. 12 « *Dixit quoque Dominus ad Moysen : Ascende in montem istum Abarim* » (cf. p. 243. 247) « *et contemplare* [*inde*] *terram, quam daturus sum filiis Israel* »; v. 13 « *cumque videris eam, ibis et tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron* » : v. 14 « *quia offendistis me in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me* [*voluistis*] *coram ea super aquas* ». Verba explicabamus ad 20,12 sq. Ludunt ea etiam in nomine loci Cades, quod suppetere censetur adiumentum mnemoneuticum ad hoc factum certius memoria retinendum. Sequentia verba non est locutus Deus, sed a recentiore quodam videntur esse adiecta : « *Hae sunt Aquae Contradictionis in Cades deserti Sin* ». Effert *Aug.* Dei in Moysen benignitatem, qui Aaronem nullam sit passus terrae promissae partem ingredi, Moysen permiserit transiordanicam intrare. « Cum vero ambobus fratribus dicitur, ut apponantur ad populum suum, manifestum est non esse in illos iram Dei, quae separat a pace sanctae societatis aeternae ».

v. 15 « *Cui respondit Moyses* » : v. 16 « *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis* », omnium animarum humanarum (cf. 16,22), qui eligere potest quemcunque vult, « qui spiritus et corda hominum novit et scit, ad quae quis aptus sit » (*Men.*), « *hominem, qui sit super multitudinem* [*hanc*] », v. 17 « *et possit exire et intrare ante eos, et educere eos vel introducere, ne sit populus Domini sicut oves absque pastore* ». Recte monet *Men.* esse metaphoram sumptam a pastoribus ducentibus gregem : « hi enim ante exeunt et intrant, atque ita pascunt et regunt ». Monetque *Calm.*, Christum idipsum praedicare de se ut bono pastore Io. 10,4. Porro, quia reges sunt pastores populorum, eadem metaphora eorum *gubernatio* designatur (cf. 3 Reg. 3,7; 2 Par. 1,10 etc.; *Vat.*). Ergo *educere* non est solum educere ad bellum, *introducere* introducere in urbem vel terram promissam (*Sa*). Quod modo dicebamus, Moysen de successore quaesivisse, etiam quo dilationem gravis mandati obtineret, cave ne eum eo unico fine locutum esse reputes. Petitum eius erat aequum et sapiens, neque immerito dicit *Or.*, eum hac in re « populi curam egisse magis quam sui ».

v. 18 « *Dixitque Dominus ad eum : Tolle* » *tibi* « *Iosue filium Nun, virum in quo est Spiritus* », utique Sanctus (*Aug.*), spiritus prudentiae, fortitudinis omniumque virtutum, quae bono principi sunt necessariae (*Lap.*); non tam *spiritus prophetiae* (*Targ.*). « *Et pone manum tuam super eum* ». Quo ritu tradebatur Iosue et dedicabatur Dei

servitio (Ex. 29,10; Lev. 1,4 etc.), benedictionem nanciscebatur (Gen. 48,14), cuius effectus describitur Deut. 34,9 : « repletus est spiritu sapientiae, quia Moyses posuit super eum manus suas ». Habuerat spiritum antea, illo *repletus* est illa manuum impositione. E v. 22 sq. perspicitur, quod fere per se evidens est, Iosuen primum in medium esse productum, dein manus illi impositas. v. 19 « *Qui stabit coram Eleazaro sacerdote et omni multitudine* », v. 20 « *et dabis ei praecepta cunctis videntibus* » — וצויתה אתו, *et deputabis eum* (Ier. 14,14; 23,32; Gen. 12,20), et quidem publice, renuntiabis principem. Non agitur de regulis bonae gubernationis Iosue tradendis (*Lap.*), licet id fortasse etiam praestiterit Moyses (cf. 1 Reg. 8,11 sqq.) — « *et partem gloriae tuae, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel* ». Facies illum tuae gloriae participem, suam quippe gloriam Moyses ad ultimum halitum usque totam retinet, non abdicat. Per *gloriam* non intelliguntur radii faciem illuminantes (*Rabbini*), quos in Iosuen esse translatos nusquam legimus; non insignia quaedam auctoritatis (*Cai.*), quae Moysen gestasse non comperimus; sed « ut Moyses, quamdiu viveret, cum Iosue tamquam novo principe communicaret suam auctoritatem, potestatem,... ut in posterum ei non tamquam minister adesset, sed tamquam princeps assideret » (*Bonfr.*). Cf. Ps. 20 (21), 6; 95 (96), 6; 1 Par. 29,25 etc. v. 21 « *Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum* ». *Hebr. : Et coram Eleazaro sacerdote stabit, et interrogabit* Eleazar *pro eo in iudicio Urim coram Iahve.* Quando oraculum quaeritur per Urim et Thummim, solus Iosue interrogationem defert ad pontificem, non alius; oraculum elicit solus pontifex. Ceterum h. l. ea sola referuntur quae Iosue obtingebant vi impositionis manuum, non charismata gratuito a Deo adiecta, uti immediata Dei alloquia (Ios. 8,1 etc.) et alia. Utique non exstitit Iosue propheta, qualis Moyses fuerat (Deut. 34,10), non leges novas condidit, sed ante conditas applicavit et executus est. « *Ad verbum eius* », sc. Iahve per oraculum loquentis, « *egredietur et ingredietur ipse* » Iosue « *et omnes filii Israel cum eo, et* [*cetera*] *multitudo* ». Distinguuntur hic *omnes filii Israel*, i. e. universus populus, ab עדה *concione*, comitiis. v. 22 « *Fecit Moyses, ut praeceperat Dominus. Cumque tulisset Iosue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote et omni frequentia populi* », v. 23 « *et impositis capiti eius manibus,* [*cuncta*] *replicavit* », seu potius *eum deputavit*, principem renuntiavit, « *quae mandaverat Dominus.* »

V. LEGES DE OBLATIONIBUS SACRIS NUM. 23-30.

1. *Lex de sacrificiis solemnibus, qua revocatur indulgentia Num.* 15 *ad tempus concessa Num.* 28,1-30,1.

Arg. — Num. 15, initio 37 annorum in deserto transigendorum, suspenderat Deus usque ad ingressum terrae sanctae legem de minchis et libationibus cum victimis offerendis, quod earum rerum copia in deserto difficilius procuraretur. Ubi Hebraei regione transiordanica potiti sunt atque fructibus terrae vescebantur, suspensionem illam revocavit Deus lege Num. 28 sq. Fiebatque ea revocatio convenientius per Moysen magnum legislatorem, quam ut Iosue facienda committeretur. Ceterum Deus, post mandatum 27,12 Moysi hanc aliam legem tradens promulgandam, significavit illud mandatum non oportere exsecutioni mandari ante, quam ipse illud iterasset. Lex Num. 28 sq. egregie confirmat veritatem non solum legis Num. 15, quam revocat, sed etiam totius quadragenariae Israelis in deserto commorationis : quorsum enim et una lex suspenditur, et suspensio postmodum revocatur, nisi vere annis bene multis Israelitae in deserto commorati sunt? Priorem igitur illam legis suspensionem revocaturus Moyses non nudum de minchis et libationibus tractatum tradit, sed absolutum tractatum de sacrificiis publico nomine, non spontanee sed legitime offerendis. Priorum legum duas prae oculis habet : legem Ex. 29,38-42 de sacrificio quotidiano et legem Lev. 23 de festis. Has leges iterat, complet, explicat. Complet additis sacrificiis sabbatis et in noviluniis offerendis, de quibus antea nihil lege sancitum fuerat. Textui legis de sacrificio quotidiano, a Deo editae in magna illa revelatione, qua totius novi sanctuarii ratio describebatur, fidelissime adhaeret, ita ut variantes lectiones sint paucae tantum eiusque indolis, ut scribarum incuriae omnino sint attribuendae. Tamen voces inserit tres ad aliquos communiores eliminandos defectus. In tractatu de festis 28,16-29, 38 adhaeret Moyses eidem atque Lev. 23 ordini. Verba initio singularum paragraphorum consonant verbis Lev. 23, mox vero aliis omissis ad explicanda sacrificia transit oratio. Proportio minchae et libationis singulis victimis adhibendarum adamussim eadem est, quae a nobis initio Num. 15 tabella describebatur. Uti ib., sacrificium pro peccato mincham adiunctam non habet.

Cap. XXVIII. v. 1 « *Dixit quoque Dominus ad Moysen* » : v. 2 « *Praecipe filiis Israel et dices ad eos : oblationem meam et panes et incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua* ». Cum *LXX Syr.*

אשי puncta statum constructum, sine suffixo. *Hebr. : oblationem meam*, את קרבני; et sequitur appositio excellentiam talis oblationis extollens : *cibum meum in combustionem odoris suavissimi*. Sacrificia sunt *cibus Dei*, quem ipse consumit non grosso modo masticando, sed odorem suavissimum inhalando. Cibus debetur regi, et quidem statutis temporibus pendendus. Haec igitur est veluti thesis, quae sequentibus explicatur et v. 3 introducitur verbis a sola *Vulg*. omissis : *Et dices ad eos*. Sequitur inde totius tractatus inscriptio : « *Haec sunt sacrificia* », *combustiones*, « *quae offerre debetis* » *Iahve*. Ergo de solis sacrificiis comburendis agitur; unde patet v. 2 *panes* non referri ad panes propositionis sed, uti aliis etiam locis, ad ipsas victimas (cf. Lev. 3,16; 21,6. 8. 21 etc.).

Sacrificium quotidianum Num. 28,3-8.

« *Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum* ». Pro עלה cum *Sam*. scribi עלת, postulat grammatica. Ceterum vox non habetur Ex. 29,28; insistitur igitur h. l. eius sacrificii excellentiae, ut sit holocaustum. Vocibus שנים ליום solus *Hebr*. caret. Addita vero h. l. deprehenditur vox תמימם, quam Lev. 29 ignorat : fieri potuit sive ex avaritia sive ex incuria, ut producerentur victimae non *immaculatae*, aliquo legali defectu vitiatae. v. 4 « *Unum offeretis mane et alterum ad vesperum* »; verbotenus idem atque Ex. 29,39; v. 5 « *decimam partem ephi similae, quae conspersa sit oleo purissimo et habeat quartam partem hin* ». Pro ועשירית mendose *LXX* ועשית עשירית. כתית, *tuso* (cf. ad. Ex. 27,20) ignorant *Sam. LXX Vulg.*, sed vox habetur Ex. 29,40. Sane עשירית האיפה pro עשרון, רביעת pro רבע, בלולה pro בלול levissimae sunt variantes. Sed additur, similam offerri *ut mincham :* inculcatur sc. rei dignitas, non est mera ceremonia sed sacrificium incruentum. v. 6 « *Holocaustum iuge est* », nullo die intermittendum et toto die producendum, ita ut semper alterutrius agni aliquid sit in altari, « *quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini* ». Verte *combustionem Iahve*. Hic versus correspondet Ex. 29,42. Sc. utrobique sacrificii quotidiani dignitas extollitur, incipiendo vocibus עלת תמיד. Post quas ibi extollitur sacrificium, quod offeratur *ante ostium tabernaculi conventus* iamiam construendi; hic quod sit idem sacrificium, quod oblatum sit *in monte Sinai*. Patriarchas non crediderim sacrificium obtulisse quotidianum, multoque minus iuge : id quippe privati hominis vires excedit. Ergo iuge hoc sacrificium in monte Sinai offerri *coeptum* est. v. 7 « *Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos* ». Idem

habes Ex. 29,40[b] (hic ונסכו pro ונסך); sed additur h. l. : « *in sanctuario Domini* » *libabitis libamen fermentatum Iahve.* Fortasse invaluerat abusus adhibendi sacrificiis succi non fermentati uvae sive recentis sive passae, dum alii libationem peragebant extra sanctuarium, indecenter atque intemperanter. v. 8 « *Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam iuxta omnem ritum sacrificii matutini et libamentorum eius, oblationem suavissimi odoris Domino* ». Sed *Hebr. : mincham et libamentum offeres eadem, atque mane.* Haec verbotenus eadem sunt, atque Ex. 29,41; וכנסכו pro וכנסכה; transposito אשה omittitur לה.

Sacrificium sabbatorum Num. 28,9 sq.

Obtulerintne sacrificium singulis sabbatis patriarchae, silente scriptura definire haud possumus. Si faciebant, ille usus apud Hebraeos ante Moysen utique cum ipso sabbato (Ex. 16,22 sq.) negligebatur. v. 9 « *Die autem sabbati offeretis* » duplum eius, quod diebus feriatis offertis, sc. « *duos agnos anniculos immaculatos, et duas decimas similae oleo conspersae in sacrificio* », i. e. *in mincham,* « *et liba* ». v. 10 « *Quae rite [funduntur] per singula sabbata in holocaustum sempiternum* ». Imperfecte haec reddunt *Hebr.* : *Holocaustum sabbati in sabbato suo,* ipso die offerendum, non in alium diem transferendum (Dillm., cf. v. 14), *praeter holocaustum perpetuum*, quotidianum, *et libationem eius.* Sc. sacrificium quotidianum nunquam omittebatur, sabbatis et festis aliae illi victimae addebantur, singulis sabbatis sex agni immolabantur.

Sacrificium noviluniorum Num. 28,11-15.

Non antea ediderat Moyses legem de noviluniis omnibus sacris habendis. Postmodum eorum sacrificiorum mentio habetur Is. 1,13 sq.; Ez. 45,17; 46,6 sq.; 1 Esdr. 3,5; 2 Esdr. 10,34; 1 Par. 23,31; 2 Par. 2,4; 8,13; 31,3. Pro noviluniis eadem sacrificia praescribuntur, atque pro diebus hebdomadae azymorum et pro die Pentecostes v. 19 sqq. 27 sqq. v. 11 « *In calendis autem offeretis holocaustum Domino vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos* »; omnes victimas mares; v. 12 « *et tres decimas similae oleo conspersae in sacrificio* » — verte *in mincham* — « *per singulos vitulos; et duas decimas similae oleo conspersae* » *in mincham* « *per singulos arietes* »; v. 13 « *et decimam similae ex oleo in sacrificio* » — verte *in mincham* — « *per agnos singulos. Holocaustum* » hoc totum v. 11-13 descriptum « *suavissimi odoris [atque] incensi est*

Domino », seu verius *combustio Iahve.* v. 14 « *Libamenta autem vini,* [*quae per singulas fundenda sunt victimas*], *ista erunt : media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum* ». Ubi libamentum fusius describitur (v. 7. 14), ponitur post sententiam *holocaustum etc.* (v. 6. 13); videtur fere libamentum fuisse accessorium sacrificii, dum mincha erat pars ipsius sacrificii. Ubi libamentum obiter tantum attingitur (v. 8. 9. 24. 31; 29,6. 11. 16. 19. 22. 25. 28. 31. 34. 38), extremum adscribitur post mincham neque habetur illa sententia. « *Hoc erit holocaustum per omnes menses,* [*qui sibi*] *anno* [*vertente succedunt*] ». Haec sententia claudit sermonem de holocausto v. 11-14; sequitur v. 15 victima pro peccato : ergo non praescribebatur victima pro peccato singulis diebus vel sabbatis. v. 15 « *Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in* », seu verius *super,* « *holocaustum sempiternum* », quotidianum, « *cum libamentis suis* ». Sacrificium pro peccato libamentum habebat, sed non habebat mincham (cf. ad 15,3). Non imponebatur holocausto festivo v. 11, quasi pars esset solemnitatis, sed holocausto quotidiano.

Sacrificia octavae Phase Num. 28,16-25.

v. 16 « *Mense autem primo, quartadecima die mensis, Phase Domini erit* ». Verbotenus uti Lev. 23,5, omisso בין הערבים. Nihil aliud dicitur de ipso die Phase, qui alia praeter agnum paschalem et sacrificium quotidianum sacrificia non habet. Sequentis septidui sacrificia eadem sunt atque noviluniorum. v. 17 « *Et quintadecima die solemnitas* »; — « azymorum Iahve est » additur Lev. 23,6 — « *septem diebus vescentur azymis* ». יאכל pro תאכלו. v. 18 « *Quarum dies prima venerabilis et sancta erit* », seu verius *concio sacra :* « *omne opus servile non facietis in ea* ». De adscripta voce עבדה ad denotandam requiem minus strictam requie sabbatica dicebamus CEL p. 514. Cf. Lev. 23,7 : hic uti v. 25 omittitur יהיה לכם. v. 19 uti Lev. 23,8 orditur vocibus והקרבתם אשה ליהוה, inde transit ad explicanda sacrificia : « *Offeretisque incensum holocaustum Domino* » — verte : *et offeretis combustionem, holocaustum Iahve* — « *vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem* »; v. 20 « *et sacrificia* » — verte *mincham* — « *singulorum ex simila, quae conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos; et duas decimas per arietem* »; v. 21 « *et decimam decimae per agnos singulos,* [*i. e.*] *per septem agnos* »; v. 22 « *et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis* », v. 23 « *praeter holocaustum matutinum, quod semper offeretis* ». Quo minime negatur offerri etiam sacrificium quotidianum ves-

pertinum, sed enuntiatur haec sacrificia solemniora semper *mane* offerri. v. 24 « *Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis* [*et*] *in odorem suavissimum Domino* ». Verte : *Ita,* i. e. easdem victimas, *immolabitis etc. panem combustionis,* cibum Dei, cuius combusti suavi odore delectatur. Pergit *Vulg.* : « *qui surget de holocausto et de libationibus singulorum* ». Sed verte : *super holocaustum perpetuum,* holocausto quotidiano impositum, *offeretur cum libatione sua.* Porro hic versus refertur tam ad holocaustum v. 19 quam ad sacrificium pro peccato v. 22, quae hoc septiduo quotidie offerri iubentur. Solum diem septimum respicit v. 25 : « *Dies quoque septimus celeberrimus et sanctus erit vobis* », seu verius *concio sacra* erit uti die primo v. 18 ; « *omne opus servile non facietis in eo* ». Cf. Lev. 23,8.

Sacrificium Pentecostes Num. 28,26-31.

Non est sermo hic de agnis Lev. 23,12 a singulis privatis offerendis, uti neque supra de agnis paschalibus, quia haec non immolantur publico sed privato nomine. Ad Lev. 23,18 monebamus, illum textum videri defiguratum, nostrum v. 27 corruptum. v. 26 « *Dies etiam primitivorum* » seu primitiarum, « *quando offeretis novas fruges Domino* » — quae sententia relativa idem edicit atque Lev. 23,16 « offeretis mincham novam Iahve » — « *expletis hebdomadibus* », — *Hebr. : in hebdomadibus vestris,* expressio contracta (*Dillm.*) ex *in solemnitate hebdomadarum vestrarum.* Reliqua pars v. 26 eadem est atque Lev. 23,21 — « *venerabilis et sancta erit* », i. e. *concio sacra erit vobis ;* « *omne opus servile non facietis in ea* ». v. 27 « *Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum et agnos anniculos immaculatos septem* ». Hic uti Lev. 23,18 legunt *Sam. LXX Vulg.* תמימים, quod tamen h. l. a scriptore supprimi potuit, quod v. 31 illud suppleat. Mincham, quae Lev. 23,18 indicabatur tantum, explicat v. 28 : « *atque in sacrificiis eorum* » — verte *in mincham eorum* — « *similae oleo conspersae tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas* », v. 29 « *per agnos decimam decimae, qui* [*simul*] *sunt agni septem ; hircum quoque* » pro peccato, v. 30 « *qui mactatur pro expiatione. Praeter holocaustum sempiternum et liba eius* » — sed nihil de liba : *et mincham eius,* sc. holocausti quotidiani, *immolabitis* ea. v. 31 « *Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis* ».

Sacrificium novilunii septimi mensis Num. 29,1-6.

Cap. XXIX v. 1 « *Mensis etiam septimi prima dies venerabilis et*

sancta », i. e. *concio sacra*, « *erit vobis; omne opus servile non facietis in ea, quia dies clangoris est et tubarum* ». Versus verbotenus fere consentit cum Lev. 23,24, nisi quod illud de tubis ad finem remittat. Holocaustum vero, quod ib. attingitur tantum, h. l. v. 2 sqq. explicatur. v. 2 « *Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum et agnos anniculos immaculatos septem* »; v. 3 « *et in sacrificiis* » — verte *in mincham* — « *eorum similae oleo conspersae tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem* », v. 4 « *unam decimam per agnum, qui* [*simul*] *sunt agni septem* »; v. 5 « *et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi* ». Nequaquam vero in hoc novilunio omittendum sacrificium, quod omnibus noviluniis commune est v. 6 : « *praeter holocaustum calendarum cum sacrificiis suis* », seu verius *mincha sua*, « *et holocaustum sempiternum* », quotidianum *cum mincha sua et* « *cum libationibus* [*solitis*] » — suffixum ad omnia sacrificia v. 2-6 refertur; pergitque *Hebr.* : *sicut praeceptum est;* pro quo *Vulg.* minus accurate « *eisdem ceremoniis offeretis* » — « *in odorem suavissimum incensum* », i. e. *combustionem*, « *Domino* ».

Sacrificium diei expiationis Num. 29,7-11.

v. 7 idem est cum Lev. 23,27. 28[a]; ultimum v. 27 incisum, quod est de sacrificiis, explicatur v. 8 sqq., omissa tractatione de expiatione. v. 7 « *Decima quoque dies mensis huius septimi erit vobis sancta atque venerabilis* », i. e. erit *concio sacra*, « *et affligetis animas vestras; omne opus* [*servile*] *non facietis in ea* ». Omittitur עבדה uti Lev. 23,28, praecipitur quippe stricta requies, qualis sabbatis observabatur. v. 8 « *Offeretisque holocaustum Domino in odorem suavissimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem* »; v. 9 « *et in sacrificiis* » — verte *in mincham* — « *eorum similae oleo conspersae tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem* », v. 10 « *decimam decimae per agnos singulos, qui sunt* [*simul*] *agni septem* »; v. 11 « *et hircum pro peccato absque his, quae offerri pro delicto* » — seu verius *pro peccato* — « *solent in expiationem* », i. e. sacrificium Lev. 16 descriptum, « *et holocaustum sempiternum cum sacrificio* » — verte *mincha* — « *et libaminibus eorum* ».

Sacrificia octavae festi tabernaculorum Num. 29,12-38.

Uti Lev. 23,35, concio sacra et operis servilis prohibitio non adscribuntur nisi pro die prima et octava. v. 12 « *Quintadecima vero die mensis septimi* [*quae*] *vobis sancta erit atque venerabilis* », — seu

verius *concio sacra* — « *omne opus servile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus* ». Hic versus idem est cum Lev. 23, 34 sq., solum festi tabernaculorum nomen ignorat. Unde inferat quis, additamentum Lev. 23,39-43 esse hac nostra lege recentius, nonnisi postquam populus in terra promissa quietas sedes obtinuit, laetum illum tabernaculorum viridantium morem in legem esse versum. Explicantur porro sacrificia, et quidem pro singulis diebus. v. 13 « *Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim* »; v. 14 « *et in libamentis* » — corrige *in mincham* — « *eorum similae oleo conspersae tres decimas per vitulos singulos, qui sunt* [*simul*] *vituli tredecim; et duas decimas arieti uno, i. e.* [*simul*] *arietibus duobus* »; v. 15 « *et decimam decimae agnis singulis, qui sunt* [*simul*] *agni quatuordecim* ». *Sam.* addit *et libamenta eorum.* Utique hoc sacrificium habuit libamenta, uti reliqua omnia, sed eorum mentio non est versui 15 appendenda, cum habeatur extremo v. 16, ubi vertendum absolute neque praefixa copula *mincha eius et libamen eius*, sc. holocausti v. 13 cum annexo sacrificio pro peccato. v. 16 « *Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno et sacrificio et libamine eius* ». Sequitur secundus octavae dies v. 17 : « *In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim* »; v. 18 « *sacrificiaque* » — *mincham* — « *et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis* »; v. 19 « *et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque* » — *mincha* — « *et libamine eius* ». v. 20 « *Die tertio offeretis vitulos undecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim* »; v. 21 « *sacrificiaque* » — *mincham* — « *et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis* »; v. 22 « *et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque* » — *mincha* — « *et libamine eius* », v. 23 « *Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim* »; v. 24 « *sacrificiaque* » — *mincham* — « *et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis* »; v. 25 « *et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque* » — *mincha* — « *eius et libamine* ». v. 26 « *Die quinto offeretis vitulos novem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim* »; v. 27 « *sacrificiaque* » — *mincham* — « *et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis* »; v. 28 « *et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque* » — *mincha* — « *eius et libamine* ». v. 29 « *Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos imma-*

culatos quatuordecim »; v. 30 « *sacrificiaque* » — *mincham* — « *et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis* »; v. 31 « *et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno sacrificioque* » — *mincha* — « *eius et libamine* ». v. 32 « *Die septimo offeretis vitulos septem et arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim* »; v. 33 « *sacrificiaque* » — *mincham* — « *et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis* »; v. 34 « *et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno sacrificioque* » — *mincha* — « *eius et libamine* ». v. 35 « *Die octavo, qui est celeberrimus* » — *Hebr. : erit vobis* עצרת, cuius vocis loco Lev. 23,36 scribitur מקרא קדש, sed illico ib. etiam sequitur עצרת. Cf. CEL p. 518. Fortasse vox designat festum aliquod populare potius quam sacrum. *Ps. Ion. :* « congregamini in gaudio de tabernaculis vestris » — « *omne opus servile non faciatis* »; v. 36 « *offerentes holocaustum in odorem suavissimum Domino vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem* »; v. 37 « *sacrificiaque* » — *mincham* — « *et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabitis* »; v. 38 « *et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno sacrificioque* » — *mincha* — « *eius et libamine* ».

Clausula legis Num. 29,39.

v. 39 « *Haec offeretis Domino in solemnitatibus* », *Hebr. in conventibus,* « *vestris* », non in solis festis solemnioribus, sed item in sabbatis, « *praeter vota et oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine et in hostiis pacificis* ». Haec sunt sacrificia lege statuta : alia sunt, quae sive ex voto sive spontanee sine voto offeruntur a re publica vel a privatis (Lev. 27; Ex. 35,29; Lev. 22,23). *Hebr. : praeter* omnia *inde a votis vestris et oblationibus vestris spontaneis, usque ad holocausta vestra et minchas vestras et libamenta vestra et pacifica vestra.*

Cap. XXX v. 1 « *Narravitque Moyses filiis Israel omnia, quae ei Dominus imperarat* ».

Subiicimus conspectum *holocaustorum*, quae publico nomine quotannis immolanda erant. Omittimus hircum *pro peccato*, qui non diebus feriatis neque sabbatis neque die Phase, sed aliis festis omnibus non holocausto festivo, sed quotidiano imponebatur. In die Phase non erat ei hirco locus, quia sanguis agni postibus illitus Deum Hebraeis plene propitiabat.

	Agni	Arietes	Vituli	Festi dignitas
Dies feriati	2	—	—	S
Sabbata	4	—	—	SD
Novilunia	7	1	2	D II^ae^ classis
Phase	(Agni paschales)			Festum festorum
7 dies azymorum	7	1	2	D II^ae^ classis
Pentecoste	7	1	2	D II^ae^ classis
Novilunium 7^i^ mensis	7	1	1	D
Dies expiationis	7	1	1	D
Festum tabernaculorum	14	2	13	D I^ae^ classis
Octavae dies 2us	14	2	12	D I^ae^ classis
Octavae dies 3us	14	2	11	D I^ae^ classis
Octavae dies 4us	14	2	10	D I^ae^ classis
Octavae dies 5us	14	2	9	D I^ae^ classis
Octavae dies 6us	14	2	8	D I^ae^ classis
Octavae dies 7us	14	2	7	D I^ae^ classis
Octavae dies 8us	7	1	1	D

Ad haec nota sequentia :

1) Sacrificia eodem die ex diversis rationibus offerenda non confunduntur, sed invicem supperadduntur. Sabbatum habet sacrificium et quotidianum et sabbaticum, agnos omnino sex. Si novilunium incidat in sabbatum, illis sex agnis accedunt victimae noviluniis attribuendae. Novilunium septimi mensis, praeter sacrificium quotidianum et victimas omnium noviluniorum communes, suas rursum habet victimas. Et ita porro.

2) Victima omnium victimarum potissima quoad holocaustum est *agnus* (quoad luendum peccatum Lev. 4 victima maior et robustior anteponitur minori et debiliori). Nullus dies, nullum festum agnis caret victimis holocausti; numerus agnorum semper excedit aliarum victimarum numerum (hinc in festo tabernaculorum 14 agnis accedunt vituli 13 tantum); festum omnium festorum supremum Phase solos agnos habet, non quidem publico gentis, sed privato familiarum nomine ex lege immolatos. Agni in festis semper immolantur numero sacro, aut septeni aut bis septeni. Conspectus noster pandit eminentiam agni paschalis super omnes victimas holocaustorum, eminentiam antitypi Christi super universum cultum V. T.

3) In festis accedunt agnis victimae aliae : agnis septem additur *aries* unus, agnis bis septem arietes duo; agnis septem praeterea adduntur *vituli* aut unus aut duo, dum in festis tabernaculorum numerus vitulorum artificiose decrescit a 13 ad 7.

4) Quo festi cuiusque dignitas clarius perspiciatur, adscripsimus conspectui nostro notas e rubricis ecclesiae N. T. depromptas : S = simplex; S D = semiduplex; D = duplex.

2. *Lex de irritatione votorum Num.* 30,2-17.

Arg. — Vir (pater, maritus) mulieris vota licite irritat vel rata habet primo die, quo eadem comperit. Post quem diem irritat ea maritus valide, sed non licite. Pleniorem argumenti conspectum offert tabella.

1. De votis virorum v. 3.

v. 3 איש כי — Ea vota semper sunt rata.

2. De votis mulierum v. 4-16.

v. 4 ואשה כי

a. mulieris *in domo patris* degentis v. 4-10;

α. *puellae innuptae* vota

patre non contradicente rata sunt v. 4 sq.,

v. 6 ואם — patre contradicente irrita sunt v. 6;

v. 7 ואם — β. *puellae neonuptae* ante matrimonium suscepta vota viro non contradicente rata sunt v. 7 sq.,

v. 9 ואם — viro contradicente irrita sunt v. 9.

v. 10 ונדר — Additum : vota *viduae* et *repudiatae* semper rata sunt v. 10.

b. *Uxoris in domo mariti* degentis vota v. 11-16

viro non contradicente rata sunt v. 11 sq.,

viro contradicente irrita sunt v. 13.

v. 14 כל נדר — Additum. Regula generalis : mariti est vota uxoris rata habere aut irritare v. 14;

v. 15 ואם — licite irritat primo tantum die, quo illa comperta habet v. 15;

v. 16 ואם — postea irritat illicite quidem sed, ad tempus saltem, valide v. 16.

Subscriptio legis v. 17 : אלה החקים;

Duae mulierum classes hac lege distinguuntur, degentium in domo patris vel in domo mariti : sed materiae illis classibus attribuuntur cum amplitudine quadam. *Puella neonupta* accensetur mulieribus in domo patris degentibus, quia saepe non illico post nuptias domo paterna excedit; sed eadem sane lex valebat pro neonupta in domum mariti iam translata. *Vidua* et *repudiata* accensentur degentibus in domo paterna, quia illuc, ut plurimum, se recipiebant; lex v. 10 a fortiori valitura erat pro vidua vel repudiata propriam domum habente (v. g. Iudith). Poteratne maritus votum *uxoris* extra domum suam degentis irritare, antequam illa ad ipsum rediisset? Haec et alia quaedam rabbinis discutienda permittebantur.

Legi Num. 28 sq., quae tractatum oblationum *legitimarum* absolvit, adscribitur Num. 30 lex complens tractatum de oblationibus *voluntariis*. Est ea sc. complementum legum Lev. 27 et Num. 6 traditarum quoad *vota*. Agebat illa de redemptione votorum, haec de aliqua votorum specie, nazaraeatu. Illae leges statuebantur indiscriminatim pro viris et mulieribus : at mox docuit experientia, aliquod hac in re statuendum esse viros inter et mulieres discrimen. v. 2 « *Et locutus est* » *Moyses* « *ad principes tribuum filiorum Israel* » : — cur ad hos? utique, « quod per eos ad populum erant referenda » (*Sylv.*), quae ipse dixerat; eratque haec fortasse consueta ratio, qua Moyses cum populo communicaret, ut ipse alloqueretur principes, hi populum.

Neque enim unus Moyses totam simul multitudinem alloqui poterat. — « *Iste est sermo, quem praecepit Dominus* » *vobis.* v. 3 « *Si quis virorum votum Domino voverit* » aliquid dandi vel praestandi, « *aut se constrinxerit iuramento* », — verte : *aut voverit abstinentiam aliquam* — « *non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit* ».

In hoc capite duo constanter distinguuntur : נדר נדר, *vovere votum* — et iuramento אסר אסר על נפש, *ligare ligamen super animam suam, LXX limitari limitatione quoad animam suam;* quae expressio synonyma est expressionis v. 14 *iuramentum ligaminis ad affligendum animam suam.* Unde efficitur, נדר h. l. intelligi votum alicuius rei dandae vel praestandae, אסר votum alicuius abstinentiae observandae. Eiusmodi abstinentia erat nazaraeatus et alia quaedam, quae h. l. nota esse supponuntur. Num. 6,2. 21 etiam nazaraeatus vocatur נדר : distinctio inter נדר et אסר hoc solo loco adhibetur et adhibenda erat. Sc., quod uxor hebraea esset mariti possessio, ab ipso pensa dote a parentibus empta, non possidebat ea proprie et plene ulla bona mobilia, requirebatur consensus mariti saltem tacitus, non solum quo votum esset ratum, sed etiam quo iuste transferretur ius proprietatis, ubi de re aliqua Deo consecranda agebatur. Verum aliter res habebat quoad vota abstinentiae אסר : in his plena libertate fruebatur uxor, haecque h. l. erant explicite recensenda, ne hanc legem putarent mulieres de solis agere rebus Deo consecrandis. — השבע inf. pro verbo finito, qualis, uti hic praecedente copula, legitur item Gen. 41,43; Ex. 8,11. *LXX Syr.* in לאסר pro ל erronee ו vel או. — *Ps. Ion.* v. 3 *virum* scribit « tredecim annos natum », eximens pueros impuberes, hincque nata est inter rabbinos quaestio, essentne rata habenda eiusmodi puerorum vota. Ea certe indirecte irritare poterat pater, saltem quamdiu puer sub eius manebat potestate. Cf. *Tost.*, *Bonfr.* Ceterum nostrum non est dirimere casus, de quibus nihil affirmat textus.

v. 4 « *Mulier si quippiam voverit et* » — sed secundum v. 3 intellige copulam disiunctivam = *aut* — « *se constrinxerit iuramento* », *ligaverit ligamine*, sc. promissione servandae abstinentiae cuiusdam, « *quae est in domo patris sui et in aetate* [*adhuc*] *puellari* » : — quod non est idem atque « aetate minor » (*Calm.*) : cf. Prov. 5,18; Ps. 126 (127), 4. Agitur de puella, quae nunquam fuit nupta, « ad differentiam viduae (v. 10) ad domum patris sui reversae » (*Cai.*) — « *si cognoverit pater votum, quod pollicita est, et* » — *aut* — « *iuramentum, quo obligavit animam suam, et tacuerit, voti rea erit* ». Quod habeat *Hebr. tacuerit ei*, censet *Cai.* exprimi silentium patris a filia, ut votum sanciret, explicite appellati : at non ea necessario est eius pronominis vis. Sine dubio pater plerumque de eiusmodi voto, nonnisi filia illud enarrante, certior fiebat : verum, ut votum ratum haberetur, satis erat, ut constaret patrem illud alicunde *audivisse*, neque tamen reprobasse. Pro *voti rea erit*, et simul pro v. 5 *Hebr. : ratum erit votum ejus, et obligatio abstinentiae rata erit.* v. 5 « *Quidquid pollicita est et iuravit, opere complebit* ». v. 6 « *Sin autem sta-*

tim, ut audierit, contradixerit pater, et vota et iuramenta » abstinentiae « *ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni* », — *Hebr. : et Iahve condonabit ei* impletionem voti — « *eo quod contradixerit pater* ». Pro *statim, ut audierit, Hebr. : quo die audierit.* Definitum intervallum patri conceditur, ubi disputari potest, utrum *dies* intelligatur civilis, an intervallum 24 horarum.

v. 7 « *Si maritum habuerit et voverit aliquid* », — *Hebr. : si nubat viro et est votum super ipsam :* Agitur de voto ante nuptias emisso ac sane v. 4 a patre tum approbato; post nuptias requiritur approbatio mariti — « *et semel de ore eius verbum egrediens animam eius obligaverit iuramento* » : — sed longe aliter *Hebr. : aut vaniloquium labiorum* est super ipsam, *quo alligavit animam suam,* i. e. votum abstinentiae — v. 8 « *quo die audierit vir et non contradixerit, voti rea erit reddetque, quodcunque promiserat* ». Cf. Hebr. v. 9 « *Sin autem audiens statim* », seu verius *eodem die*, « *contradixerit, et irritas fecerit pollicitationes eius* », votum נדר, « *verbaque quibus obstrinxerat animam suam* », — *Hebr. : vaniloquium labiorum eius, quo alligavit animam suam* — « *propitius erit ei Dominus* ». *Hebr.* uti v. 6 : *et Iahve condonabit ei.*

Ambigunt interpretes, de qua muliere sit sermo. Utique de iuncta matrimonio, cum de eius *marito* sit sermo. At nonne de uxore agunt v. 11 sqq.? *Aug.* censet agi de voto, quod puellae pater ante matrimonium approbaverit, sed quod illa ante matrimonium non expleverit, et post matrimonium iam nequeat explere nisi consentiente marito. At textus loquitur non solum de voto aliquid dandi vel praestandi, cuius impletio aliquamdiu differri possit, sed item de voto abstinentiae (v. g. a vino), quod plerumque ita suscipitur, ut vovens se obliget ad illud statim exsequendum. *Proc.* putat agi de voto ante matrimonium emisso sine approbatione patris : nequit demonstrari, hoc solum voti genus in textu intelligi. Bene suggerit *Bonfr.* huc trahenda esse verba v. 4 *quae est in domo patris sui,* et agi de neonupta, sed nondum e domo paterna in domum mariti translata. Haec certe proxime, licet non unice, in textu intelligitur (v. s.). Difficultatem dirimit *Hebr.* loquens de neonupta, non quae post nuptias contrahat votum, de hac quippe agunt v. 11 sq., sed quae nuptias contrahens *iam habebat votum* antea conceptum et antea sane a patre approbatum : post nuptias requiritur, ut illud maritus item ratum habeat. — Sed quid est illud *vaniloquium labiorum, quo alligavit animam suam?* Verba ita vertenda esse ex Hebraeo efficitur ex Lev. 5,4 : « si quis iuraverit in vaniloquio verborum, ut vel male quid faciat vel bene etc. ». Expressio autem evidenter synonyma est expressionis v. 8 : *obligatio, qua obligavit animam suam,* et rursum expressionis v. 9 : *vaniloquium labiorum, quo obligavit animam suam.* Est ipsum votum abstinentiae. *LXX* textum v. 7. 9 defigurant, *Chald. Syr.* illum attenuant. Nota, non appellari vaniloquium v. 4 sqq. votum abstinentiae innuptae neque viduae aut repudiatae v. 10, neque uxoris v. 11 sqq., sed solum eius quae matrimonium ingreditur : laudabile est votum abstinentiae in solutis et in ligatis, non vero in nupturientibus, quae cogitent oportet quomodo placeant viro, ideoque non debent votis se implicare illi fortasse futuris minus gratis, aut certe debent ante matrimonium ei illa patefacere.

v. 10 « *Vidua et repudiata, quidquid voverint, reddent* ». *Hebr.* etiam hic distinguit votum et abstinentiam.

v. 11 « *Uxor in domo viri, cum se voto constrinxerit et* » — *aut* — « *iuramento* », v. 12 « *si audierit vir et tacuerit nec contradixerit sponsioni, reddet quodcunque promiserat* »; *Hebr.* uti v. 5 — v. 13 « *sin autem extemplo* » seu potius *in die, quo audivit* (*Hebr.*), « *contradixerit, non tenebitur promissionis rea : quia maritus contradixit, et Dominus ei propitius erit* ». *Hebr. : omne, quod egressum est de labiis suis quoad votum etc., non valebit, maritus eius irritavit, Iahve condonabit ei.*

Uti priora abbreviabat Vulg., ita v. 14 quaedam adiicit : « *Si voverit et iuramento se constrinxerit,* [*ut per ieiunium vel ceterarum rerum abstinentiam*] *affligat animam suam, in arbitrio viri erit, ut faciat sive non faciat* ». Regula generalis est pro uxoribus in domo mariti degentibus. *Hebr. : Omne votum et omne iuramentum obligans ad afflictionem animae vir eius ratum habebit et vir eius irritabit.* Supponuntur ambo degere in eadem domo. Limitatur tamen viri hac in re potestas quoad tempus. v. 15 « *Quodsi audiens vir tacuerit et in alteram diem* [*distulerit sententiam*] », — *Hebr. : si tacuerit de die,* quo comperit votum, *in diem* sequentem, si non ipso illo die verbis irritaverit votum — « *quidquid voverat atque promiserat* » illa, נדר vel אסר, « *reddet* » (cf. Hebr.), « *quia statim, ut audivit* », *in die quo audivit,* « *tacuit* ». Quid vero, si vir post illum diem persistat in voluntate irritandi voti? v. 16 « *Sin autem contradixerit, postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem eius* ». *Hebr. : Et, si* nihilominus *irritaverit ea, postquam audivit*, post elapsum illum diem, ipse, non mulier *portabit iniquitatem eius,* sc. mulieris seu actionis vel omissionis mulieris. Mulier tum marito obtemperet, a votis implendis abstineat : vir reus erit laesi voti, poterit autem haud raro rem componere redemptione voti. Quaesierit quis, an eo in casu mulier remanserit omni obligatione soluta, an obligatio voti implendi revixerit post mortem mariti.

Sequitur legis subscriptio v. 17 : « *Istae sunt leges, quas constituit Dominus Moysi, inter virum et uxorem, inter patrem et filiam, quae in puellari* [*adhuc*] *aetate est* [*vel*] *quae manet in parentis domo* ». Dele *vel,* et cf. v. 4. Subscriptio simul indicat legis partes, supra a nobis schemate indicatas, inverso tamen ordine. Ex ea simul confirmatur, quod supra affirmabamus, legem v. 7-9 respicere proxime neonuptam adhuc degentem in domo paterna, licet re illa item valet de neonupta in domum mariti translata.

VI. MADIANITAE PERFIDIAE POENAM DANT NUM. 31.

Cap. 31 et narrationem cap. 22-25 complet, et utiles leges sancit. Narratur sc. v. 1-24 Madianitarum (Ammonitarum) exitialis clades cum victorum lustrationibus, sancitur v. 25-54 ritus praedae dividendae, fortasse in posterum etiam servandus.

1. *Madianitarum clades Num.* 31,1-24.

Arg. — Ammonitas bellum parantes noctu parva Hebraeorum manus, duce Phinees, cum tubis irrumpens conficit, quinque reges et Balaamum trucidat. Simul, qui prope Ammonitarum fines sparsi erant Hebraei, totam regionem diripiunt, infinitam praedam agunt. Moyses praeter virgines captivos omnes mactari iubet ob praeteritam populi seductionem futuraeque seductionis periculum. Praecipit militum e bello redeuntium itemque praedae inanimatae purificationem secundum legem Num. 19 latam. Quo tempore praeterea Hebraei iam plura possidebant e metallo vasa, novum fertur eius legis complementum, ut ea vasa igne purificentur.

Perperam supposuerit quis, Israelitas tum omnes in castris prope Iordanem fuisse adunatos. Nisi plures eorum ad aquilonem Arnonis substitissent, Moabitae totum eum tractum mox occupassent. « Habitabat Israel in terra Amorrhaei » (21,31), « possidebat terram Basan » (21,35), viculos Gezer (21,32) Ammonitarum finibus contiguos certe non deseruerant. Inde Ammonitas (Madianitas) observabant moxque didicerunt illos exercitum colligere et bellum parare. Bellum quippe illos parasse inde perspicitur, quod quinque eorum reguli una fuerint in castris. Verum Hebraei illi Ammonitarum finibus late circumfusi non videntur fuisse pares ei exercitui inhibendo, si is uno aliquo loco e suis finibus erumperet. Petierunt ergo a Moyse auxilium, qui illis submisit 12000 virorum lectam manum. Madianitae per speculatores certiores facti Hebraeos finibus circumfusos nequaquam in unum agmen colligi, omnia tuta esse rati quieti se dedere atque ab illa 12000 virorum manu haud opinantes noctu oppressi atque concisi sunt.

Cap. XXXI v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Ulciscere* [*prius*] *filios Israel de Madianitis et sic* » — *Hebr. postea* — « *colligeris ad populum tuum* » (27,13), morieris. Ultio quaeritur *filiis Israel*, quia his Madianitae nocuerant seductione; quae eadem v. 3 vocatur *ultio Iahve*, quia illis nocentes huic iniuriam intulerant (*Cai.*). v. 3 « *Statimque Moyses : Armate, inquit, ex vobis viros*

ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis ». Cf. 25,17 sq. *Aq. Theod.* לצבא trahunt ad sequentia, et *LXX* praeterea pro ויהיו legunt את יהוה, ergo : *ut militent cum Iahve* vel *pro Iahve contra Madianitas ad ulciscendum Iahve de Madianitis*; ubi alterutrum incisum oriri potuit deformatione alterius incisi. Idemque fieri potuit in textu nostro hebraeo, qui nonnihil verbosus apparet. v. 4 « *Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel, qui mittantur ad bellum* ». v. 5 « *Dederuntque millenos de singulis tribubus* », — *Hebr. : ex millibus Israel mille ex singulis tribubus.* Recole, cuiusque tribus viros bellatores (Ex. 18,25) primum divisos esse in chiliadas, has in centurias etc. : ergo tribus cuiusque selecta est chilias una — « [*i. e.*] *duodecim millia expeditorum ad pugnam* ». v. 6 « *Quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis* ». Ad quid autem mittitur Phinees? Mittitur ut sacerdos, inquit *Cai.*, « superintendens vasis sacris et tubis »; mittitur ut dux, inquit *Ios.* (cf. *Bonfr., Calm.*), idque omnino praeferendum. Quod autem obiicitur sacerdotum non fuisse pugnare, respondeo eos utique ad militiam non fuisse adactos, in itineribus deserti debuisse prope res sacras versari, at non fuisse vetitos pugnare. Duxit exercitum Ios., dimicavere Machabaei. Aequum autem erat, ut huius expeditionis dux renuntiaretur Phinees, qui cap. 25 tam fortiter egisset in re Madianitarum. Eum porro virum constitutum esse huius exercitus ducem, omnino efficit repetita post vocem *sacerdotis* vox לצבא; quae ibi, uti v. 3. 4. 5. 6ª. 7 omnino exprimat oportet *expeditionem militarem, pugnam,* ad quam mittitur Phinees ut dux, reliqui ut milites. Vocis v. 6 repetitio esset prorsus otiosa, nisi ea hoc sensu esset accipienda. Obiiciunt, ducem expeditionis omnino designandum fuisse *Iosue*. Quos merito redarguit *Calm.* : « Hae tamen omnes a rerum convenientia ductae rationes minime infringunt textum prono et naturali sensu in id ferentem, Phineen belli huius dirigendi munus sibi demandatum gessisse ». Urgent v. 13 Iosuen non recenseri in numero eorum, qui victoribus obviam iverint e castris, ergo fuisse redeuntium ducem. Respondeo peccare conclusionem : e v. 6 cum v. 13 collato efficitur Iosue neque fuisse illorum 12,000 virorum ducem, neque praesentem tum adfuisse in castris ad Iordanem; ubi fuerit, statim demonstrabimus.

« *Vasa quoque sancta et tubas ad clangendum tradidit ei* ». Vasa illa non sunt arca (*Cai.*), quacum certe profectus esset ipse pontifex; non tubae (*Vat.*), hae quippe seorsim enumerantur; non alia quaedam vasa sacra, v. g. thuribula, quorum locus erat prope arcam nullusque in bello procul arca usus. Deut. 22,5 כלי גבר designat *ornatum virilem* oppositum *vestitui muliebri* : ergo h. l. intelligendus

est *ornatus sacer*, vestes pontificales aut omnes aut aliquae, imprimis Urim et Thummim, cuius aliquis in tali expeditione potuit esse usus ad oracula requirenda in rebus difficilibus. Dices, hoc oraculum fuisse a solo pontifice, non vero ab eius filio gestatum. At licet illud ad pontificem spectaret vi muneris, ex hoc textu effici videtur potuisse pontificem iusta de causa filio suo ac successori illud committere. Erat autem iusta causa, non decere pontificem arcam deserere. Nullo sane efficitur textu, non licuisse pontifici quandoque sibi filium substituere : num, quando forte aegrotaret pontifex, non erat eius filius et successor eius loco intraturus sancta sanctorum in die expiationis? *Tubae* non sunt tubae argenteae Num. 10,2, quae duae tantum erant et a solis sacerdotibus adhibendae : qui vero unus Phinees duabus tubis uteretur? sed sunt tubae aliae Lev. 23,24, numero plures. Cur hae adhibitae? cur hae dicuntur fuisse *in manu Phinees*, eius speciali curae commissae, nonnisi ad eius placitum a tibicinibus adhibendae? Mandabatur id sane ob certum aliquem finem. Cf. factum Gedeonis Iud. 7,16 sqq. et Saulis 1 Reg. 11,11. Ille 12,000 virorum exercitus citato agmine fines Ammonitarum erat petiturus, castra noctu adoriturus clangentibus derepente tubis, atque hostes numeris quidem praevalentes, sed somno sopitos atque fere inermes oppressurus. Unde etiam factum est, ut v. 49 Israelitarum nullus fuerit exanimatus.

v. 7 « *Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt* »; sapienter intellige eos omnes, quos assequi potuerunt, nam gens Ammonitarum non est exstincta. Similiter intellige, quae v. 9 de mulieribus et pecoribus dicuntur. v. 8 « *Et reges eorum* » (Ios. 13,21) « *Evi et Recem* » (cf. 1 Par. 2,43 sq.; 7,16) « *et Sur* », eundem sane atque 25,15 (cf. 1 Par. 8,30; 9,36), « *et Hur* » (cf. Ex. 17,10) « *et Rebe, quinque principes gentis* », *Hebr. reges*. « *Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio* » (Ios. 13,22). Miratur *Dillm.*, nihil habere textum de loco et ratione pugnae. Id efficit, narratorem pugnae ipsum non interfuisse eaque sola religiose referre, quae indubie comperta habuisset. Vidit proficiscentes ad certamen cum tubis : id refert, pugnaeque exitum, et secus nihil.

Mirati sunt interpretes adfuisse in castris Balaamum, qui 24,25 reversus erat in sua. Cum *Tir.* aliqui suggerunt eum, ad sua redeuntem, aliquamdiu apud amicos aliquos Madianitas substitisse atque ita amicorum ruinae esse implicatum. *Cai.* suggerit, Hebraeorum aliquos in regionem Aramaeorum excurrisse, ut Balaamum interficerent, quod vix fert contextus v. 8. Sapientius *Aug.* suggerit Balaamum haud procul habitassè, et *Mar.* meminit quorumdam, qui censuerint Balaamum fuisse Madianitam. Quam sententiam nostram facimus monentes, eosdem hac narratione intelligi Madianitas atque Ammonitas. Videtur autem (*Vat.*) in castra arcessitus esse Balaam, non tam ut pugnaret, quam ut Israelitis tandem maledice-

ret; potuitque Deus, ut nunc faceret, permittere cum summa ipsius ignominia ut, qui victoriam suis promisisset, cum ipsis exitiali clade opprimeretur.

v. 9 « *Ceperuntque mulieres eorum et parvulos omniaque pecora et cunctam supellectilem* »; *Hebr. possessionem*, estque vox synonyma sequentis vocis *robur;* aliquis in enumeranda praeda pleonasmus nihil habet difficultatis. Liberius *Vulg.* : « *quidquid habere potuerant, depopulati sunt* ». v. 10 « *Tam urbes quam viculos et castella flamma consumpsit* ». Non erant Hebraei habitaturi in urbibus Ammonitarum, quia Ammonitiden ipsis Iahve non attribuerat (Deut. 2,19). *Hebr. : omnes urbes eorum in habitationibus eorum et omnia eorum castra* mobilia pastorum (cf. Gen. 25,16; Ez. 25,4). *LXX* : τὰς ἐν ταῖς κατοικίαις αὐτῶν. Quae versio, uti fortasse item *Vulg.*, prodit lectionem המושבתם pro במושבתם, ergo *urbes, quas ipsi incolebant* (*Syr.*), potestque ad eundem sensum revocari lectio *Hebr. Sam. Chald.* : sc. Ammonitae quod tributarii fuissent Amorrhaeorum (Ios. 13,21), potuere aliquae eorum urbes praesidiis adhuc obtineri Amorrhaeorum, quos Hebraei non sunt aggressi, quod bellum non haberent cum Amorrhaeis Ammonitiden incolentibus. *Castris pastorum* autem non fuit illa vox adscribenda, quod omnia fuerint Ammonitarum. v. 11 « *Et tulerunt praedam et universa, quae ceperant, tam ex hominibus quam ex iumentis* », v. 12 « *et adduxerunt ad Moysen et Eleazarum sacerdotem et ad omnem multitudinem filiorum Israel* », eam quae cum Moyse in castris versabatur; « [*reliqua autem*] *utensilia* [*portaverunt*] *ad castra in campestribus Moab iuxta Iordanem contra Iericho* ». Adscriptis vocibus fere suggerit *Vulg.*, haec in alium locum esse comportata, atque illa v. 11. At solo pleonasmo exaggeratur magnitudo praedae v. 11 demonstratae : *et capturam et acquisitionem et praedam;* dein locus, ubi Moyses tum fuerit, accuratius describitur : *ad castra etc.*

Non omnia haec soli praestitere illi 12,000 viri; non ipsi soli abduxerunt 32,000 virgines, 675,000 oves et capras, 72,000 boves, 61,000 asinos et aurum asportaverunt pondo 16,750 siclorum. E quibus numeris concludit *Dillm.* non verum narrari factum, sed specie narrationis inculcari legem, quomodo praeda Hebraeis fuerit dividenda. Res agebatur communi consilio cum iis Hebraeis, qui finibus Ammonitarum iam antea circumfundebantur. Hi eodem fere tempore in fines undique penetrarunt, omnia captiva duxerunt. Greges illi et mulieres non fuerant in castris. Cf. p. 227. Et nunc tandem quaero ex te, ubi toto illo tempore versatus sit Iosue. Non erat is cum exercitu 12,000 virorum, quem ducebat Phinees; non erat in castris (v. 13); erat ipse caput eorum, qui dudum fines Ammonitarum circumsederant; ipse summus dux nunquam longe aberat ab hostibus; etiam Num. 16 abfuerat a castris; parta victoria non cum illis 12,000 in castra reversus est.

Tota igitur praeda in unum locum congesta fuerat (*Calm.*), quo victoriae magnitudo illustraretur et facilior postmodum evaderet prae-

dae divisio. v. 13 « *Egressi sunt autem Moyses et Eleazar sacerdos et omnes principes synagogae in occursum extra castra* », ut victoribus gratularentur (*Men.*) utque, ne castra non lustrati ingrederentur, monerent (*Calm.*); item, ut praedam inspicerent. v. 14 « *Iratusque Moyses principibus exercitus* » (cf. v. 48 et 4 Reg. 11, 15), « *tribunis et centurionibus* », iis qui erant super mille et qui super centum, « *qui venerant de bello* », — מצבא המלחמה. *LXX : Qui venerant de expeditione bellica.* Sed intuitu v. 21 vertes fortasse melius : *qui de exercitu profecti erant ad praelium.* An etiam *Phineae* iratus est Moyses? Fortasse Phineae parcens omnes indiscriminatim praefectos vituperat — v. 15 « *ait : Cur feminas reservastis?* » Nihil de feminis antea sanxerat Moyses, sed debuerant praefecti quo facto opus esset ipsi perspicere, « eo quod illae impietatis dogmata didicissent et eos inquinare possent, qui illas bello ceperant » (*Theodoret.*). Cum pluribus earum feminarum habuerant fortasse Hebraei rem (Num. 25). v. 16 « *Nonne istae sunt* », — pro הן הנה *Sam.* nervosius הנה הנה, *istae, istae sunt* — « *quae deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, et praevaricari vos fecerunt in Domino* », seu potius *in Dominum*, « *super peccato Phogor, unde et percussus est populus?* » Impeditior est sententia, uti similis sententia 25,18. Obscurum est למסר מעל. Verbum מסר solo secus v. 5 habetur neque facile eodem, atque ibi, h. l. sensu accipi potest. Ambigunt versiones; *LXX Vulg. Syr.* duo scribunt verba coordinata. Sat probabilis est emendatio a *Ges.* proposita למעל מעל (cf. 5,6; 2 Par. 36,14; Ez. 14,13; cf. Chald. לשקרא שקר). Sensum certe exprimit *Vulg.*

v. 17 « *Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini, etiam in parvulis* », ut pro viribus exstirpetis gentem devotam; « *et mulieres, quae noverunt viros in coitu, iugulate* », quod aut ipsae vobiscum fornicatae sint, aut nefarii consilii participes sint reputandae; v. 18 « *puellas autem et omnes feminas virgines reservate vobis* », futuras ancillas et uxores. Cf. Iud. 21,11.

Praescribitur porro bellatorum purificatio secundum ritum 19,12. 16 sqq. sancitum (*Calm.*). v. 19 « *Et manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio et septimo* « aqua lustrali. v. 20 « *Et de omni praeda* », — sed haec ad praecedentem sententiam trahit *Hebr. : vos et omnis praeda vestra;* dein v. 20, quid praedae lustrandum sit, explicat, sc. non homines captivi neque animalia, sed : « *sive vestimentum fuerit sive vas, et aliquid in utensilia praeparatum* », — sed vertendum : *et omnis res e corio facta* (Lev. 13,59) — « *de caprarum pellibus et pilis et ligno, expiabitur* ». Prodit porro pontifex, cui 19,1 lex de lustrationi-

bus specialius fuerat commendata, et novum aliquod eius legis divinum complementum promulgat. Agi autem de complemento praefixa iam vox אך, *solummodo* indicat (cf. 18,15. 17; Lev. 27,26. 28 etc.). v. 21 « *Eleazar quoque sacerdos ad viros exercitus, qui pugnaverant, sic locutus est : Hoc est praeceptum legis* », — חקת התורה, uti 19,2 — « *quod mandavit Dominus Moysi* » : v. 22 « *Aurum et argentum et aes et ferrum et plumbum et stannum* » v. 23 « *et omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur* » ; — an ignis lustrationi aquae v. 19 sq. substituatur an superaddatur, non satis liquet — « *quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur* ». Videntur apud Hebraeos post bellum Ammoniticum vasa e metallo fuisse longe frequentiora, quam ad radices montis Sinai fuerant : merito igitur hoc complementum legi Num. 19 hoc tempore addidit Deus. v. 24 « *Et lavabitis vestimenta vestra die septimo, et purificati postea castra intrabitis* ».

2. *Praedae distributio Num.* 31,25-54.

Arg. — Deus praedam hominum et animalium ita dividi iubet, ut dimidia pars cedat bellatoribus, dempta parte 500[a] sacerdotibus pendenda; altera dimidia pars cedat populo, dempta parte 50[a] levitis pendenda. Quod iussum exsequuntur Moyses et Eleazar. Praeda rerum inanimatarum penes eos, qui eam cepissent, perseverabat. Sed grati animi ergo, quod nullus Hebraeorum in proelio occubuisset, chiliarchae et centuriones auri praedam, quae sibi obtigisset, voluntaria oblatione Deo consecrarunt.

Non satis e textu perspicitur, fueritne lex v. 26-30 pro sola hac occasione data, an pro futuris quibusque victoriis. Si illud, observabatur ea sane etiam aliquamdiu post ob Moysis reverentiam, et quod alia lex de hac re non exstaret. Eam certe non mutavit David 1 Reg. 30,25 aequam praedae partem tribuens iis, qui ad sarcinas remanserant, cum iis, qui dimicaverant : utrique pertinebant ad bellatores, qui ad expeditionem exierant. Davidis autem exsulis non erat, partem praedae attribuere populo, sacerdotibus, levitis.

v. 25 « *Dixit quoque Dominus ad Moysen* » : v. 26 « *Tollite summam eorum, quae capta sunt ab homine usque ad pecus, tu et Eleazar sacerdos et principes vulgi* ». Non praefecti exercitus ad hoc officium deputantur, qui forte militibus nimium favissent, sed *capita patroeciarum ecclesiae* (cf. Ex. 6,25), qui omnibus familiis aeque erant consulturi. מלקוח, quod sequentia evincunt, eam solam praedae (שבי) partem exprimit, quae animantibus constat, hominibus et animalibus. De his solis fertur haec lex; quoad inanimata cf. v. 53. Nota, quantopere haec lex coerceat crudelitatem : nisi Deus aliquam gen-

tem deleri praecepisset, omnium militum intererat, ut quam plurimos vivos ducerent captivos. v. 27 « *Dividesque ex aequo praedam inter eos, qui pugnaverunt egressique sunt ad bellum, et inter omnem reliquam multitudinem* ». *Hebr. : dimidiabis*, dimidiam summae partem tribuens bellatoribus, dimidiam populo. תפשי המלחמה h. l. solum scribitur : *ii, qui bello occupantur*, ergo *bellatores* (*LXX Chald. Syr.*); et additur *qui egressi sunt ad expeditionem*, quo verba restringi videntur ad solos 12,000. Qui illis se junxerant praedatores, quoad mancipia et animalia *multitudini* accensebantur, sed retinebant (v. 53), quae arripuerant, inanimata. v. 28 « *Et separabis partem Domino* » — מכס (*LXX Chald. tributum*) h. l. solum legitur; sed מכסה Ex. 12,4; Lev. 27,23 *determinatam partem, portionem* designat — « *ab his, qui pugnaverunt et fuerunt in bello* », a dimidia parte bellatoribus 12,000 attribuenda, « *unam animam de quingentis, tam ex hominibus quam ex bobus et asinis et ovibus,* » v. 29 « *et dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiae Domini sunt* », תרומה. Ita etiam *LXX*. Reliqui initio versus scribunt : *De portione eorum sumetis*, sc. bellatorum. Quae verba respuit *Dillm.* ob 2. pers. plur. At *Sam.* habet תקח, cui voci facillime potuit accrescere ו sive a sequenti voce transsumptum, sive effectu solius punctationis. v. 30 « *Ex media quoque parte filiorum Israel* », multitudinis, « *accipias* » — *Hebr.* addit *sortem*, quem sensum voci אחז vindicat 1 Par. 24,5 sq. : ergo sorte definiebatur, quae animalia sacerdotibus, quaeve levitis cederent, quo infinitae praecidebantur querelae — « *quinquagesimum caput hominum et boum et asinorum et ovium, cunctorum animantium, et dabis ea levitis, qui excubant in custodia tabernaculi Domini* ». v. 31 « *Feceruntque Moyses et Eleazar, sicut praeceperat Dominus* ».

Ergo sacerdotes accipiebant $\frac{1}{5}$ 0/0, levitae 2 0/0 totius animantium praedae. « Notant, sic eandem proportionem hic servari, quae in decimarum distributione : nimirum ut decimum eius, quod levitarum est, ad sacerdotes perveniat » (*Malv.*). Cf. 18,25 sqq. Habetur utique proportio fere eadem : sc. h. l. levitarum ad sacerdotes ratio est sicut 10 : 1; ibi, quod decima decimae sacerdotibus e levitarum decima pendatur, sicut 9 : 1. — Bellatoribus, uti par erat, maior obveniebat portio, quam reliquae plebi (*Sylv.*), ratione 499 : 490; et, quod plebs numerosior esse consueverit exercitu, maior singulis militibus quam singulis civibus tribuebatur portio. Praeterea milites totas sibi servabant res inanimatas. — Dubitari tandem potest, acceperintne duces plus gregariis militibus, pontifex simplicibus sacerdotibus, capita levitarum et familiarum simplicibus levitis et civibus. Certe postmodum regibus concedebatur portio largior, quam aliis.

v. 32 « *Fuit autem praeda, quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque millia* », v. 33 « *boum septuaginta duo*

millia », v. 34 « *asinorum sexaginta millia et mille* », v. 35 « *animae hominum sexus feminei, quae non cognoverant viros, triginta duo millia* ». Initio v. 32 *Hebr. : Et fuit captura* hominum et animalium, *residuum praedae quam ceperunt populus expeditionis.* Sed quid est *residuum praedae,* cum mox *tota* praeda hominum et animalium recenseatur? Inepte id edici censet *Dillm.,* in illa summa non includi homines, qui trucidati, et animalia, quae mactata fuerint. Quis unquam cadavera incluserit in summa viventium? Verius *Calm., Ges.* יתר = יותר (Eccle. 12,9; Est. 6,6), *praeter.* Recensetur captura animantium, *praeter praedam* inanimatam, de qua v. 53 dicetur. Neque *populus expeditionis* necessario idem est cum *viris bellatoribus, qui exierunt ad expeditionem;* sed possunt ea expressione includi praedatores quilibet hebraei, qui Ammonitarum fines ingressi et depopulati sunt.

Post traditum v. 32-35 generalem praedae elenchum, adscribuntur v. 36-41 et v. 42-47 particulares elenchi utriusque dimidiae partis praedae; uti ille v. 32 ordiebatur voce ויהי, ita hi v. 36.43 ordiuntur voce ותהי, clauduntur v. 41. 47 similibus clausulis.

v. 36 « *Dataque est media pars his, qui in proelio fuerant, ovium trecenta triginta septem millia quingentae* »; v. 37 « *e quibus in partem Domini supputatae sunt oves sexcentae septuaginta quinque* »; v. 38 « *et de bobus triginta sex millibus* » *pars Iahve* « *boves septuaginta et duo* »; v. 39 « *de asinis triginta millibus quingentis* » *pars Iahve* « *asini sexaginta unus* »; v. 40 « *de animabus hominum sedecim millibus* [*cesserunt*] *in partem Domini triginta duae animae* ». v. 41 « *Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini* », seu verius *partem oblationis,* neque enim hae erant primitiae, « *Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum* ».

v. 42 *Vulg.* sensu et interpunctione iungit praecedentibus : at perperam. Novum quippe incipit orationis caput, alterius sc. dimidiae partis elenchus. Cuius veluti titulus aliquis est v. 42 : « *Ex media parte filiorum Israel, quam separaverat his, qui in proelio fuerant* ». Verte *ab his qui etc. :* sc. tota primum praeda in manibus bellatorum fuerat, ab his separaverat Moyses dimidiam partem, quae populi esset futura. Cur autem *ex media parte,* quam praepositionem textus omnes habent? Quam si retineas, cum *Vulg.* (rursum v. 43.44. 45. 46 inserente *de*) inde repetere debebis, quod narrator iam habeat in mente eandem praepositionem v. 47, et v. 43-46 concipiat instar parentheseos. Tamen v. 36-41 non legitur praepositio מן; v. 43-46 reapse nullatenus habet rationem parentheseos, sed est pars elenchi; ergo non improbabiliter suggerat quis, tempore utique perantiquo

alterum מ vocis, וממחצית ortum esse reduplicatione unici מ, quod vox primitus habuisset. v. 43 « [*De*] *media vero parte, quae contigerat reliquae multitudini*, [*i. e.*] *de ovibus trecentis triginta septem millibus quingentis* », v. 44 « *et* [*de*] *bobus triginta sex millibus* », v. 45 « *et* [*de*] *asinis triginta millibus quingentis* », v. 46 « *et de hominibus sedecim millibus* » v. 47 « *tulit Moyses quinquagesimum caput et dedit levitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut praeceperat Dominus.* »

Adverte, numeros hos omnes esse *rotundos* : volebat auctor non tam praedam accurate recensere, quam distributionis rationem describere. Aut dicas, hos quoque, uti populi (cf. p. 226 sq.), numeros centuplo esse auctos.

v. 48 « *Cumque accessissent principes exercitus ad Moysen,* [*et*] *tribuni centurionesque, dixerunt* » : — *praefecti chiliadum* sunt omnes, qui in exercitu 12,000 virorum erant praefecti, iique mox distinguuntur in *chiliarchas* et *centuriones*. Perperam *Vulg.* appositioni praefixit copulam — v. 49 « [*Nos*] *servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus* » quisque « *sub manu nostra, et ne unus quidem defuit* » completo proelio; nullus periit; vulneratine aliqui fuerint, non edocemur. v. 50 « [*Ob hanc causam*] *offerimus in donariis Domini singuli* », i. e. tamquam oblationem spontaneam, « *quod* [*in praeda*] *auri potuimus invenire, periscelides et armillas, annulos et dextralia ac muraenulas, ut depreceris pro nobis Dominum* ». Quae igitur expressio non solam post peccatum propitiationem exprimit, sed quamlibet Deum inter et hominem aequationem, v. g. per gratiarum actionem. De illis ornamentis cf. quae dicebamus ad Gen. 24,22; Ex. 35,22; 2 Reg. 1,10. Madianitas consuevisse plurimo uti ornatu aureo disce ex Iud. 8,24 sqq. Perperam *Vulg.* inseruit *in praeda,* quasi hic de universo totius praedae auro agatur; perperam item *Bonfr.* autumat, praefectos haec obtulisse nomine suo et militum. Milites gregarios sua sibi retinuisse, docet v. 53. Fieri tamen potuit, ut in rerum pretiosarum divisione milites gregarii praefectis ornatum aureum, sive totum sive maiori ex parte, pro sua portione concesserint. v. 51 « *Susceperuntque Moyses et Eleazar sacerdos omne aurum in diversis speciebus* »; non erant lateres aurei, sed omnia ornamenta *artefacta* (*LXX*); v. 52 « *pondo sedecim millia septingentos quinquaginta siclos, a tribunis et centurionibus* ». Fere 736,162 fr. : cf. quae dicebamus ad Ex. 38,24 et Iud. 8,26. v. 53 « *Unusquisque* [*enim*], *quod in praeda rapuerat, suum erat* ». *Hebr. : et viri exercitus*, milites gregarii, *praedam acquisiverunt unusquisque sibi.* Id parenthetice adscribitur : praeter aurum illud erant alia pretiosa in militum

manibus. v. 54 « *Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonii, in monimentum filiorum Israel coram Domino* », illis in memoriam revocaturum tam insignem Dei protectionem. Cum hac praefectorum oblatione confert *Bonfr.* decimas ab Abraham Gen. 14,20 Melchisedecho pensas; item facta 2 Reg. 8,11; 1 Par. 26,26 sqq.

VII. TRANSIORDANICA ASSIGNATUR RUBEN, GAD ET DIMIDIAE TRIBUI MANASSE NUM. 32.

Arg. — Gad et Ruben multitudinem gregum praetendentes petunt, ut permittantur in transiordanica consistere Iordane non traiecto. Quos Moyses reprehendit, quod similia agant iis, qui post exploratorum reditum detrectaverint intrare terram promissam atque a Deo poenas tulerint. Rogatores declarant, familiis et gregibus in transiordanica in tuto collocatis, se reliquos cis flumen adiuturos esse in terra promissa subigenda. Qua conditione concedit petita Moyses. Promissa illi coram Eleazaro, Iosue et principibus familiarum confirmant. Moyses vero Gaditis et Rubenitis adiungit dimidiam tribum Manasse, quae illorum petitioni non accesserat. Illi ex condicto urbes muniunt, quibus familiae et greges protegantur; hi ad aquilonem Ieboci fluminis fines suos plurimum extendunt.

Cap. XXXII v. 1 « *Filii autem Ruben et Gad habebant pecora multa, et erat illis in iumentis infinita substantia* ». *Hebr.* id, quod in sententia potissimum est, primo loco ponit : *Et pecora multa erant filiis Ruben et Gad, numerosa valde.* Haec erat petiti ratio vera, licet fortasse non unica. Et de Gaditis quidem nihil compertum habemus. Rubenitae videntur in sequendo Moyse fuisse segniores. Primogeniturae iura sibi adempta esse aegre ferebant, eorumque recuperandorum in re Core se studiosos exhibuerant. Pigebat eos sequi prophetam, qui primas partes tribubus Ephraim et Levi deferret. Hic vicissim de eis haud magna sentiebat (Deut. 33,6). Iosuen quidem ipsi fortiter adiuvere (Ios. 22), postea (Iud. 5,16) segnes se exhibuere, nihil magni in historia populi electi egere. Illis igitur gregum multitudo ratio simul esse potuit et praetextus, cur se ab expeditione trans flumen suscipienda excusarent. « *Cumque vidissent Iazer et Galaad aptas animalibus* [*alendis*] *terras* », v. 2 « *venerunt ad Moysen et ad Eleazarum sacerdotem et principes multitudinis atque dixerunt* » : — *Hebr.* : *venerunt filii Gad et filii Ruben.* Ubi perperam *LXX Syr.* nomina eodem atque v. 1 ordine scribunt : *Ruben et Gad*; perperam item *Sam.* ubique adscribit *dimidiam tribum Manasse.* Cur igitur praemittuntur *Gaditae?* an forte, quod his Rubenitae usi sint intercessoribus,

quibus facilius quam sibi Moyses concessurus crederetur favorem? De urbibus v. 3 dicemus ad v. 34 sqq., quarum quatuor priores tribui Gad, reliquae tribui Ruben postmodum sunt attributae. Cur vero, dum *Galaaditiden* v. 1 concupiscunt, Rubenitae et Gaditae v. 3 nullam Galaaditidis urbem enumerant? Adverte, Galaaditiden tum (v. 39) in Amorrhaeorum adhuc manibus fuisse. Rubenitae igitur et Gaditae, cum Galaaditiden potissimum in votis haberent, non eam sed reliquam transiordanicam expetiverunt rati, si hanc obtinerent, non aliis quam sibi Galaaditiden etiam esse cessuram. At nolens Moyses, ne duarum tribuum fines in immensum excurrerent, Galaaditiden Manassaeis assignavit expugnandam atque possidendam.

v. 3 « *Ataroth et Dibon et Iazer et Nemra* » (v. 36 Bethnemra), « *Hesebon et Eleale et Saban* » (*Sam. LXX* שבמה = Sabama v. 38) « *et Nebo et Beon* » (v. 38 Balmeon), v. 4 « *terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio uberrima est ad pastum animalium, et nos servi tui habemus iumenta [plurima]* », v. 5 « *precamurque, si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Iordanem* ». Pro *precamur*, *Hebr. dixerunt*. Id post v. 2 otiosum. Una est v. 3-5 oratio, quae v. 5 petitum enuntiat, v. 3 sq. petiti rationem exponit. Sed in hac ratione deest praecise id, quod potissimum est, sc. Rubenitas et Gaditas non solum habere *pecora*, quod alii item habebant, sed habere pecora *plurima* (*Vulg.*) aliisque plura. Crediderim igitur textum primitus pro ויאמרו habuisse מאד vel רב מאד.

Oratione illos efficaciter Moyses dehortatur, ne a reliquarum tribuum societate se retrahant. v. 6 « *Quibus* », *filiis Gad et filiis Ruben*, « *respondit Moyses : Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam et vos hic sedebitis?* » Ad verecundiam primum eos provocat : *fratres* decet tam belli quam pacis esse socios, imprimis eos fratres, qui praeter communem originem reliqua omnia tot annis habuissent communia. v. 7 « *Cur subvertitis* » — cum *Sam.* praeferendum *keri*, cum secus etiam verbi נוא solum hiphil recurrat — « *mentes filiorum Israel, ne transire [audeant] in locum, quem eis daturus est Dominus?* » Demonstrat damnum, quod toti populo illaturi sint pessimo suo exemplo : exemplum quippe efficiet, ut reliqui idem agant et Iordanem traiicere detrectentur, ac praeterea fiduciam divini auxilii (*audeant*) suapte natura minuet. Tandem divinam punitionem minatur Moyses, comparans eorum consilium actis patrum Num. 13 sq., qui gravem poenam tulerint. v. 8 « *Nonne ita egerunt patres vestri, quando misi de Cadesbarne ad explorandam terram?* » v. 9 « *Cumque venissent usque ad Vallem Botri, lustrata omni regione, subverterunt cor filiorum*

Israel, ut non intrarent fines, quos eis Dominus dedit ». v. 10 « *Qui iratus iuravit dicens* » : v. 11 « *Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Aegypto, a viginti annis et supra, terram quam sub iuramento pollicitus sum Abraham, Isaac et Iacob, et noluerunt sequi me* » (cf. 14,22 sqq.), v. 12 « *praeter Caleb filium Iephone Cenezaeum* » (cf. p. 202) « *et Iosue filium Nun : isti impleverunt voluntatem meam* ». v. 13 « *Iratusque Dominus adversum Israel circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur universa generatio, quae fecerat malum in conspectu eius* ». Exemplum tandem applicat suis auditoribus v. 14 : « *Et ecce,* [*inquit*], *vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa* [*et alumni*] *hominum peccatorum, ut augeretis furorem Domini contra Israel* ». v. 15 « *Quodsi nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet, et vos causa eritis necis omnium* ». Transiordanica ipsa non est *desertum;* sed Deus in poenam inobedientiae Hebraeos *iterum* iubebit, ut transiordanica excedant seque in desertum recipiant (*Bonfr.*), sicut patres eorum iusserat ab ipsis terrae sanctae finibus in desertum recedere. Porro haec omnia profatur Moyses, nomine non Dei sed suo, ad rogatores coram adstantes. Moysi plurimum interest, ne rursum Israel in desertum relegetur, ideo etiam quia sic ne tenuissima quidem ipsi relinqueretur spes Iordanis traiiciendi. Non vult carpere sed persuadere. Priora duo argumenta v. 6 sq. suaviori modo profert, sc. per modum interrogationum. Unicum verbum durius habetur v. 14, sed elaborata argumentatione studiose praeparatum : imo, referaturne illud verbum ad rogatores an ad eorum *patres*, non clare perspicitur. Ubi porro v. 16-19 rogatores bonam voluntatem profitentur, libenter ad compositionem v. 20 sqq. descendit Moyses. Perperam autem *Lap.* suggerit, Gaditas et Rubenitas metu etiam Chananaeorum impulsos esse, ut ne trans Iordanem traducerentur rogarent. Id textus non habet (cf. v. 1), neque ob solam analogiam eventus Num. 13 id affirmare fas est.

v. 16 « *At illi* [*prope*] *accedentes dixerunt : Caulas ovium fabricabimus* [*et stabula*] *iumentorum, parvulis quoque nostris urbes* [*munitas*] ». Etiam Ios. 14,6 *et accesserunt* initium alicuius actionis denotat. Gaditae et Rubenitae accepto Moysis v. 6-15 responso ad sua rediere, consilia contulere inter se ac tandem emendata petitione sua ad Moysen reversi sunt (*Calm.*). Nulla est ratio cum *Dillm.* affirmandi idem v. 16 referri ex B, quod v. 2 ex A et v. 5 ex C referebatur. *Caulae ovium* (1 Reg. 24,4; Sophon. 2,6) vocabantur, quod potissimum pro ovibus illa e lapidibus septa congererentur; sed in illa cogebantur cuiusvis generis *pecora*. v. 17 « *Nos autem ipsi armati et accincti*

pergemus ad proelium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Parvuli nostri [*et quidquid habere possumus*] *erunt in urbibus muratis propter habitatorum* » indigenarum « [*insidias*] ». v. 18 « *Non revertemur in domos nostras, usquedum possideant filii Israel haereditatem suam* », v. 19 « *nec quidquam quaeremus trans Iordanem, quia iam habemus nostram possessionem in orientali eius plaga* ».

Sensus v. 17 clarus : sed obscurum est נחלץ חשים לפני. Dure quidam חשים accipiunt pro participio formae passivae sed sensus activi a חיש, *festinare*. Cum Ios. 1,14; 4,12 nostrum textum repetant, erit utique pro חשים, corrigendum quod ibi legitur חמשים, *armati;* quocum fortasse consonant *Vulg. Syr.* Tum vero נחלץ sensum habeat oportet affinem verbi עבר, *transire*, quod illi textus habent. Porro חלץ proprie sonat *detrahere*, v. g. calceum Deut. 25,9 sq. Hinc Os. 5,6 חלץ מן *retrahere se* ab aliquo. Hinc sine מן *pergere*. Sensus igitur h. l. est : *pergemus armati ante illos*. Cf. *germ.* ausziehen.

Petitioni sic emendatae assentitur Moyses ita, ut conditionem servaturis pacem, neglecturis poenam praenuntiet. v. 20 « *Quibus Moyses ait : Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam* », — prodosis sententiae conditionalis ab initio v. 20 usque ad v. 22[a] pertingit : *Si facitis quod promittitis, si pergitis etc., eritis inculpabiles* — v. 21 « *et omnis vir bellator armatus Iordanem transeat, donec subvertat Dominus inimicos suos* », v. 22 « *et subiiciatur ei omnis terra : tunc eritis inculpabiles apud Dominum et apud Israel, et obtinebitis regiones quas vultis coram Domino* ». *Hebr. : et erit vobis terra haec possessio coram Domino*, eo possessionem agnoscente. v. 23 « *Sin autem quod dicitis non feceritis,* [*nulli dubium est,*] *quin peccetis in Deum; et scitote, quoniam peccatum vestrum apprehendet vos* ». *Hebr. : et scietis peccatum vestrum, quod inveniet vos*; seu ex effectibus intelligetis vos peccasse, *quando mala apprehendent vos* (*LXX*). Post explicatam conditionem petitam veniam concedit Moyses v. 24 : « *Aedificate ergo urbes parvulis vestris, et caulas* [*et stabula*] *ovibus* [*ac iumentis*], *et quod polliciti estis implete* ».

Gaditae et Rubenitae Moysis arbitrium acceptant, primum coram ipso, dein coram populi principibus, quo illud pactum evadit publicum. v. 25 « *Dixeruntque filii Gad et Ruben ad Moysen : Servi tui* [*sumus*], *faciemus quod iubet dominus noster* ». v. 26 « *Parvulos nostros et mulieres et pecora ac iumenta* » *omnia*, qua ultima voce uti 31,9 intelliguntur iumenta oneraria (*Dillm.*), « *relinquemus in urbibus Galaad* ». v. 27 « *Nos autem famuli tui omnes* » *ad pugnam* « *expediti pergemus* » *coram Iahve* « *ad bellum, sicut tu, domine,*

loqueris ». *Coram Iahve* imprimis est *ante arcam,* quae 10,17 in medio agmine gestabatur, quamque secundum ordinem ibi statutum secuturi erant Rubenitae et Gaditae; sed nunc etiam *in primo agmine* incedent (Ios. 4,12), ob eam etiam rationem, quod iam sint ceteris ad pugnam expeditiores, haud impediti familiis et gregibus. v. 28 « *Praecepit ergo* » *quoad eos* « *Moyses Eleazaro sacerdoti, et Iosue filio Nun, et principibus familiarum per tribus Israel, et dixit ad eos* » : v. 29 « *Si transierint filii Gad et filii Ruben vobiscum Iordanem, omnes armati ad bellum coram Domino, et vobis fuerit terra subiecta, date eis Galaad in possessionem* ». v. 30 « *Sin autem noluerint transire armati vobiscum in terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca* », sane longe inferiora regione transiordanica. *Hebr.* in priore inciso non habet *in terram Chanaan*, sed extremo alteri inciso adscribit voces *in terra Chanaan.* v. 31 « *Responderuntque filii Gad et filii Ruben : Sicut locutus est Dominus servis suis, ita faciemus* »; non iam agitur de meris Moysis, sed de Domini verbis; v. 32 « *ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, et possessionem iam suscepisse nos* [*confitemur*] *trans Iordanem* ». *Hebr. : et penes nos* est, manet *possessio haereditatis nostrae ad orientem Iordanis.* Repetunt fere verba v. 19^b, ita tamen ut magis insistant *iuri :* quare pro באה dicunt אתנו, pro *haereditate* dicunt *possessio haereditaria.*

Iam, quae decreta fuerant, exsecutioni mandantur. v. 33 « *Dedit itaque Moyses filiis Gad et Ruben et dimidiae tribui Manasse, filii Ioseph, regnum Sehon regis Amorrhaei et regnum Og regis Basan, et terram eorum cum urbibus suis per circuitum* ». *Hebr. : regionem quoad urbes suas cum finibus suis* (urbium), i. e. *urbes regionis in circuitu,* ergo omnes. Fortasse duae lectiones variantes in unum textum coaluere. Sensus utique is est, Moysen concessisse proxime non totam regionem, sed urbes cum suis pagis. Sc. regio h. l. Gaditis et Rubenitis permittitur in antecessum, finium divisio v. 29 sq. reservatur in futuro facienda. Ne igitur mireris, Ios. 13,16 sq. Dibon, Ataroth, Aroer a Gaditis transferri ad Rubenitas. Videntur Num. 32 singulae tribus eas urbes munivisse, quas forte in manibus habebant. Verum cum sic Gaditae aliquas urbes obtinerent prope Arnonem et alias prope Ammonitarum fines, et tamen singularum tribuum fines oporteret esse continuos, postmodum urbes prope Arnonem Gaditis ademptae et Rubenitis concessae sunt. — Cur Gaditis et Rubenitis addiderit Moyses alios, ratio fuit, quod merito iniquum reputaret ipse totam transiordanicam duabus tantum tribubus concedere. Cur tribum Manasse elegerit, et quidem dimidiam tantum, cf. CEL p. 6. Sacerdotes praemosaici, quos Ex. 32 trucidarunt Levitae, cre-

dendi sunt fuisse Manassaei. Tribum ob id factum sibi minus fidam simulque bellicosissimam (cf. h. l. v. 39 sqq.) interiecto Iordane Moyses divisit atque dividendo extenuavit viribus. Imo robustissimam tribus partem Machiritas trans flumen relegavit, concesso illis tractu fertilissimo.

v. 34 « *Igitur exstruxerunt filii Gad Dibon* » (cf. 21,30) « *et Ataroth et Aroer* », v. 35 « *et Etroth* [*et*] *Sophan et Iazer* » (cf. 21,24) « *et Iegbaa* » v. 36 « *et Bethnemra et Betharan, urbes munitas, et caulas pecoribus suis* ».

Ataroth, עטרת, distinguenda ab urbe homonyma tribus Iuda Ios. 16,2. 7. Putant eius vestigia discerni in clivo occidentali montis Attarus. — *Aroer*, ערער, super ripam Arnonis sita (Deut. 2,36; 3,12; 4,48; Ios. 12,2; 13,9. 16; Iud. 11,26; 4 Reg. 10,33), distinguenda ab urbe homonyma prope Rabbath Ammon Ios. 13,25; Iud. 11,33. — *Etroth Sophan* (cf. *Sam. LXX*) h. l. solum commemoratur. — *Iegbaa*, יגבהה : Iud. 8,11 a *LXX* scribitur Ἰεγεβάλ. — *Bethnemra*, בית נמרה, quae eadem v. 3 *Nemra* appellabatur, quinque milliariis distans a Liviade seu Betharan (*Eus. — Lagarde* 232. 42). Nunc Nimrin. — *Betharan*, בית הרן vel בית הרם, opposita Ierichunti, nunc Beit Haran, quondam Iulias vel Livias appellata.

v. 37 « *Filii vero Ruben aedificaverunt Hesebon et Eleale et Cariathaim* » v. 38 « *et Nabo et Balmeon, versis nominibus, Sabama quoque, imponentes vocabula urbibus, quas exstruxerant* ».

Eleale, אלעלה Is. 15,4; 16,9; Ier. 48,34 copulatur *Heseboni* (cf. 21,25), unde confirmatur *Eus.-Lagarde* 253. 36; 118. 6 scribens urbes distare uno milliario. — *Cariathaim*, קריתים creditur esse Kureiat, ad meridiem montis Attarus. Urbs homonyma 1 Par. 6,76 (61) erat in tribu Nephthali. — *Nabo*, נבו habes 33,47; 1 Par. 5,8; Is. 15,2; Ier. 48,1. 22, item in inscriptione Mesae. *Eus.-Lagarde* ait distare octo milliariis Hesebone, meridiem versus, quocum concordat situs loci Nebbe, ubi vestigia urbis dirutae cernuntur. Erat urbs homonyma in tribu Iuda 1 Esdr. 2,29; 10,43. — *Baalmeon*, בעל מעון, Ios. 13,17 *Beth Baal Meon*, secundum *Lagarde* novem milliariis distans Hesebone, censetur esse locus nunc Main appellatus. Cf. 1 Par. 5,8; Ez. 25,9. Vocatur *Beth Meon* Ier. 48,23. Censetur eadem esse atque v. 3 *Beon*, בען. Quod nomen oriri potuit vel contractione nominis Beth Meon, vel ob *mutatum nomen*. Quae verba *Masor*. quidem pluralem punctant, ut ad praecedentem etiam urbem Nabo referantur; sed possunt verba punctari, ut sint singulari numero. — *Sabama*, שבמה seu v. 3 שבם, *Saban*, ob vineas celebrata (Is. 16,8 sq.; Ier. 48,32). Situs incertus. Nova urbium nomina non traduntur : cum postmodum illae urbes in manus inciderint Moabitarum, antiqua nomina revixere. Fortasse, uti v. 41 sq., imponebantur nomina *virorum* (*Ps. Ion.*), qui singulas urbes aedificavere. Porro cum extremo v. 38 omnes illae urbes dicantur nova nomina nactae esse, reapse otiosum videtur illud *mutato nomine*, quod uni Baalmeon adscribitur; estque profecto probabilis opinio *Dillm.*, eas duas voces adscriptas esse a recentiore quodam, ut moneret lectorem, ne odiosum nomen *Baal* pronuntiaret ore. Cur vero v. 41 sq. traduntur nova nomina a Manassaeis imposita? Primum, quia agitur de locis non mere reaedificatis, sed recenter subactis, atque ita erat ratio rei distinctius narran-

dae; dein quia ipsa narratio v. 41 sq. refert acta virorum Iair et Nobe, atque hinc pronum erat adscribere, ab his ipsis viris loca illa novas appellationes nacta esse.

v. 39 « *Porro filii Machir, filii Manasse, perrexerunt in Galaad* », — notabamus ad Ex. 2,1 : « Vox וילך specie tenus otiosa consuevit adscribi narrandis majoris momenti gestis, habetque sensum suscipiendae vel aggrediendae rei » (*Kn.*) — « *et vastaverunt eam interfecto Amorrhaeo habitatore eius* ». Cum urbes, quas Amorrhaei munitas habuerant, imprimis in finibus Moabitarum et Ammonitarum, in manibus iam essent Gaditarum et Rubenitarum, Manassaei audacter novas sibi sedes procuravere ab Amorrhaeis iis, qui in montibus Galaad superstites erant. Etenim expressiones universales 21,26.35 cum aliqua limitatione sunt accipiendae. v. 40 « *Dedit ergo Moyses terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitavit in ea* ». Nonne eandem v. 1. 26 dederat Moyses Gaditis et Rubenitis? Crediderim h. l. (cf. Deut. 3,13) excidisse vocem יתר, quae post ויתן facillime excidere potuit. Ergo : Dedit Machir *reliquum* terrae Galaad.

Fines Manassaeorum Deut. 3,12 sqq. nonnihil distinctius describuntur. Sc. post victoriam in Edrai 21,35 Hebraei primum solam regionem ab Arnon ad Ieboc obtinuere, quae includebat dimidium Galaaditidis. Ergo Ieboc Galaaditiden fere mediam dividebat. Tractum ab Arnone ad Ieboc Moyses concessit Gaditis et Rubenitis; Machiro autem concessit tractum ad septentrionem Ieboc seu inde a Manaim (Ios. 13,26. 30), reliquam sc. Galaaditiden et Basanitiden, et totum regnum Argob. Nomine Machir h. l. intelliguntur posteri Machir, cum ipse Machir sine dubio cessisset e vivis. Sed iam duo viri duaeve familiae efferuntur, qui egregie hac in re egere atque nomina nacti sunt famosa. v. 41 « *Iair autem filius Manasse abiit et occupavit vicos ejus* », sc. Galaaditidis, « *quos appellavit Havoth Iair* [*i. e. Villas Iair*] ». Cf. Deut. 3,14; Ios. 13,30; Iud. 10,4; 3 Reg. 4,13; 1 Par. 2,23. Alius etiam Iair habetur Esth. 2,5; item Marc. 5,22. חוה derivant a radice חוה, *torquere*, ergo fere tentoria circulo disposita, *LXX* ἐπαύλεις, *Chald. loca aperta*. In hunc sensum reapse versiones conspirant. Amorrhaei urbes exstruxerant munitas in finibus Moabitarum et Ammonitarum, sed in interiore regionis parte vivebant in vicis apertis. Hos facile occupavere Manassaei et, quantum opus erat, munivere atque in eis familias et greges reliquere. Ceterum istorum viginti trium vicorum fit mentio, quod illis solis Iair suum indiderit nomen; occupavit is autem loca omnino sexaginta (1 Par. 2,23; Ios. 13,30; 3 Reg. 4,13). v. 42 « *Nobe quoque perrexit et apprehendit Chanath cum viculis suis, vocavitque eam ex nomine suo Nobe* ». Videtur intelligi idem locus atque Iud. 8,11, nunc Kanawath in occi-

dentali clivo montium Hauran. Cf. CI p. 170. Urbs fortasse fuit munita, quod ejus *viculi* commemorentur (cf. 21,32). Ceterum, si tam longe orientem versus secedebat tum Nobe, veri simile est eum non ea id mente egisse, ut mox ad castra Hebraeorum reverteretur. Manassaei universim quidem reliquis Hebraeis Iordanem traiicientibus iuncti sunt atque fortiter egere (Ios. 22,2 sqq.) : at quis miretur, aliquos primam occasionem arripuisse, ut longe a Moyse et Iosue securas sibi sedes compararent? Iidem (Ios. 13,13) incolas regionis non exstirpavere, sed cum illis amice egere, connubia iniere et sine dubio eorum item superstitionibus participavere.

Censet *Dillm.*, v. 39 sqq. esse addititios et ea narrare, quae diu post Moysen acciderint sub iudice Iair Iud. 10,3 sq. Nota unitatem narrationis v. 33-42 : v. 33 narratur, quid *dederit* Moyses Gaditis et Rubenitis, v. 34-38 quid egerint hi; v. 40 narturra, quid *dederit* Moyses Manassaeis, v. 39.41 sq. quid egerint hi; illi nomina urbium mutant v. 38, sicut hi v. 41 sq. Ea unitas potius suggerit v. 39 sqq. non esse addititios. Ad Iud. 10,3 sq. vide CI p. 201 sq. Fueritne ille iudex Iair vir tam bellicosus, equidem ambigo. Videtur quippe in illa narratione latere ironia aliqua. Post tempora agitatissima Gedeonis et Abimelech, et ante tempora Iephte fuere iudices duo pacifici, quieti, cis Iordanem Thola, qui sepultus est in loco suo ubi vixerat, trans Iordanem Iair Galaadites, nomine et origine prioris illius atque famosi Iair affinis, sed cuius praeclarissimum factum illud exstitit, ut bene providerit familiae suae, ut triginta filiorum singuli insiderent asino et praesiderent oppidulo. Cf. ib. lusum verborum inter עירים et עירים, *asinos* et *urbes*, qui nihil sapit heroicum. Illa vero oppidula populus, comparans cum actis famosi illius antiquioris Iair, facete appellabat « oppida Iair », quod lepide dictum tempore auctoris libri Iudicum adhuc erat in omnium ore. Illa oppidula non erant necessario eadem, atque illa Num. 32,41; imo fuisse diversa, sive aliqua sive omnia, vel inde colligitur, quod antiquiora illa « oppida Iair » fuerint numero viginti tria (1 Par. 2,22), recentiora triginta.

VIII. TRADUNTUR NORMAE PRO DIVIDENDA CISIORDANICA NUM. 33-36.

Num. 33-36 una est pericope, tradens (36,13) mandata a Iahve « in campestribus Moab » edita, quae divisionem regionis cisiordanicae respiciunt apteque adnectuntur narrationi Num. 32 de transiordanica duabus et dimidiae tribubus concessa. Exordii loco praefigitur elenchus stationum ab ipso Moyse conscriptus 33,1-49, quibus populus ex Aegypto ad Iordanem devectus est. Inde triplici (v. 48-50) « in campestribus Moab » transitur ad documentum 33,50-34,29, quod est de divisione terrae tribubus facienda; dein ad alterum documentum Num. 35, quod est de urbibus levitarum et civitatibus refugii designandis; concluditur narratione et lege Num. 36, quibus praecavetur ne tribuum fines postmodum permisceantur. Pri-

mum documentum tria habet membra : 33,50-56 praecipitur universim regionis cisiordanicae divisio; 34,1-15 eiusdem fines describuntur, concluditurque v. 12 formula « Haec est terra », quae v. 13-15 distinctius explicatur; 34,16-29 designantur futuri terrae divisores, clauditurque v. 29 formula « Hi sunt etc. ». Alterum documentum 35,1-8 agit de urbibus levitarum, v. 9-34 de civitatibus refugii ita, ut v. 29 haec lex declaretur fore perpetuo valitura, v. 30-34 aliqua ei de novo addantur, v. 34 claudatur solemni formula « Ego Iahve habitans in medio filiorum Israel ».

Quaeri potest, utrum subscriptio 36,13 ad sola pertineat Num. 33-36, an etiam ad aliqua ex praecedentibus. Num. 32 habet materiam affinem divisionis regionis cisiordanicae, sc. divisionem transiordanicae : verum haec tota divisio effecta exhibetur non per aliquod « mandatum et iudicium Iahve », sed pactione Moysen inter et aliquas tribus.

1. *Praeambulum : elenchus stationum arcae ex Aegypto ad Iordanem Num.* 33,1-49.

Arg. — Traditur ab Aegypto ad Iordanem elenchus a Moyse conscriptus stationum, in quibus arca substitit. Licet porro aliqua e nominibus posteris prorsus ignotis potuere aliquando omitti, non tamen sufficiens habetur ratio affirmandi excisas esse 37 annorum stationes.

Cap. XXXIII v. 1 « *Hae sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Aegypto per turmas suas in manu Moysi et Aaron* », his viris ducibus. *Hebr. : hae sunt profectiones* seu *stationes* (*LXX* σταθμοί), *quibus egressi sunt etc.* Inscriptio haec affinitatem quandam habet cum subscriptione Ex. 6,26 (*per turmas suas*; cf. Ex. 12,41). v. 2 « *Quas descripsit Moyses iuxta castrorum loca, quae Domini iussione mutabant* ». *Hebr. : descripsit autem Moyses egressum eorum per stationes eorum secundum Iahve placitum; suntque stationes egressus eorum sequentes.* Totum sc., quod Pentateucho narratur, est *egressus* de Aegypto seu, si mavis, *ingressus* in terram promissam. Illud porro *secundum Iahve placitum* refert *Vulg.* ad *stationes :* scripsit stationes, in quibus secundum Iahve placitum substitere. Melius *LXX* referunt ad *scripsit :* scripsit a Deo iussus. Prior item versus pars duplicem admittit sensum : descripsit Moyses exodum eorum *secundum stationes,* i. e. scripsit narrationem exodi stationum ordini inhaerentem; vel : descripsit exodum *quoad stationes,* i. e. scripsit elenchum stationum. Secundum priorem sensum noster elenchus excerptus est e prolixiore illa Moysis narratione, secundum alterum

est ipse elenchus a Moyse conscriptus. Hunc alterum sensum ideo praeferimus, quia noster elenchus utique non est excerptus ex ea, quam habemus, sacra narratione, cum plura et quandoque alia tradat stationum nomina.

Non quivis locus, in quo fuere vel etiam substitere Hebraei, vocatur *statio*. Non est statio Tabera Num. 11,3, quia, licet aliquid ibi narratu dignum factum sit, tamen non videntur ibi castra posuisse Hebraei. Oportebat hos utique quotidie aliquamdiu subsistere, ut quiescerent homines et greges : haberentur igitur fere totidem stationes quot dies. Stationes vocantur illa loca, ubi castra posita sunt et, inde a monte Sinai, explicatum tabernaculum, loca cultu Iahve consecrata.

Porro duo Num. 33,3-49 discernuntur : *elenchus stationum*, constanter expressus formula « egressi de A venerunt in B », et *additamenta historica* v. 3 sq. 8. 9. 14. 38-40. Est haec pericope affinis Generationum Adam, quae genealogiae admiscent aliquas notulas historicas (Gen. 5,24.29); item Generationum filiorum Noe (cf. Gen. 10,8-12. 14^b. 25^b).

Elenchus stationum, uti monebamus, non est excerptus e praecedente narratione, additamenta e contra (praeter v. 38^b) nihil habent, quod non iam habuerit praecedens narratio. Qui elenchum Pentateucho inseruit, eum utique censebat Moysis esse auctoris (v. 2). Reapse, nisi elenchum arbitrio confictum esse supponas, debebis illum ipsi exodi tempori concinnatum adscribere, quo uno tempore tradi potuere tot nomina posterioribus aevis inaudita. Hebraeorum traditio, quae religiose servaverat stationes trium magnorum patriarcharum (CG p. 29.32), praeservavit sane etiam memoriam stationum arcae in deserto.

Additamenta possunt affirmari esse postmodum adscripta, cum fere antea narrata repetant verbis vix non iisdem, imo additamentum v. 40 negligenti manu sit adscriptum. v. 3.8 repetunt chronologica quaedam (Ex. 12,6. 41; 15,22), cum tamen secus elenchus stationum tempora non describat. v. 3 sq. congerunt expressiones ex Ex. 12,12; 14,8 etc. depromptas. v. 8 sq. loca describunt iisdem fere verbis atque Ex. 14,2; 15,22. 27. Verum inde a v. 10 habetur nudus sine additamentis elenchus, usque ad v. 38-40. Et v. 40 quidem non est nisi textus 21,1 huc translatus, *truncata* narratio secundi contra Araditas proelii, veluti notula quaedam e margine in textum delapsa. Unde oritur suspicio, etiam v. 38 sq. esse addititios : cur enim mortem Aaronis efferat elenchus, qui eiusdem sacerdotium et Mariae mortem ignorat? Tamen non sola ante narrata v. 38 repetit, sed determinat tempus mortis Aaron, e quo facili computo v. 39 morientis aetas definitur.

Stationum *numerus* est 42 vel, si primam et extremam omittas, 40, ergo totidem quot annos Hebraei in deserto transegere. Quos numeros non ideo comparamus inter se, ut ex uno alterius aliquam confirmationem petamus, sed ut illud lectorem moneamus, sicut genealogiam Christi S. Matthaeus contraxerit ad 3×14 membra, ita etiam potuisse stationum elenchum contrahi ad numerum quadragenarium. Quod fieri potuit imprimis tum, quando pleraque elenchi nomina nihil iam praeter inanem sonum lectoris menti obiicerent. Quod ergo aliqua itineris pars plures pro portione habeat stationes, quod vicissim stationem Asiongaber, nulla alia interposita, excipiat statio Cades sat longo itinere ab illa distans, eae non sunt rationes elenchi repudiandi, quasi fictitius sit fideque haud dignus.

Elenchum in tres partes discernimus : v. 3-17, quorum plena habetur confirmatio in Exodo et Num. 1.11; v. 18-36, quorum vix ullam Numeri suppetunt confirmationem; v. 37-49, componenda cum narratione Num. 20 sqq.

v. 3 « *Profecti igitur de Ramesse mense primo, quintadecima die mensis primi, altera die Phase, filii Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Aegyptiis* » v. 4 « *et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus, nam et in diis eorum exercuerat ultionem* », — dele *nam* : cf. quae dicebamus ad Ex. 12,12 — v. 5 « *castrametati sunt in Socoth* », pago cuius caput erat Phithom (cf. CEL p. 33). v. 6 « *Et de Socoth venerunt in Etham, quae est in extremis finibus solitudinis* ». Ad verbum consonat Ex. 13,20. Etham eo fere erat loco, ubi postmodum Arsinoe (CEL p. 141). v. 7 « *Inde egressi venerunt contra Phihahiroth, quae respicit Beelsephon, et castrametati sunt ante Magdalum* ». Pikeheret locus pagi Socoth, de quo CEL p. 142 sq. Prior pars v. 8 breviter resumit transitum Maris Rubri. v. 8 « *Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem, et ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in Mara* ». Cf. Ex. 15,22 sq.; CEL p. 163. v. 9 « *Profectique de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum et palmae septuaginta, ibique castrametati sunt* ». Cf. Ex. 15,27; CEL p. 163. v. 10 « *Sed et inde egressi fixerunt tentoria super Mare Rubrum* ». De qua statione, uti de Daphca et Alus, silet Exodus, sane quod in illis nihil memoria dignum actum sit. Cf. CEL p. 166 sq. « *Profectique de Mari Rubro* » v. 11 « *castrametati sunt in deserto Sin* ». Ex. 16. v. 12 « *Unde egressi venerunt in Daphca* », ubi Aegyptii habebant fodinas malachitarum (cf. CEL p. 179). v. 13 « *Profectique de Daphca castrametati sunt in Alus* ». v. 14 « *Egressique de Alus in Raphidim fixere tentoria, ubi populo defuit aqua ad bibendum* » (Ex. 17 sq.). Wadi Feiran CEL p. 179. v. 15 « *Profectique de Raphidim castrametati sunt in deserto Sinai* ». Ex. 19,1. De situ Sinai biblici inquirebamus CEL p. 187 sq. v. 16 « *Sed et de solitudine Sinai egressi venerunt ad Sepulcra Concupiscentiae* », Qibroth ha-Taawa, Num. 11. Tabera Num. 11,3 omittitur, quod non fuerit ibi statio, sed brevis tantum commoratio. v. 17 « *Profectique de Sepulcris Concupiscentiae castrametati sunt in Haseroth* ».

v. 18 « *Et de Haseroth venerunt in Rethma* », quocum nomine ceteroqui inaudito comparant Wadi Abu Retemat vel Wadi Erthame, situm haud procul Cadesa. v. 19 « *Profectique de Rethma castrametati sunt in Remmonphares* ». v. 20 « *Unde egressi venerunt in Lebna* ». v. 21 « *De Lebna castrametati sunt in Ressa* ». v. 22 « *Egressique de Ressa venerunt in Ceelatha* ». v. 23 « *Unde profecti castrametati sunt in Monte Sepher* ». v. 24 « *Egressi de monte Sepher venerunt in Harada* ». v. 25 « *Inde proficiscentes castrametati sunt in Maceloth* ». v. 26 « *Profectique de Maceloth venerunt in Thahath* ». v. 27 « *De*

Thahath castrametati sunt in Thare ». v. 28 « *Unde egressi fixere tentoria in Methca* ». v. 29 « *Et de Methca castrametati sunt in Hesmona* ». v. 30 « *Profectique de Hesmona venerunt in Moseroth* », quae videtur esse eadem atque *Mosera* Deut. 10,6. v. 31 « *Et de Moseroth castrametati sunt in Beneiaacan* », seu *Beroth Bene Iaacan* (Deut. 10,6), fontes filiorum Iaacan; Iaacan autem (Gen. 36,27; 1 Par. 1,42) nomen est cuiusdam familiae Seiritarum. Unde illo nomine videmur relegari prope fines Edomitarum. v. 32 « *Profectique de Beneiaacan venerunt in montem Gadgad* ». Deut. 10,7 et Sam. הגדגדה. v. 33 « *Unde profecti castrametati sunt in Ietebatha* », « terra torrentium aquarum » (Deut. 10,7). v. 34 « *Et de Ietebatha venerunt in Hebrona* ». v. 35 « *Egressique de Hebrona castrametati sunt in Asiongaber* », qui erat portus in summo Sinu Aelanitico : Deut. 2,8; 3 Reg. 9,26; 22,49; 2 Par. 8,17; 20,36. v. 36 « *Inde profecti venerunt in desertum Sin, haec est Cades* ».

Cum his primum conferamus oportet Deut. 10,6 sq. : « Filii autem Israel moverunt castra ex Beroth filiorum Iaacan in Mosera, ubi Aaron mortuus ac sepultus est, pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius eius. Inde venerunt in Gadgad, de quo loco profecti castrametati sunt in Ietebatha, in terra aquarum torrentium ». Qui textus nostro textui contradicit, primum quod alio ordine stationes enumeret (Beneiaacan, Mosera, Gadgad, Ietebatha; e contra Num. 33 Moseroth, Beneiaacan, Gadgad, Ietebatha), potissimum vero quod Aaronis mortem attribuat stationi primae post Beneiaacan, noster textus sextae. Verum Deut. 10,6 sq. indubie leguntur loco non suo, violenter interrumpunt narrationem de Moyse tabulas e monte Sinai deferente; sintne auctoris inspirati ignoramus. Textum tam suspectum profecto non praeferemus testimoniis consentientibus Num. 33,38 et 20,25 sqq.

Num. 10,12; 13,1. 27 edocebamur de castris positis in Pharan Cadesam versus; sed Pharan non est nomen unius cuiusdam loci, sed deserti late patentis; potuit igitur ipsius loci, in quo castra fuere, nomen esse *Rethma*. Videndum porro, habeanturne forte in nostro elencho vestigia aliqua eventuum Num. 13 sqq. Igitur 14,40 sqq. suscepere Hebraei quidam expeditionem in montana meridionalis Palaestinae, a quibus neque arca videtur procul abfuisse habebatque fortasse stationem in *monte Sepher* v. 23. Inde recesserint Hebraei Hormam (14,45 — חרמה), quod nomen facile deformabatur in *Harada* (33,24 — חרדה). Profecto novit *Euseb.* (Lagarde 293. 37) locum Σαφείρ, inter Eleutheropolin seu Betograbam et Ascalonem situm. Prope Eleutheropolin collocat idem (274. 15) *Lebnam* tribus Iuda (Ios. 10,29 etc.). *Remmon*, a Iudaeis postmodum Simeonitis concessa (Ios. 15,32), sexdecim milliariis distabat Eleutheropoli meridiem versus (278. 98 sq.). Quae loca non improbabiliter *I. G. Vaihinger*

l. c. p. 463 cum stationibus Num. 33,19 sqq. componit. Reapse non cogimur, quaecunque 13,26-14,39 narrantur, defendere unico loco unove die esse acta. Exploratores reduces Hebraeos convenerunt in castris in deserto Pharan 13,27. Prima eorum 13,28-30 relatione audita, fructibus conspectis, iter alacriter exercitus arripit penetrans in eam, quae postea Simeonitis cessit, regionis partem. Sed in hoc itinere ortum est murmur 13,31, quod in castris montis Sepher in apertam eruperit rebellionem. Inde quidam in montana penetrantes funduntur, totus cum arca exercitus usque Hormam pedem referre compellitur. Hac ratione facta non improbabiliter componi possunt.

Hebraei loca quaedam, quae forte ante ipsos nomina propria nacta non fuerant, novis appellavere nominibus, vel antiqua locorum nomina in eventuum quorumdam memoriam mutavere. Consideranda hic se nobis offerunt nomina stationum duo : *Ceelatha* קהלתה, Μακελλώθ, et *Maceloth,* מקהלת, Μακηλώθ (v. 22. 25); quae ambo potuere derivari a קהל, *concionem vocare.* Fuerene haec nomina stationibus fortasse imposita ad commemorandas turbulentas illas conciones Num. 13 sq.? Ceelatha sc. est statio praecedens montem Sepher : fuerit ibi initium rebellionis 13,31 sqq.; processerit inde turbulentus ille exercitus usque ad montem Sepher, ubi permixtis omnibus inglorium finem habuerit expeditio; inde per Hormam (Haradam) se receperit in Maceloth, ubi tandem ab hostibus securi res suas composuerint Hebraei, lataeque forte fuerint leges Num. 15. Perspicis iam, benigne lector, de his stationibus praeter coniecturas in medium proferri posse nihil. Idem dic de stationibus a Maceloth usque Asiongaber et Cades.

Initium porro resumpti in Chanaanitiden itineris petitur indidem, ubi iter in poenam rebellionis pridem abruptum fuerat, a *Cades,* de qua dicebamus p. 154 sq. Erat tum ea urbs in extremis Edomitarum finibus sita (20,16), ubi etiam mons Hor (20,22) : Edomitarum sc. fines variis temporibus varium habuere ambitum. v. 37 « *Egressique de Cades castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus terrae Edom* ». Cf. 20,22 sq. v. 38 « *Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor, iubente Domino, et ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Aegypto, mense quinto, prima die mensis* », v. 39 « *cum esset annorum centum viginti trium* ». Non est cur hos annos addubitet *Vaihinger* l. c. p. 451, cum vel nunc rari quidem homines ad eandem fere aetatem pertingant. v. 40 « *Audivitque Chananaeus rex Arad, qui habitabat ad meridiem* », i. e. in Negeb, « *in terram Chanáan venisse filios Israel* ». Cf. 21,1. De hac citatione truncata dicebamus p. 361. Sequentis itineris generalem directio-

nem habes Deut. 2,8 sq. : « Et defleximus a fratribus nostris filiis Esau habitantibus in Seir et a via Arabae », depressionis sc. ad occidentem Seiritidis sitae, « ab Aila et ab Asiongaber, et conversi sumus in viam deserti Moab ». v. 41 « *Et profecti de monte Hor* » « via maris Suph » (21,4) « *castrametati sunt in Salmona* ». v. 42 « *Unde egressi venerunt in Phunon* ». Cf. ad 21,10. v. 43 « *Profectique de Phunon castrametati sunt in Oboth* »; quod habet etiam 21,10, nisi quod tacito ibi profectionis loco suggeritur fere, non agi de transitu a monte Hor (v. 4) ad Oboth immediato, sed interiectis quibusdam stationibus mediato. Ceterum evidens est plures inter Cades et Oboth, quam tres, habitas esse stationes; sed potuere illae postmodum omitti ob rationem p. 361 indicatam. v. 44 « *Et de Oboth venerunt in Ieabarim, quae est in finibus Moabitarum* ». Eadem statio commemoratur 21,11. v. 45 « *Profectique de Ieabarim fixere tentoria in Dibon Gad* », quam merito censent eandem esse atque Dibon, quae 32,34 a Gaditis reaedificata iam vocetur Dibon Gad. Locus prope aberat ab Arnone flumine : ergo haec statio eadem est cum illa 21,13 « trans Arnonem ». Sed aliam inter hanc et Ieabarim 21,12 novit stationem, torrentem Zared. v. 46 « *Unde egressi castrametati sunt in Helmon Deblathaim* », dicta Deblathaim Ier. 48,22.

Pro בעלמון *Syr.* בבעלמון. Duorum ב alterum facillime excidere potuit et, si semel in quibusdam apographis exciderat, hanc lectionem sane praelaturi erant posteriores Hebraei, qui nomen בעל e nominibus propriis assidue expungere consueverant. Ergo e lectione Syri solida habetur probabilitas, loci nomen pridem fuisse בעלמון et, cum מון legitima contractione derivetur ex מעון, fuisse primitus בעלמעון seu plenius בית בעלמעון, cum inscriptio Mesae abbreviatam formam habeat בית דבלתן. Utrum vero urbs eadem intelligatur atque illa 32,3. 38, an propter adscriptum דבלתים censenda sit alia fuisse, non ausim affirmare. Potuit autem statio Baalmeon Deblathaim eadem esse cum statione Bamoth seu Bamoth Baal 21,19, ut sc. Baalmeon fuerit nomen urbis, Bamoth Baal sacri prope urbem collis. Ergo probabilis habetur consensus inter 33,46 et 21,19. Sed inter Arnonem et Bamoth Baal habentur 21,16 sqq. stationes tres : Beera, Matthana, Nahaliel.

v. 47 « *Egressique de Helmon Deblathaim venerunt ad montes Abarim contra Nabo* », quae statio eadem est cum illa 21,20. v. 48 « *Profectique de montibus Abarim transierunt ad campestria Moab supra Iordanem contra Iericho* » (cf. 22,1), v. 49 « *ibique castrametati sunt de Bethsimoth* » — בית ישימות tribus Ruben Ios. 12,3; 13,20; Ez. 25,9 — « *usque ad Abelsatim* », quae 25,1 Setim audiebat, « *in planioribus locis Moabitarum* ». Eadem expressio v. 48 vertebatur *campestria Moab*. Hoc textu illud etiam docemur, stationum nominibus exprimi loca, ubi arca explicabatur, castra vero ob hominum gre-

gumque multitudinem latius patuisse atque nonnunquam diversorum nominum loca esse complexa.

Elenchus igitur noster pro annis 37 non aliam praeter *Cadesam* videtur habere stationem. Quae post illam v. 37 sqq. recensentur stationes, eae ad resumptum iter spectant. Solum de v. 19-35 dubium esse potest. Verum earum stationum aliquae erunt sane attribuendae eventibus Num. 13 sqq. : et quae supersunt, tam paucae sunt, ut nefas sit affirmare, his paucis nominibus ita describi 37 annorum itinera, uti nominibus v. 9-15 describantur primi anni itinera. Et tamen tot annis non potuit ingens illa hominum multitudo eodem aut fere eodem loco consistere : mutanda certe erant gregum pascua. Potuit utique, qua ratione p. 361 suggerebamus, stationum numerus contrahi. Quominus autem affirmemus seriem aliquam stationum h. l. excisam esse eodem consilio, quo annorum 37 acta p. 213 sqq. suppressa esse pronuntiabamus, sequenti cohibemur ratione. Elenchus, quod supra monebamus, tradit stationes *arcae*, locos in quibus haec explicabatur. Iamvero, quaenam fuere arcae fata in illa magna populi apostasia, quando plerisque deficientibus intermittebantur sacrificia (Am. 5,25) et, praeter Levitas, fortasse pauci tantum Moysi adhaerebant? Non tum arca circumferebatur, sed in loco aliquo tuto, munito asservabatur et, si opus esset, defendebatur. Talis locus erat Cades, locus natura munitus, aquis abundans, florenti septus agro. Crediderim ibi Moysen cum arca se continuisse toto illo luctuoso tempore : haec ratio, cur non plures stationes noster elenchus illis 38 annis tribuat.

Admirationem facit ante Hebraeorum adventum in Cades Num. 33, 36 excursio illa v. 35 in *Asiongaber*, ad caput Sinus Aelanitici. Ergone eousque cum arca Hebraei profecti sunt ac postea, ob rationem nobis ignotam sed utique nube duce, reversi Cadesam? Sed Deut. 2,1 scribuntur Hebraei « multos dies » insumpsisse circumeundo monti Seir, et v. 8 eo in itinere etiam devenisse in Asiongaber, multorum autem illorum dierum tres ad summum Num. 33,41 sq. recensentur stationes. Fieri utique potuit, ut aliqua nostri elenchi pars loco excideret suo, ut stationes v. 30-35 primitus legerentur post v. 40. Elenchus quippe stationum inter montem Hor et fines Moabitarum utique incompletus est.

2. *De cisiordanica inter tribus dividenda Num.* 33,50-34,29.

a. Generalis traditur divisionis norma Num. 33,50-56.

Arg. — Terram cis flumen distribuent Hebraei ita, ut, *ubi* familia quaeque suam habitura sit possessionem, sorte dirimatur, *quantum*

quaeque sit habitura, definiatur numero virorum. Simul monentur Hebraei, ut habitatores terrae interimant.

Id quod post v. 51 est omnino praecipuum, est v. 53 sq. definiens rationem dividendae terrae; de qua item re agunt cap. 34 sq. Sed his contexuntur v. 52.55 sq. de incolis perdendis; ita ut v. 52 sit instar parentheseos versui 51 adscriptae, quam parenthesin porro explicent v. 55 sq. Praeterea v. 53 habet verbum והורשתם significatione *possidendi*, v. 52 (cf. v. 55) idem significatione *delendi*, quin tamen ullus in his lateat lusus verborum. Erit ergo fere concedendum, v. 52. 55 serius atque minus feliciter esse ádscriptos. Verum aliam lectionem v. 53 habent *LXX*, qua tota solvitur difficultas, pro והורשתם את הארץ, uti v. 52 והורשתם את כל ישבי הארץ, *et perdetis omnes habitatores terrae*. Ita idem verbum v. 52. 53. 55 eadem significatione adhibetur, habeturque planus contextus : post ingressum terrae sanctae et exstirpatos cum suis sacris incolas, terram divident Hebraei inter se; monenturque rursum de exstirpandis incolis. ישבי v. 53 sat facile excidebat, cum quod vox ter in hoc contextu recurrat, tum ob praecedens והורשתם et sequens וישבתם.

v. 50 « *Ubi locutus est Dominus ad Moysen* » : — *Hebr.* repetit *in campestribus Moab, supra Iordanem contra Iericho* — v. 51 « *Praecipe filiis Israel et dic ad eos : Quando transieritis Iordanem,* [*intrantes*] *terram Chanaan* », v. 52 « *disperdite cunctos habitatores terrae illius, confringite* » *omnes eorum* « *titulos* » — sed משכית Lev. 26,1 aliquid designat, v. g. lapidem, picturis seu symbolis insignitum — « *et statuas* » *eorum omnes* « *comminuite atque omnia excelsa vastate* ». Purganda terra ab habitatoribus habitatorumque superstitionibus. v. 53 « *Mundantes terram et habitantes in ea* ». Verte : *Et perdetis omnes habitatores terrae et habitabitis in ea.* Iam titulus eorum iuris recensetur : « *ego enim dedi vobis illam in possessionem* ». v. 54 « *Quam dividetis vobis sorte* » *secundum familias vestras.* « *Pluribus dabitis latiorem, et paucis angustiorem. Singulis ut* » — *Hebr. ubi* — « *sors ceciderit, ita tribuetur haereditas. Per tribus et familias possessio dividetur* ». Inculcatur rursum deleri oportere habitatores, addita sanctione : v. 55 « *Sin autem nolueritis interficere habitatores terrae, qui remanserint erunt vobis quasi clavi in oculis et lanceae in lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestrae* ». Non *clavis* vulnerantur oculi, sed *spinis*, quam significationem pro ἅπαξ λεγομένῳ שכים h. l. suggerunt. Pro צנינם cum *Sam.* צנים, *spinae*, non *lanceae*. Imaginem explicat Ios. 23,13 : « erunt vobis in laqueum et offendiculum et flagellum in lateribus vestris, et in spinas in oculis vestris ». Ergo spina in oculo vel in latere pungens repraesentat laqueum, impedimentum. v. 56 « *Et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam* ».

b. Cisiordanicae fines circumscribuntur Num. 34,1-15.

Arg. — Nomine Iahve Moyses terrae cis Iordanem terminos describit meridionalem, occidentalem, septentrionalem, orientalem, concludens v. 6. 9 formula : « Hic erit vobis terminus occidentalis », « septentrionalis ». Quare merito censet *Dillm.*, v. 5 item supplendam esse formulam : « Hic erit vobis terminus meridionalis », quae legitur quidem Ios. 15,4, sed h. l. excidisse videtur. Finium descriptio v. 12 concluditur generaliori formula : « Haec erit vobis terra secundum terminos suos in circuitu ». Postea v. 13-15, nomine non Iahve sed suo, Hebraeis in memoriam revocat Moyses, duabus tribubus cum dimidia fines iam esse assignatos trans Iordanem.

Cap. XXXIV v. 1 « *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens* » : v. 2 « *Praecipe filiis Israel et dices ad eos : Cum ingressi fueritis terram Chanaan, et in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur* ». *Hebr.* absolute orditur : *Vos pergetis ad terram Chanaan*; dein, quod ius Hebraei in eam terram habeant, commemorat : *Ista est terra, quae vobis cedet in haereditatem;* tandem appositione enuntiat illud, quod est caput sequentis orationis : *terra Chanaan secundum terminos suos.*

Cuius primum v. 3-5 describit limitem *australem* (cf. Ios. 15,1-4). v. 3 « *Pars meridiana incipiet a solitudine Sin, quae est iuxta Edom* ». *Terminus* voce גבול exprimitur; cum autem Hebraeis nota potissimum esset Chanaanitidis pars australis, circa Cades Barnea (*Calm.*), auctor, antequam terminum australem describat, eam illis regionis partem in memoriam revocat : *Haec vobis erit pars meridionalis* (פאה, cf. 35,5), *a deserto Sin* (inclusive), *finitima Idumaeae*. Postea terminum australem describit : « *et habebit terminos contra orientem mare salsissimum* », et quidem *ab extremitate sua* (*Hebr.*) : *terminus australis* proficiscitur ab extremitate Maris Mortui (Gen. 14,3), et quidem *ad orientem*, it uta illa extremitas sit termini pars maxime orientalis : terminus quippe australis ab oriente occidentem versus describitur. v. 4 « *Qui circuibunt australem plagam per Ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna et perveniant a meridie usque ad Cadesbarne, unde egredientur confinia ad Villam* [*nominis*] *Adar et tendent usque ad Asemona* »; v. 5 « *ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad Torrentem Aegypti, et maris magni littore finietur* ». Hic torrens, Wadi el-Arisch, ubi postmodum Rhinocolura, etiam alias exhibetur fuisse terrae sanctae terminus, illam ab Aegypto dividens :

Ios. 15,47; 3 Reg. 8,65; 4 Reg. 24,7; 2 Par. 7,8; Is. 27,12. Terminus igitur hic australis fere constat linea ab extremo Mari Mortuo decurrente Cadesam, atque hinc versus Torrentis Aegypti os.

Hebr.: Et circuibit vobis terminus ad austrum Ascensus Acrabim (cf. Iud. 1,36), — est elevatio quaedam ab extremo Marí Mortuo occidentem versus decurrens, a qua pagus Acrabathane 1 Mach. 5,3 nomen accepisse creditur — *et perget in Sin*, locum a quo desertum Sin nomen habuit, non ipsum desertum, nam quae v. 4 sq. citantur, non sunt tractus late patentes, sed loca angustis limitibus circumscripta ac veluti puncta totidem; *et decurret ad meridiem Cades Barnea*, quae urbs Ios. 15,23 tribui Iuda accensetur, eratque revera intra fines terrae sanctae; *et excurret in Asor et Arad*, duo quippe nomina haberi intellige e Ios. 15,3: חצרו seu חצארן (Ios. 15,25) et ארד secus ignotum. *Pergetque in Asemon etc.* Loca plura ignorantur, varias coniecturas vide apud *Kn., Dillm.*, e quibus etiam disces regionem, quae est ad aquilonem huius termini, longe esse fertiliorem ea, quae protenditur Aegyptum et Sinaitiden versus.

Sequitur terminus *occidentalis*. v. 6 « *Plaga autem occidentalis a mari magno* », Mediterraneo « *incipiet, et ipso fine claudetur* ». Haec liberius sunt versa: *Et terminus occidentalis erit vobis Mare Magnum; terminus hic erit vobis terminus occidentalis*. Cf. v. 9.

Terminus *septentrionalis*. v. 7 « *Porro ad septentrionalem plagam a mari magno* », Mediterraneo « *termini* [*incipient*], *pervenientes usque ad montem altissimum* », uti patet, ubi hic *primum* occurrit, ergo usque ad extremitatem australem *Libani*, qui hoc solo loco vocatur *mons Hor*. Verbi תתאוי (cf. ויתו 1 Reg. 21,13 [14]) sensus videtur esse *describent*. v. 8 « *A quo venient in Emath* » — sed *Hebr.: usque ad introitum Emath* seu Hamath, de qua expressione dicebamus p. 107: sunt eae sc. montium angustiae Libanum inter atque Hermonem, haud procul a Dan Lais. Cf. *I. P. van Kasteren*: Revue Biblique 1895 p. 29 sq. — « *usque ad terminos Sedada* ». *LXX* Σαραδάκ, *Sam.* צרד. Cum ergo neque nominis forma sit omnino certa, praeposterum est variorum per Syriam locorum consonantiis ludere. Ez. 47,15 (cf. 48,1) Sedad non longe videtur abfuisse ab Hethalon, חתלן, civitate ad litus maris sita, quam putant eandem esse atque Adlun seu Adhnun. v. 9 « *Ibuntque confinia usque ad Zephrona et Villam Enan* », loca nobis ignota. Sed v. 10 docemur, *Asor Enan* fuisse in angulo, quo terminus septentrionalis et terminus orientalis convergebant. Cf. Ez. 47,17; 48,1. « *Hi erunt termini in parte aquilonis* ». Nulla est ratio supponendi terminum aquilonem versus longius excurrisse, quam processerant 13,22 exploratores, sc. usque ad introitum Emath.

Terminus *orientalis* ab Asor Enan deflectit ad Iordanis fontem apud

Daphnen seu Dan Lais (hodie Tell el-Kadi), atque inde flumen sequitur. v. 10 « *Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de Villa Enan usque Sephama* ». Sepham, locus nobis ignotus. v. 11 « *Et de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem* [*Daphnim*] », de quo v. i. « *Inde pervenient contra orientem ad Mare Cenereth* ». Cenereth nomen est urbis Ios. 11,2 (Ios. Bell. Iud. III. 10. 8 Γεννησάρ), a qua lacus Genesareth seu Tiberiadis nomen accepit. Hebr. : attinget latus maris orientale, quod ipsum, sed non mare regioni transiordanicae accensetur. v. 12 « *Et tendent usque ad Iordanem, et ad ultimum salsissimo claudentur mari* », Mari Mortuo. « *Hanc habebitis terram per fines suos in circuitu* ». Quae sententia concludit descriptionem termini non orientalis tantum, sed terminorum universim v. 3-12.

Vox *Daphnim* in textum Vulg. irrepsit (*Verc.*) ex commentario *Hier.* in Ez. 47,18 (*M.* 25,478), ubi illum *fontem* anonymum merito, ut nobis videtur, collocat apud *Daphnen*, sed hanc Daphnen perperam interpretatur Daphnen Coelesyriae seu Antiochiam. Erat sc. altera *Daphne* (*Ios.* Bell. Iud. IV. 1. 1) proxime attingens *fontem Iordanis minoris* apud Tell el-Kadi seu Dan Lais (cf. *K. Baedeker :* Palästina u. Syrien, III. Aufl. Leipzig 1891 p. 265). Hic fons, quod copiosiores aquas effundat, antiquitus iam habebatur fons Iordanis principalis : siquidem flumen el-Leddan ex illo fonte profluens copiam habet aquarum bis tantam quantam flumen Baniias e Panea seu Caesaraea Philippi, ter tantam quantam Chasbani a septentrione affluens. Hunc fontem copiosissimum fluminis in Chanaanitide omnino principalis vocari simpliciter *fontem*, quis miretur? Quae porro interpretatio ex Hier. derivata confirmatur praecedente nomine *Rebla*. Sc. pro הרבלה scribunt *LXX* τὰ ὅρια βηλά, i. e. misso ה paragogigo הר בל seu הר בעל, *Mons Baal.* Facile intelliguntur Chananaei circum incolentes collem, qui tam copiosum tanti fluminis fontem effunderet, appellasse montem Baal; intelligitur item hoc nomen apud Hebraeos postmodum in desuetudinem abiisse atque in nostro textu defiguratum esse in nomen ignoti cuiusdam loci Rebla. Et nota collem Tell el-Kadi reapse esse *ad orientem* fontis : fons ex eius latere occidentali profluit.

v. 13 « *Praecepitque Moyses filiis Israel dicens* » : — repetens v. 2-12 a Deo dicta, atque aliqua addens de suo, quae sequuntur — « *Haec erit terra, quam possidebitis sorte, et quam iussit Dominus dari novem tribubus et dimidiae tribui* ». v. 14 « *Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, et tribus filiorum Gad iuxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse* », v. 15 « [*i. e.*] *duae semis tribus, acceperunt partem suam trans Iordanem contra Iericho ad orientalem plagam* ».

קדמה מזרחה : vide Ex. 27,13 et cf. Ex. 26,18. — Quae de *Manasse* habentur, *Dillm.* censet esse addititia : primum, quod non scribatur בני המנשי sed שנשה, et addi potest non exprimi *patroecias* Manasse; secundo, quod *Iordanis Iericho* ad summum attingat Rubenitas et Gaditas, non vero Galaaditas. Respondeo, Manassaeorum res

propter eventum Ex. 32 fuisse confusas et incertas, nullibi eius tribus uti aliarum patroecias recenseri, cap. 36 eam tribum se ab aliarum tribuum commistione defendere, in his igitur deprehendi rationem, cur eius tribus homines h. l. *filii Manassaei* non scribantur; si tamen discriminis tam exigui rationem aliquam reddere oporteat. Verba autem *trans Iordanem Iericho* non exprimunt locum, ubi earum tribuum termini *siti* sunt, qui verius est trans totum Iordanem et etiam trans Mare Mortuum, sed exprimunt locum, ubi termini illis tribubus a Moyse *assignati* sunt, quae fuere castra trans Iordanem contra Iericho posita.

c. Cisiordanicae divisores designantur Num. 34,16-29.

Arg. — E singulis tribubus, quae cis Iordanem habiturae sunt fines, designatur vir unus, qui Eleazarum et Iosuen adiuvet in distribuenda terra.

Sunt hi omnes, uti patet, homines novi, cum illi, qui Num. 1 etc. recensebantur, in deserto interierint; quorum ne unus quidem h. l. reperitur inter *patres* virorum nunc a Moyse selectorum. Novem viri v. 20-28 selecti omnes nomina componunt cum nomine divino *El*, praeter Bocci v. 22 et Ahiud v. 27. Sed *patrum* nullus nomen divinum habet. Tribus sibi succedunt eo ordine, quo tribus postea ab austro aquilonem versus terminos obtinuere (*Kn.*); quod ideo admirationem facit, quod Moyses singularum cis Iordanem tribuum fines non descripserit.

v. 16 « *Et ait Dominus ad Moysen* » : v. 17 « *Haec sunt nomina virorum, qui terram vobis divident : Eleazar sacerdos et Iosue filius Nun* ». Nota pontificem constanter praeponi Iosue (cf. Ios. 14,1 etc.), dum Moyses consueverat anteponi Aaroni. Eleazarum et Iosuen fuisse reliquis divisoribus praepositos inde etiam colligitur, quod v. 24 alius praeter Iosuen pro tribu Ephraim divisor designetur. v. 18 « *Et singuli principes de tribubus singulis* »; eos (*Hebr.*) *sumetis ad distribuendam possessionem terrae*. v. 19 « *Quorum ista sunt vocabula : De tribu Iuda, Caleb filius Iephone* » (cf. 13,7); v.20 « *de tribu Simeon, Samuel filius Ammiud* »; — nomen עמיהוד habes 1,10, quod *LXX* fecere Σεμιούδ; pro שמואל LXX Syr. שלמיאל confundentes sane virum cum altero illo Simeonita Salamiel 1,6 — v. 21 « *de tribu Beniamin, Elidad filius Chaselon* »; — אלידד idem nomen atque Eldad (*Sam. LXX Syr.*; cf. 11,26 — v. 22 « *de tribu filiorum Dan, Bocci filius Iogli* »; — בקי nomen est etiam alicuius pontificis 1 Par. 6,5 (5,31); 6,51 (36); 1 Esdr. 7,4 — v. 23 « *filiorum Ioseph de tribu Manasse, Hanniel filius Ephod* »; — חניאל nomen etiam Aseritae 1 Par. 7,39 — v. 24 « *de tribu Ephraim, Camuel filius Sephthan* »; — ad קמואל cf. Gen. 22,21 — v. 25 « *de tribu Zabulon, Elisaphan filius Pharnach* »; — אליצפן cf. 3,30 — v. 26 « *de tribu Issachar, dux Phaltiel filius Ozan* »; — vocem *dux*, inde a v. 22, singulis principi-

bus Hebr. praefigit. Ad פלטיאל cf., quae dicebamus ad nomen פלטי 13,10 — v. 27 « *de tribu Aser, Ahiud filius Salomi* »; — אחיהוד fortasse 1 Par. 8,7 depravatum legitur in אחיחוד — v. 28 « *de tribu Nephthali, Phedael filius Ammiud* » (cf. v. 20). v. 29 « *Hi sunt, quibus praecepit Dominus, ut dividerent filiis Israel terram Chanaan* ».

3. *De urbibus levitarum et refugii assignandis Num.* 35.

a. De urbibus levitarum Num. 35,1-8.

Arg. — Levitis, tam sacerdotibus quam simplicibus levitis, assignandae sunt urbes omnino quadraginta octo. Neque tamen singulae duodecim tribus assignabunt urbes quaternas, sed plures vel pauciores, prout cuiusque tribus termini latiores erunt aut angustiores. Earum porro urbium cives Levitis concedent cum *domos* ad habitandum, tum animalium *pascua*, quorum ambitus accurate definitur. Earum praeterea urbium sex sint oportet e numero earum, quae civitates refugii designabuntur, sane ob eam potissimum rationem, ut qui sanguinem innocens fudisset Levita posset ad suos tutum se recipere.

Cap. XXXV v. 1 « *Haec quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Iordanem, contra Iericho* » : v. 2 « *Praecipe filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus suis* » *haereditariis* v. 3 « *urbes ad habitandum, et suburbana earum per circuitum* », גרש a גרש, *minari*, ergo *pascua*, « *ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus ac iumentis* ».

LXX Vulg. inter duo ultima nomina ignorant *et possessioni eorum*, quod reapse videtur abundare. Animalia quippe omnia domestica aut pecora sunt aut iumenta : quid autem reliquae *possessioni* in *pascuis?* — Monet *Cai.*, quoad dominium fuisse has urbes tribuum, quoad ius habitandi Levitarum. Sed dicendum est, neque ius habitandi exclusivum quoad illas urbes concessum esse Levitis : habitabant in illis praeter Levitas etiam cives, ad quorum tribum urbs pertineret. Id patet inde 1), quod textus non cogat admittere solos Levitas in illis urbibus habitasse, dum textus alii contrarium evincunt : neque Sichimam neque Gabaonem (Ios. 21,17. 21) soli Levitae incolebant (Ios. 9; Iud. 9,1). 2) Ii sane non erant soli urbium incolae, ad quos non totus urbium ager pertinebat : at, non totum earum urbium agrum penes Levitas fuisse, infra demonstrabimus. 3) Quodsi totae illae urbes, etiam nobiliores uti Hebron et Sichem, Levitarum erant, ambitus pascuorum v. 4 sq. descriptus certissime futurus erat insufficiens. 4) Si soli Levitae sex civitates refugii incolebant, quae omnes erant in numero quadraginta octo civitatum leviticarum, quicunque alius cuiusdam tribus homo sanguinem innocens fudisset, debebat in Levitarum societatem recipi, quoad eius innocentia probaretur : atqui id plurimum repugnasset indoli sanctitatis leviticae. — Quod porro obiicit *I. Wellhausen* (Prolegomena zur Geschichte Israels,

II. Ausg. Berlin 1883, p. 165), ex Ios. 21,12 effici Levitis concessam esse plenam urbis Hebron possessionem, merito respondet *Dillm.* nihil aliud ibi enuntiari, quam Levitis concessum esse illud ius habitandi in *urbe* Hebron, quod illis Moyses attribuerat, *agrum* vero, praeter partem eisdem a Moyse attributam, cessisse Calebo ex concessione Ios. 14 illi facta. — Quae concessio divina promissione fundata fuisset prorsus ridicula, nisi Calebo etiam tribuisset ius in ipsa civitate Hebron habitandi. — An porro e v. 3 cives obligati fuerint ad exstruendas Levitis domos, vel solum ad illis concedendum exstruendarum locum, non plane perspicio. — Lex igitur Lev. 25,32-34 valebat pro Levitarum domibus et agris in urbibus Ios. 21 illis attributis. Quae forte alibi acquisiverant Levitae, ea subiacebant iuri communi. Neque enim hac nostra lege vetabantur Levitae, quominus alibi suis expensis sibi sedes compararent in urbibus (*Bonfr.*).

v. 4 « *Quae* » — sc. suburbana seu pascua — « *a muris civitatum forinsecus per circuitum mille passuum* [*spatio*] *tendentur* ». *Hebr. : a muro urbis forinsecus mille cubiti in circuitu;* etenim hic uti v. 5 leguntur *cubiti*, non *passus*. Advertit *Dillm.*, murum h. l. scribi קִיר, in lege Lev. 25,29-31 חוֹמָה : at quomodo hinc sequatur v. 4 sq. serius huic legi additum esse, non video. v. 5 « *Contra orientem duo millia erunt cubiti, et contra meridiem similiter erunt duo millia, ad mare quoque quod respicit ad occidentem eadem mensura erit, et septentrionalis plaga aequali termino finietur* ». Clarius *Hebr. : et extensio de extra urbem etc.* Sc. duas extensiones novit v. 4 sq., unam *a muro et extra*, alteram *de extra urbem;* ambae, uti patet, sunt extra murum et urbem, cum pascua non consueverint intra muros reperiri. Prior extensio murum exterius sequitur, altera a muro foras excurrit; possumus eas vocare pascuorum latitudinem et longitudinem. Porro, qui defendunt integras urbes cum omni suo agro Levitarum fuisse, coguntur v. 4 sq. adstruere, singulas Levitarum urbes habuisse nec plus nec minus quam mille cubitos in circuitu, atque cinctas fuisse veluti quadrato aliquo pascuorum, cuius singula latera fuerint 4250 fere cubitorum. Quod erat ridiculum atque, ob soli inaequalitates, saepe impossibile. Quod textus edicit, illud est, fuisse circa illas urbes, seu *in circuitu* earum, pascua quatuor invicem non confinia, in quatuor coeli partes prospicientia, quorum basis seu latitudo prope murum esset mille cubitorum, longitudo in agrum procurrens cubitorum bis mille. Erant igitur parallelogrammata quatuor latitudinis mille, longitudinis bis mille cubitorum, versus murum convergentia; uti non soli Levitae eas urbes incolebant, ita neque totus Levitis ager concedebatur. Quo efficiebatur, ut non nimii in unam earum urbium Levitae confluerent, non una fierent secta a reliquo populo discreta, sed per omnes tribus et religionem tuerentur communem, et suae quisque simul tribus, in qua habitarent, commodis studerent. Prae-

bebantur illis praeter habitationem etiam pecorum pascua, non vero agri, quod decimis etc. sustentarentur (*Bonfr.*). Ex suis urbibus suis temporibus ad sacra prope tabernaculum officia obeunda vocabantur. Tamen, quod neque agrorum cultura neque semper sacris officiis occuparentur, supererat illis otium ad mercaturam domi artesve mechanicas aut liberales exercendas. Ita illis lege fuerat provisum, « ne aut inopia valde premerentur aut rerum copia mollescerent » (*Proc.*). Non tota sua pascua prope habebant sub moenibus, civium pascuis procul moenibus ablegatis, neque poterant cives, propiora sibi solis reservantes, Levitas ad pascua remotiora submovere; neque Levitae neque cives poterant partem agri fertiliorem sibi solis arripere, sed in quatuor coeli partibus utrique sua pascua habebant. « *Eruntque urbes in medio* », sed pro « *et foris suburbana* » *Hebr.* concludit v. 4 sq. dicta : *Haec vobis erunt pascua urbium Levitarum.* v. 6 « *De ipsis autem oppidis, quae Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem; et, exceptis his, alia quadraginta duo oppida* », v. 7 « *i. e. simul quadraginta octo cum suburbanis suis* ». Tandem de harum urbium per terram sanctam distributione agitur v. 8 : « *Ipsaeque urbes, quae dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his* » (tribubus) « *qui plus habent plures auferentur, et qui minus pauciores : singuli* », singulae tribus, « *iuxta mensuram haereditatis suae dabunt oppida Levitis* ».

b. De civitatibus refugii Num. 35,9-34.

Arg. — Ingressis Chanaanitiden designandae erunt civitates refugii sex, trinae cis et trans Iordanem, in quas confugiant tam Israelitae quam advenae aut inquilini, qui hominem innocentes interfecerint v. 10-15. Qui armis aut lapide hominem confecerit, item qui ex odio propellendo vel aliquid iaciendo causa mortis exstiterit, beneficio refugii excludetur v. 16-21. Qui vero innocens alterum occiderit, in urbem refugii receptus inde producetur iudicandus a pontifice et ecclesia et, si insons fuisse pronuntietur, in civitate refugii se continebit usque ad pontificis obitum; si autem antea civitate excesserit, impune a redemptore sanguinis interficietur v. 22-28. Legis *subscriptio* habetur v. 29, cui adnectuntur v. 30-32 *axiomata iuris duo,* in eiusmodi causis sedulo observanda : nullum sine testibus mortis esse damnandum, nullam permittendam redemptionem iis, qui aut homicidii fuerint damnati aut in civitatem refugii recepti. Tandem v. 33 sq. adscribitur veluti *epilogus* quidam, qui tamen non illud inculcat, quod in praecedente lege potissimum fuerat, ut praeter civitates

Levitarum designarentur item civitates refugii, sed illud, quod legislatori hac in materia maxime cordi erat, ut homicidium severe plecteretur. Epilogus concluditur formula *Ego Iahve etc.* — v. 16-19. 20-21. 22-25. 26-28 habentur varii casus, qui legem hanc attingunt : cuiusque articuli casus priores (v. 16 sq. 20. 22. 26) ordiuntur voce ואם, extremi (v. 18. 21. 23) voce אוֹ. Cf. CEL p. 210. 416.

Lex haec fundatur *lege talionis* (Gen. 9,5 sq.; Ex. 21,23 sqq.) exigente, ut homicidium puniatur morte homicidae; fundatur *lege ultionis* (Gen. 4,14), quae cognatis ius tribuebat iuris cognati vindicandi et ulciscendi. Evolvit legem Ex. 21,12 sqq., qua statuebatur homicida esse interimendus, nullo concesso refugio, occisori insonti promittebatur refugium : quae promissio h. l. effectui mandatur. Nostra lex perquam affinis est legis Deut. 19,1-13, quae non agit nisi de tribus civitatibus refugii cisiordanicis, quibus addendae aliquando sint aliae cis Iordanem tres, postquam dilatati fuerint fines Hebraeorum. Describit, qui occisor innocens sit habendus, quamque ei protectionem praestet civitas refugii, ab eaque protectione occisorem voluntarium excludit. Dum nostra lex indolem habet *documenti iuridici*, lex Deut. 19 potius sapit *documentum rhetoricum;* stilus est ornatior, neque tamen res tam accurate definiuntur quam Num. 35.

Civitates refugii designandae Num. 35,9-15.

v. 9 « *Ait Dominus ad Moysen* » : v. 10 « *Loquere filiis Israel et dices ad eos : Quando transgressi fueritis Iordanem in terram Chanaan* » (cf. 33,51; 34,2), v. 11 « *decernite, quae urbes esse debeant in praesidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint* »; — de peccatis בשגגה, i. e. *indeliberate* commissis, seu quorum deliberatio non constabat iuridica probatione, cf. CEL p. 377 — v. 12 « *in quibus cum fuerit profugus, cognatus* [*occisi*] *non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis et causa illius iudicetur* ». *Hebr. : et erunt vobis civitates refugium a redemptore*, גֹּאֵל, qui utique *cognatus* erat. Sc. ordine propinquitatis (Ruth 3,12) fratres tenebantur defuncto fratri semen suscitare, assumpta eius vidua in coniugium leviratus; eodem ordine ius habebant redimendae possessionis (Lev. 25,25), quam propinquus egestate compulsus divendisset; et sane eodem ordine tenebantur interfecti necem ulcisci. Qua in re *redemptor sanguinis* agebat nomine totius cognationis 2 Reg. 14,7. 11, cognatos circummittebat, sua aut eorum manu sontem percutiebat. Quae porro intelligatur multitudo, dicemus ad v. 25. Urbium porro numerus et universim situs definitur v. 13 : « *De ipsis autem urbibus, quae ad fugitivorum subsidia separantur* », v. 14 « *tres erunt trans Iordanem, et tres in terra Chanaan* ». Refugium praestabunt terrae incolis tam hebraeis quam non hebraeis : v. 15 « *tam filiis Israel quam advenis*

atque peregrinis », alienigenis fixam inter Hebraeos sedem aut non habentibus aut habentibus (cf. Ex. 12,43 sqq.), « *ut confugiat ad eas, qui nolens sanguinem fuderit* ».

De occisore nocente Num. 25,16-21.

v. 16 « *Si quis ferro percusserit et mortuus fuerit, qui percussus est, reus erit homicidii et ipse morietur* ». v. 17 « *Si lapidem iecerit et ictus occubuerit, similiter punietur* ». v. 18 « *Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur* ». Continuo voces mutat *Vulg.*, quae apud *Hebr.* semper eaedem solemnitatem addunt sermoni : *Si instrumento ferreo* (*lapidis ictu, instrumento ligneo*) *percusserit eum et mortuus sit, homicida ipse est, moriatur tamquam homicida.* v. 19 « *Propinquus occisi homicidam interficiet; statim, ut apprehenderit eum* », i. e. ut occurrerit ei, « *interficiet* ». Debet interficere et, si ille in civitatem refugii aliumve locum se receperit, extradatur oportet (cf. Deut. 19,12 sq.; Ex. 21,14). Ergo non sola impunitas legalis (*Cai.*) redemptori conceditur, sed ius et obligatio occidendi. Tamen adverte, certum supponi agi de homicidio deliberato, sive quod res notoria sit, sive quod actione iuridica (v. 24) constet. Praesumitur autem, qui ictu gladii, lapidis, clavae alterum inermem (id enim contextus habet, excluditurque sui iusta defensio) impetierit, id eum fecisse animo homicidae. Idque merito praesumitur. Aliter tamen res habet, quando manu quis hominem v. g. impulerit praecipitium versus, aut manu aliquid eminus in illum coniecerit, lapidem vel etiam sagittam. Haec enim casu quandoque aliquem feriunt : quare in his probandus etiam erat animus hostilis v. 20 : « *Si per odium quis hominem impulerit, vel iecerit quippiam in eum per insidias* » (cf. Ex. 21,13), v. 21 « *aut, cum esset inimicus, manu* » non armata, nam de armata agebatur v. 16-18, « *percusserit et ille mortuus fuerit : percussor homicidii reus erit, cognatus occisi statim, ut invenerit eum, iugulabit* ». His videtur accuratius definiri Ex. 21, 18 : etiam si ictu manus quis illico exanimatus esset, probandus erat percussoris animus hostilis; at praesumebatur idem, si ictu lapidis et, a fortiori, si ictu armorum homo exanimaretur.

De occisore innocente Num. 35,22-28.

v. 22 « *Quodsi fortuito* » — *Hebr. momento,* sine plena deliberatione — « *et absque odio* » v. 23 « *et inimicitiis quidquam horum fecerit* », — haec plurimum sunt decurtata : *Si momento et absque*

odio pulerit eum manu (v. 20), *aut miserit in eum omne instrumentum, sed non ex insidiis, aut omnem lapidem, per quem quis moriatur, cum non viderit eum* transeuntem, *itaque inciderit in eum et mortuus sit, hic non eum odio habuit neque insidiatus est proximo suo* — v. 24 « *et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem et propinquum sanguinis quaestio ventilata* » : — planius *Hebr. : iudicium instituet ecclesia inter occisorem et inter redemptorem sanguinis super causa hac* — v. 25 « *liberabitur innocens de ultoris manu, et reducetur per sententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur* ». Potest cum *Ians.* admitti, duplex fuisse iudicium, primum seniorum civitatis refugii, quo definiretur essetne omnino occisor in civitatem refugii admittendus; alterum coram propinquis accusatoribus (v. 24); ambigitur, quo iudice hoc alterum iudicium habitum sit. Et *Cai.* quidem censet habitum esse in civitate, in qua seu prope quam commissa esset caedes : verum cum ea saepe numero fuerit civitas ipsius occisoris vel occisi, timendum erat ne ibi occisor aut lenius aut durius tractaretur. העדה secus est totius populi hebraei concio, aut certe principum eius; hanc vero eandem h. l. intellegi infero e mentione *pontificis* v. 25, quae haud parum vexavit interpretes. Censemus igitur illius iudicii supremum iudicem fuisse pontificem ipsum, ad eum prope sanctuarium eductum esse e civitate refugii interfectorem, a sanctuario in eandem civitatem esse *reductum* post acceptam faustam sententiam. Cogebatur porro interfector innocens procul a suis in civitate refugii perseverare, non in poenam, cum de eius innocentia constaret, sed ad inculcandum tam ipsi quam reliquis omnibus horrorem effundendi humani sanguinis. Terminabatur eius exsilium morte iudicis, quod, cum illud perpetuum esse iniquum censeretur, expiraret veluti una cum iudicis vita iudicis etiam sententia. Ceterum, superstite pontifice, sola in civitate refugii securus vivebat ille interfector insons : v. 26 « *Si interfector extra fines urbium, quae exsulibus deputatae sunt* », — corrige : *urbis refugii, in quam confugerat.* Neque reliquae urbes refugii videntur illi tutae fuisse — v. 27 « *fuerit inventus et percussus ab eo, qui ultor est sanguinis, absque noxa erit qui eum occiderit* », v. 28 « *debuerat enim profugus usque ad mortem pontificis in urbe residere; postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam* ».

Vere *Bonfr.* ad v. 27 : « Itaque non tantum lege impunitas promittitur, sed etiam exemptio a culpa conceditur. Debebant cognati illi ex hac lege sibi vindicare, non obligationem quidem, sed verum ius eius hominis interimendi. Illa porro mors infligebatur tamquam pœna interfectionis, quam iudiciali sententia constabat fuisse

non culpabilem. Infligebatur ad libitum cognatorum in poenam neglecti divini statuti, quo ille homo ne urbe egrederetur interdicebatur periculo suo. Cuius ea erat sapientissima ratio, ut populus horrore percelleretur caedis tam voluntariae quam involuntariae ». « Tunc autem homo ille, qui necem infert, veluti administrum praebet se tacitae iudicum sententiae » (*Calm.*).

Legis subscriptio Num. 35,29.

v. 29 « *Haec sempiterna erunt et legitima* » — *Hebr.* : *Haec erunt vobis statuta iudicii in generationibus vestris* — « *in cunctis habitationibus vestris* ». Semper et ubique hanc legem habebitis normam, secundum quam causas interfectionis diiudicabitis.

Appendix : axiomata iuridica duo Num. 35,30-32.

Quia haec post legis subscriptionem adiiciuntur, fortasse aliquanto post concinnatam legem a Moyse vel alio fuere adscripta. Verum, cum Hebraei vel ante Moysen si non civitates refugii, at certe altaria refugii (Ex. 21, 14) habuerint, potuit ipsa lex v. 10-28 quoad substantiam Moyse antiquior, ab ipso hac occasione nomine Iahve promulgari et quinque versibus augeri. v. 30 *Omnis* « *homicida sub testibus punietur; ad unius testimonium nullus condemnabitur* ». Debebant esse testes ad minimum duo. — Alterum axioma vetat omnem redemptionem (Ex. 21,30; 30,12), qua quis sive homicidii voluntarii convictus a supplicio, sive in aliquam refugii urbem relegatus ab eo exsilio se expediat. Eiusmodi viro non est fas pretio, sive iudici sive cognatis exsoluto, ad communem vitam redire. v. 31 « *Non accipietis pretium* » *vitae* « *ab eo, qui reus est* » *mortis*, et hinc etiam « *sanguinis* » iniuste effusi; ab eo, qui iudicis sententia capitis damnatus est propter homicidium; *sed* — omitte « [*statim et*] » — « *ipse morietur* ». v. 32 « [*Exsules et*] *profugi ante mortem pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt* ». Clarius exprimit *Hebr.* agi uti v. 31 de redemptione : *Neque accipietis redemptionem quoad eum, qui confugit in civitatem refugii* (לנוס, cf. v. 31 לנפש), *ut revertatur ad habitandum foris, antequam moriatur pontifex.*

Epilogus legis Num. 35,33 sq.

Epilogus hic affinis est eorum, quae leguntur Lev. 11,43 sqq.; 18, 24 sqq.; 22,31 sqq., extremis legibus de animalibus mundis et immundis, de poenis scelerum luxuriae, et extrema Thora Sanctitatis. Sed insistitur h. l. pollutioni *terrae* (cf. Deut. 21,8; Lev. 18,25) : sc. terra bibit sanguinem iniuste effusum (Gen. 4,11). v. 33 « *Ne pol-*

luatis terram habitationis vestrae, quae » — *Hebr. : quia sanguis ipse polluit terram* — « [*insontium*] *cruore maculatur nec aliter expiari potest, nisi per eius sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit* ». Cf. Gen. 9,6. v. 34 « *Atque* [*ita*] *emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum* ». Sed *Hebr. : ne polluatur* et, melius punctantes *Sam. LXX Chald. Syr. : ne polluatis*, quo pulcher cum v. 33 habetur parallelismus. Ergo : *neque polluatis terram, quam ego incolo : etenim ego habito in medio vestri*. Cf. Ex. 29,43 sqq. Pulchra gradatio : sanguine effuso polluitur terra, in qua ipsi habitant, terra, in qua Iahve habitat. Et apte concluditur veluti sigillo formula : « *Ego* [*enim*] *sum Dominus, qui habito inter filios Israel* ».

4. *De tribuum finibus non commiscendis inter se Num.* 36.

Arg. — Sanciverat Deus 27,5 antiquum morem, ut deficientibus filiis haereditas patris cederet filiabus. Res nullam tum habuerat difficultatem; filii filiae haeredis accensebantur familiae patris sui, qui illam haeredem duxisset; neque erant fundi, qui haereditate transmitterentur. At oritura erat gravis difficultas, quando singulae tribus et familiae permanentem accepissent in terra sancta agrorum possessionem. Quid si tum filia haeres se suamque possessionem transferret in virum alius tribus? Imo premebat haec difficultas Galaaditas, penes quos quinque tum erant filiae haeredes, quae si aliarum tribuum viris nupsissent, ad hos translaturae erant possessionem, in terra sancta sibi aliquando nomine patris sui Salphaad assignandam. Cur hanc rem non inter se et cum mulieribus illis composuerint Galaaditae, nescimus. Erantne aliqui maioris notae viri, qui illis mulieribus suas obtruderent nuptias, aut sibi has tamquam meritorum in rem publicam mercedem a Moyse expostularent? Galaaditae causam ad Moysen et capita patroeciarum detulerunt, is nomine Iahve statuit, filias haeredes in posterum nonnisi suae tribus viris nubere debere.

Lex haec observabatur tempore Tobiae (Tob. 6,11 sqq.; 7,14). Poterat filia haeres tradi alienigenae, qui ad sacra Hebraeorum transiisset (1 Par. 2,34 sqq.) : dummodo enim is eidem atque illa tribui accenseretur, non erat periculum, ne haereditas ad aliam tribum transiret. Postmodum, quando tribuum fines et familiarum possessiones plurimum obliteratae erant, haec lex non ita severe observabatur. Teste *Ios.* Ant. IV. 7.5 poterat filia haeres nubere alius tribus viro, dummodo haereditati renuntiaret.

Cap. XXXVI v. 1 « *Accesserunt autem* [*et*] *principes familiarum Galaad filii Machir, filii Manasse, de stirpe* » — *Hebr. de familiis*

— « *filiorum Ioseph* ». Intimius inter se iungebantur Manassaei et Ephraimitae ob communem ex Ioseph originem. Cui affinitati, in angustis suis rebus, sine dubio insistebant Manassaei et in hoc petito, quod *familias filiorum Ioseph* attingebat, principes filiorum Ephraim utique habebant fautores, qui non poterant aequis animis ferre, ut aliquae filiorum Ioseph possessiones ad aliarum tribuum homines transferrentur. Imo, quod v. 5 Moyses dicat *filios Ioseph* bene locutos esse, intulerit quis, principes Ephraimitas cum Manassaeis ad eum supplices accessisse. Ideo praeterea ut *filii Ioseph* in medium prodeunt, quia memoria Ioseph debebat omnibus Israelitis esse cara. « *Locutique sunt Moysi coram principibus Israel, atque dixerunt* » : — *coram Moyse* : petitum proponebant tam Moysi quam principibus, capitibus patroeciarum filiorum Israel, inter quos erant principes Ephraimitae et principes Manassaei, qui non erant de filiis Galaad : res patroecias attingens coram capitibus patroeciarum discutienda erat. *LXX Syr.* adscribunt *Eleazarum,* sed is voce principibus includitur et, licet Levitarum nullus 34,16 sqq. divisoribus terrae accenseatur, quod nulla Levitis fuerit terra distribuenda, at quaestionem iuridicam Num. 36 non decebat decerni inaudito pontifice — v. 2 « *Tibi domino nostro praecepit Dominus, ut terram sorte divideres filiis Israel, et ut filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri* ». Cf. 26,53 sqq.; 27,7 sqq.; 33,54. *Hebr.* : domino meo mandavit Iahve... et dominus meus iussus est in Iahve. Nequit negari constructio esse dura et inaequalis; cum tamen cogitata enuntiet perquam plana, assentiendum fortasse *A. Geiger* (Urschrift u. s. w., Breslau 1857, p. 330), textum leviter mutatum esse a posteriore aliquo, qui vereretur ne plus ille Moysi neque satis Iahvae tribuere videretur, textumque primitus habuisse haec : dominus meus iussit... et dominus meus iussit. Reverenter Galaaditae Moysen bis alloquuntur *domine mi,* qua eadem reverenti appellatione 32,25. 27 utuntur Gaditae et Rubenitae, ubi tandem petitorum partem aliquam nacti sunt. v. 3 « *Quas si alterius tribus homines uxores acceperint, sequetur possessio sua, et translata ad aliam tribum de nostra haereditate minuetur* ». Distinctius *Hebr.* : *et detrahetur possessio earum de possessione patroeciarum nostrarum, et adiicietur possessioni tribus, ad quam illae pertinebunt*, *et de sorte possessionis nostrae detrahetur.* v. 4 « *Atque ita fiet, ut, cum iubilaeus,* [*i. e. quinquagesimus annus remissionis*], *advenerit* » *filiis Israel,* « *confundatur sortium distributio, et aliorum possessio ad alios transeat* ». Haec liberius sunt versa : *augebit possessio earum possessionem tribus, ad quam pertinebunt, et a possessione tribus patroeciarum nostrarum detrahetur possessio earum.*

Galaaditae nude affirmant, si filia haeres nubat alius tribus viro, haereditatem ad eam tribum esse transituram. Ergo non videtur tum moris fuisse apud Hebraeos, quod adstruit *Bonfr.*, ut filia haeres filiorum suorum unum accenseret tribui, e qua ipsa oriunda esset, eique concederet avi materni haereditatem. Ceterum, etsi ille mos supponatur viguisse, si quando filia haeres unicum generaret filium, rursus commiscebantur haereditates. At quid sibi vult *iubilaei* mentio? De quo Lev. 25,10 utique statuitur axioma : « revertetur homo ad possessionem suam ». Tamen tota illa lex est de possessione vendita restituenda venditori, non de legitima haereditate restituenda parentibus aut parentum cognatis. Ne iubilaeum quidem, efficacissima illa iustae possessionis defensio, aiunt Galaaditae, ullum nobis afferet remedium, quin imo translatam possessionem *confirmabit*. Iubilaeum quippe non potest translatam hanc haereditatem attingere; possessio vero, quam iubilaeum immutatam relinquit, hoc ipso firmior efficitur et certior. Potest possessor post iubilaeum dicere : hanc rem ante iubilaeum possidebam, ergo mea est. — Ceterum v. 4 suggerit, iubilaeum non fuisse morem a Moyse Lev. 25 recenter introductum, sed a maioribus acceptum, de quo Galaaditae loquuntur tamquam de re nota.

v. 5 « *Respondit Moyses filiis Israel et Domino praecipiente* [*ait*] : *Recte tribus filiorum Ioseph locuta est* ». Est fortasse lusus verborum inter דברים v. 5 et הדבר v. 6, quod vertendum est non *lex* sed *verbum*, de particulari quippe filiarum Salphaad causa non editur lex sed verbum vel mandatum, cui utique v. 7-10 generalis quaedam regula adscribitur, legis inscriptionem non habens. v. 6 « *Et haec lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est : Nubant quibus volunt, tantum ut suae tribus hominibus* ». Verba sunt Moysis populum alloquentis. Deus intra tribum illis libertatem concedit : fortasse ab aliquibus etiam suae tribus hominibus premebantur, haereditatis acquirendae causa. Nostrae *Vulg.* et *LXX* editiones post v. 6 scribunt colon, sed oportebat scribi punctum. v. 7. 9 כי verte *sed*, ut *LXX* faciunt v. 9; enuntiatur v. 7. 9 bis idem principium ad viros directum, uti etiam Lev. 18 lex matrimonialis directe fertur pro viris; cui principio v. 8 inseritur monitum pro mulieribus. v. 7 « *Ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum : omnes enim viri ducent uxores de tribu et cognatione sua* ». Fert igitur *Vulg.* generalem legem, ut viri nonnisi suae tribus mulieres ducant. Videtur Vulg. verbum ידבקו interpretata esse similiter atque Gen. 2, 24 « adhaerebit uxori suae ». Sed ea expressio directe non exprimit vinculum matrimoniale, sed conjugum convictum, et « adhaerere possessioni » aliud plane est quam « adhaerere uxori ». Verte : *Non transeat possessio filiorum Israel de tribu in tribum* (*alteram v.* 9) *sed unusquisque possessioni tribus patrum suorum filiorum Israel adhaereat*, illa contineatur et contentus sit, alius tribus possessionem matrimonio acquirere non nitatur. v. 8 « *Et cunctae feminae de eadem tribu maritos accipiant, ut haereditas permaneat in familiis* ». Sed *Hebr.* loquitur de

solis filiabus haeredibus : *Et omnis filia possidens haereditatem de tribubus filiorum Israel uni de familia* (aliqua) *tribus patris sui nubat, ut possideant filii Israel unusquisque possessionem patrum suorum,* patriarchae a quo tribus nomen habet. v. 9 « *Nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant* », v. 10 « *ut a Domino separatae sunt* ». Haec liberius sunt reddita, *Hebr.* verbotenus fere idem habet quod v. 7.

Clauduntur acta filiarum Salphaad. Verum, dum earum nomina uti 27,1 recensentur, non affertur nomen patrui neque quinque filiorum eius : Manassaeorum nomina supprimuntur. « *Feceruntque filiae Salphaad, ut fuerat imperatum* », v. 11 « *et nupserunt Maala et Thersa et Hegla et Melcha et Noa filiis patrui sui* » v. 12 « *de familia Manasse, qui fuit filius Ioseph* ». Neglectis procis fortasse illustrioribus, sed qui possessionem ambirent magis quam nuptias, nupserunt illis ipsis viris, quos ipsae maxime in votis habuerant, consuluerunt tribus atque familiae suae utilitati : « *et possessio, quae illis fuerat attributa, mansit in tribu et familia patris earum* ».

v. 13 « *Haec sunt mandata atque iudicia, quae mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israel, in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho* ». Cf. 22,1; 33,50. Eadem ratione documentorum horum collector Lev. 7,38; 26,45; 27,34 (cf. Num. 1,1; 3,1. 14; 9,1) diligenter adnotabat, quaenam prope montem Sinai essent transacta.

INDEX.

DE SINAI IN CADES Num. 10,11-20,13.

COMMORATIO IN CADES.

DE CADES AD IORDANEM Num. 20,14-36,13.

P. LETHIELLEUX, LIBRAIRE-ÉDITEUR, 10, RUE CASSETTE — PARIS

LE RÉCIT
DE
LA CRÉATION

Par le **R. P. Fr. de HUMMELAUER**

DE LA COMPAGNIE DE JÉSUS

Traduit de l'allemand par l'abbé **ECK**

SEULE TRADUCTION FRANÇAISE AUTORISÉE

Publiée avec le concours et l'autorisation de l'auteur

Ouvrage revêtu de l'imprimatur de S. É. Mgr RICHARD

CARDINAL-ARCHEVÊQUE DE PARIS

in-12 . . . . 3.00

PRÉFACE

Ce n'est pas le désir de publier un ouvrage de plus sur une question des plus controversées qui nous met la plume à la main. Cette question est bien une de celles dont l'Ecclésiaste a dit 12, 12 : « Il n'y a point de fin à multiplier les livres ». Il y a tantôt vingt années que nous avons publié un premier essai sur le récit de la création (sous forme de supplément aux « *Stimmen aus Maria Laach* »). Plus tard, nous sommes revenu sur cette question dans notre « *Commentarius in Genesim* » (Lethielleux, 1895). Depuis, nous n'avons cessé de nous en occuper dans nos études. Déjà à cette époque il existait plusieurs systèmes de concordance auxquels depuis sont venus s'ajouter d'autres, comme nous le verrons par la suite dans la présente brochure en traitant des principaux commentateurs catholiques des dix ou quinze dernières années. Les pays de nationalité allemande ont eu moins de part à l'élaboration de ces systèmes que la France, la Belgique, l'Angleterre et l'Italie. Les sciences naturelles sont aux prises avec l'exégèse; il s'agit de rétablir la paix entre elles. *Accord*, telle est la devise de tous. La théorie diluvienne veut la paix aux dépens des sciences naturelles. D'autres systèmes sont disposés à acheter la paix à tout prix, sauf de s'exposer aux foudres de l'Église. Et l'Église depuis saint Augustin s'est toujours montrée en ce point d'une tolérance des plus larges.

Nous avons toujours été persuadé que tous ces systèmes ont un vice commun : ils sont tous nés sous l'empire de la crainte inspirée par les savants naturalistes : « Nous avons vu des hommes qui étaient des monstres, des fils d' nac, auprès desquels nous ne paraissions que comme des sauterelles » (Num., 13, 34). C'est aussi l'histoire du jeune Tobie (6, 2 sq.) à la vue

du poisson : καὶ ἠβουλήθη καταπιεῖν τὸ παιδάριον. Ce n'est pas peu de chose d'être dévoré par un poisson. « Tobie, glacé d'effroi, jeta un grand cri en disant : Seigneur, il s'élance sur moi ». La peur est mauvaise conseillère.

Sous l'empire de cette crainte, l'exégèse s'est vue paralysée dans son essor durant plus d'un siècle et demi. En expliquant le texte sacré, on lorgnait sans cesse d'un œil au delà des frontières des fils d'Énac. Au lieu de s'en tenir à une explication simple et droite, on recherchait des explications qui, quoique forcées, paraissaient encore admissibles; on s'efforçait d'atténuer, de polir le texte afin de lui ménager la faveur des savants. Sans lui permettre de dire toute la vérité, comme il était en droit de le faire pour sa justification, on lui imposait silence de peur qu'il ne s'avisât de compromettre ses commentateurs. La critique du texte surtout laissait à désirer chez les exégètes catholiques.

Pour nous, à l'encontre des systèmes concordistes, nous défendons comme autrefois la théorie visionnaire. Nous soutenons qu'il ne peut y avoir désaccord entre la Bible et les sciences naturelles, puique les deux ne traitent pas d'un seul et même objet : les sciences naturelles nous décrivent la manière dont la Cosmogonie s'est passée, la Bible au contraire nous représente la vision par laquelle ce fait a été révélé à nos premiers parents. Dans une vision le symbole et la réalité peuvent être confondus, on n'est pas en droit d'exiger que la vision s'accorde en tous points avec la réalité. Cette explication est conforme aux règles de l'exégèse. Personne ne nous accusera de faire du dilettantisme sur le terrain soit de la géologie, soit d'autres sciences profanes.

Dans un premier chapitre nous expliquerons le texte hardiment et sans tenir compte des sciences profanes. Avant nous, d'autres se sont proposé cela, sans toutefois y réussir complètement. Au lecteur bénévole de juger jusqu'à quel point nous avons réalisé notre but.

Le second chapitre traite des systèmes qui essayent d'établir l'accord entre la Bible et les sciences profanes. Nous ne songeons nullement à énumérer toute la littérature suscitée par la controverse sur l'Hexaméron. Exposer les principaux systèmes de concordance et montrer qu'ils sont insoutenables au point de vue d'une saine exégèse, tel est notre but.

De là nous revenons, dans un troisième chapitre, à notre texte pour en compléter l'interprétation par la critique. Dans cette étude plus que dans les précédentes nous avons cru devoir séparer l'explication de la critique du texte, car cette séparation nous permet d'établir plus solidement la théorie visionnaire et de la défendre plus efficacement. Nous nous permettons d'exprimer ici nos remerciements à nos éminents critiques : ils ont bien voulu nous donner des indications bienveillantes qui nous ont mis à même d'établir notre théorie sur des bases plus solides.

Ainsi que celui qui s'égarerait dans les formes et les vocables employés dans le premier chapitre de la Genèse ferait preuve qu'il ne connaît guère l'hébreu, de même la confusion babylonienne dans laquelle se sont embrouillés les exégètes catholiques de notre époque en voulant expliquer ce chapitre n'est guère à leur louange. Si le présent écrit pouvait contribuer à diminuer cette confusion, à donner le coup de grâce à tel ou tel système peu fondé, l'auteur s'estimerait récompensé au delà de son mérite.

TABLE ANALYTIQUE

CHAPITRE PREMIER

EXPLICATION DU TEXTE

CHAPITRE II

PRINCIPAUX SYSTÈMES D'ACCORD ENTRE LA BIBLE ET LES SCIENCES NATURELLES

TABLE ANALYTIQUE (*Suite*).

Date Due

5-48			